
יהוה
INSTITVTIO THEOLOGICA
ANDOVER FVNDATA MDCCCVII
Ps. CXIX
169.
כדברך
JOH. XVII.
17.
ὁ λογος
ὁ σος
αληθεια
ἐστι
ΑΚΡΟΓΩΝΙ
ΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ

COMMENTARIUS

IN

EPISTOLAM S. APOSTOLI PAULI

AD

ROMANOS

CONCINNATUS

PER

LEONARDUM KLOFUTAR,

SS. THEOLOGIAE DOCTOREM, INSTITUTI STUDIORUM THEOL. DIOECESANI DIRECTOREM NEC NON STUDII BIBLICI N. F. IN EODEM INSTITUTO PROFESSOREM P. O., CAPITULI CATHEDRALIS CANONICUM HONORARIUM, CONSILIARIUM CONSISTORIALEM ETC. ETC.

LABACI.

SUMPTIBUS AUCTORIS. TYPIS KLEIN ET KOVAČ.

1880.

Approbatio.

„Commentarius in epistolam s. Apostoli Pauli ad Romanos concinnatus per P. T. R. Dominum Leonardum Klofutar, Ss. Theologiae Doctorem, Instituti studiorum theol. dioecesani Directorem nec non Studii biblici N. F. in eodem Instituto Professorem p. o., Capituli cathedralis Canonicum honorarium, Examinatorem prosynodalem, penes Forum episcopale judiciale Judicem, c. r. supremi Consilii pro rebus scholasticis instituti membrum" nihil continet, quod doctrinae Ecclesiae catholicae bonisque moribus adversetur. Speramus, lectores multum ex eo fructum percepturos esse; quare lubenter hoc opus adprobamus, omnique commendatione dignum declaramus.

Labaci die 29. Januarii 1880.

Chrysostomus,
Episcopus.

Praefatio ad lectorem!

Mox post editionem commentarii mei in evangelium s. Matthaei permulti partim ore, partim literis me adierunt, ut etiam breves commentarios in s. Pauli epistolas exararem, qui, uti commentarii in evangelia s. Matthaei et s. Joannis usibus inservirent scholasticis. Ex parte votis hisce eatenus satisfeci, quatenus in plures s. Pauli epistolas commentarios exaraveram eosque ope lithographiae imprimendos curaveram. Quum tamen illorum commentariorum exemplaria per multiplicem usum trita sint, ita ut nunc temporis paucissima adhuc exstent exemplaria, hunc novum commentarium in s. Pauli epistolam ad Romanos typorum ope edere mihi proposui. Quia etiam hic commentarius proxime destinatus est in usum theologiae studentium, ideo in eo concinnando brevitatis studiosus fui, quin, uti puto, ipsa perspicuitas detrimenti quid pateretur; tali modo libertati eorum, qui in praelectionibus scholasticis eo uterentur, relinquens, ea, quae a me breviter dicta essent, fusius pertractandi. In exarando commentario usus sum commentariis cum antiquis: S. Thomae Aq., Francisci

Toleti, Guilielmi Estii, Cornelii a Lapide, Jacobi Tirini, Joannis Steph. Menochii, Bernardini a Piconio, tum recentioribus: Dr. Fr. Xav. Reithmayr, Dr. Adalbert Maier, Dr. Joannis Theodori Beelen, Dr. August Bisping, Dr. Wilhelm Reischl.

Ceterum etiam hunc commentarium plenissime subjicio ecclesiae judicio.

Labaci festo s. Pauli primi Eremitae 1880.

Auctor.

Prolegomena

in

Epistolam ad Romanos.

§. 1.

Origo et status ecclesiae Romanae.

Quando ecclesia Romana existere coeperit, certo determinari nequit. Ante s. Pauli in urbem adventum (coll. 1, 10—14; 15, 22. 23.) et ante epistolae hujus exarationem eam jam a longiori tempore exstitisse, docent ipsa apostoli verba, qui in hac epistola (1, 8.) scribit: „Fides vestra annunciatur in universo mundo"; patet id porro inde, quia (coll. 12, 6. seq.) ecclesia Romana eo tempore praepositos habebat et magistros idoneos. Prorsus credibile est, prima semina doctrinae christianae sparsa fuisse Romae per quosdam Judaeos Romanos, qui festo Pentecostes effusionis s. Spiritus testes facti et per apostolos conversi, domum reversi alios etiam Christi cognitione imbuerunt (Act. 2, 10.). Romae enim ab eo tempore, quo Hierosolyma a Pompejo capta erat (ergo ab anno 63. ante Christum), Judaei permagno numero degebant, qui serius libertate donati, novis aucti sunt advenis. Hi vero Judaei Romani, uti alii in dispersione degentes, in rebus religiosis cum Judaeis patriam (Judaeam) incolentibus, in arctissimo nexu manebant, et ideo Hierosolymam templi dona mittebant et festa frequentabant. Quum tamen hisce parvis initiis Christi cognitionis Romam illatae per illos Judaeos Romanos conversos, haud possit explicari, quomodo a. 59., quo s. Paulus epistolam ad Romanos scribebat, ecclesia Romana tam bene ordinata fuerit, uti eam epistola (12, 6. seq.) supponit, recte juxta traditionem statuitur, ecclesiam Romanam a Petro apostolo fundatam fuisse. Testatur id jam (saec. 2.) Dionysius, Corinthiorum episcopus, qui ecclesiae Romanae plantationem

eodem modo Petro tribuit, quo Corinthiacae ecclesiae plantationem Paulo (apud Euseb. hist. eccl. II. c. 25.). Testantur id porro: Eusebius (hist. eccl. II. 14—17. coll. cum. Chronico), Hieronymus (de viris illust. ad nomen Petri) et Paulus Orosius (hist. lib. VII. c. 6.), s. Augustini et Hieronymi coaetaneus, qui dicunt, Petrum sub Claudio Caesare, et quidem juxta sanctum Hieronymum secundo anno, juxta Eusebium et Paulum Orosium exordio regni ejus, Romam venisse, verosimiliter (coll. Act. 12, 17.) post liberationem suam e carcere anno 42. (quum ab hoc tempore usque ad concilium Hierosolymitanum, i. e. ab anno 42—52. de ejus praesentia in Oriente et de activitate ipsius nil commemoretur), ibique evangelium praedicasse, ecclesiam fundasse, — et exinde per 25 annos (quamvis non continuo Romae commoratum) ecclesiae illius episcopum fuisse. Veritatem hujus rei confirmant etiam antiquissimi catalogi Romanorum Pontificum: nimirum catalogus Liberii (a. 352.) et multo antiquior catalogus Hippolyti (a. 234.); unde recte colligitur, traditionem hanc esse ex saeculo I.; testantur porro id omnes recensiones libri Pontificalis, catalogus Felicianus (ab a. 530. usque ad Papam Felicem IV.), et tandem graeci catalogi, qui omnes referunt, Petrum 25 annis ecclesiam Romanam rexisse. Quum Petrus, docente s. Hieronymo (de viris illustr. c. 1.), anno 67. martyrium subiisset, ideo, si juxta prius allata testimonia Pontificatus ejus Romanus 25 annis duraverat, debebat anno 42. Hierosolyma Romam venire, in quem annum etiam ille a s. Luca (Act. 12, 17.) commemoratus Petri discessus in alium locum incidit. Claudius Caesar nimirum primo anno imperii sui, i. e. anno 41. Herodem Agrippam instituit regem Judaeae. Hic itaque proximo paschatis festo, ergo a 42., venerat in novam suam metropolin, Hierosolymam, atque ad Judaeorum gratiam captandam Jacobum occidi, Petrum vero incarcerari jussit. Si itaque Petrus a. 42. Hierosolyma in alium locum discesserat, hoc anno autem ipsius Pontificatus Romanus per 25 annos inceperat, utique per illum locum alium debet Roma intelligi. [1]) Fundationem ecclesiae Romanae tribuit Petro apostolo etiam Theodoretus, qui in commentario suo in epistolam ad Romanos (ad 1, 11.) dicit: „quia primus eis magnus Petrus doctrinam evangelicam praebuerat“. Conferatur etiam Irenaeus (adv. haer.

---

[1]) Cf. Historisch-politische Blätter, Jahrgang 1873. 2. B. S. 658—666. oder B. 73.

lib. III. 3. n. 2. et lib. III. 1. n. 1.), Cajus presbyter, (saec. 2.), Zephyrini, summi Pontificis, coaetaneus (apud Euseb. hist. eccl. lib. II. c. 25.), et Tertullianus (de praescript. c. 36.).

Ecclesia Romana ab initio maximam partem ex Judaeo — christianis constabat; Petrus enim per eminentiam (coll. Gal. 2, 8.) erat apostolus circumcisionis, i. e. Judaeorum. Quum postea (a. 52.) Claudius Caesar Judaeos assidue tumultuantes expulisset Roma, decreto isto etiam Judaeo-christiani emigrare cogebantur, quo factum est, ut fideles ex gentibus, i. e. ethnico-christiani, tantum Romae remanerent. Quum post Claudii mortem (a. 54.) iterum Judaeis permissum esset, Romam redire, etiam multi Judaeo-christianorum, inter hos Aquila et Priscilla conjuges, qui prius Roma discedere cogebantur (coll. Rom. 16, 3.), Corintho Romam reversi sunt. Jam hi Judaeo-christiani reduces, ne iterum tumultibus implicarentur, a consortio infidelium Judaeorum penitus abstinebant, atque ethnico-christianis se adjungebant, quo factum est, ut ecclesia Romana eo tempore, quo Paulus epistolam ad Romanos scripsit (a. 59.), complexa esset Judaeo- et ethnico-christianos, sed, ut e quibusdam epistolae locis (1, 13; 11, 13; 15, 15.) recte colligitur, major erat pars fidelium ex gentilibus.

§. 2.

Occasio et consilium epistolae.

Quod ad occasionem et consilium epistolae attinet, in ipsa epistola reperiuntur utriusque vestigia. In multis enim locis (1, 13; 15, 23. 24.) manifestat s. Paulus desiderium suum Romam veniendi, ut tanquam doctor gentium etiam Romanis aliquid conferret gratiae spiritualis eosque in fide jam suscepta confirmaret (1, 11.). Id autem eo ardentius desiderabat, quo magis sperari poterat, fore ut religio Christi in urbe Roma firmiter fundata, radices suas celerrime in totum terrarum orbem diffunderet, atque ethnicismum sensim everteret. Jam vero apostolus in eo erat, ut desiderio suo satisfaceret, quum, uti ex epistola (15, 23—25.) patet, Corintho Hierosolymam, inde vero Romam proficisci sibi proponeret. Voluit itaque apostolus hac epistola Romanos ad suum adventum atque ad suam inter eos activitatem praeparare. Quum eo tempore Phoebe, diaconissa ecclesiae Cenchreensis, Romam profectura esset, usus est apostolus hac occasione, quum ei epistolam nostram, in qua fundamentales religionis christianae doctrinas, nec non relationem Judaismi et ethni-

cismi ad religionem christianam proponit, Romanis tradendam commiserit. — Utrum lites inter Judaeo- et ethnico-christianos etiam Romae, uti in aliis ecclesiis, ortae fuerint, atque apostolum ideo tam fuse de Judaismo et ethnicismo atque de utriusque ad religionem christianam relatione (uti nonnulli cum s. Augustino et Hieronymo putant) loqui, certo dici nequit.

§. 3.

Argumentum epistolae.

Epistola haec duabus constat sectionibus: dogmatica nimirum et practica (seu paraenetica).

I. Prima sectio, dogmatica, continet priora undecim capita (c. 1—11.), cui tamen praemissum est exordium seu prologus (1, 1—17.), in quo apostolus praemissa dedicatione et salutatione consueta (1—7.), Deo gratias agit pro fide lectorum et magnum suum eos videndi desiderium manifestat (8—15.); aperit in fine hujus exordii (16. 17.) praecipuum hujus epistolae thema, dicens: evangelium esse virtutem Dei ad salutem omni credenti, Judaeo et ethnico, quia in eo manifestatur via ad salutem (tum inchoatam in justificatione, tum completam in aeterna beatitudine), nimirum per fidem in Jesum Christum. Thema hoc absolvitur tribus partibus:

1. In prima parte (1, 18—5, 21.) agit de natura justificationis per fidem, et quidem:

a) demonstrat justificationem necessariam esse tam gentilibus, quam Judaeis, quum omnes peccatores sint, et ideo perniciei aeternae obnoxii (1, 18—3, 20.).

b) Docet, quomodo illa justificatio hominibus contingat, nimirum per fidem in Jesum Christum (3, 21—31.).

c) Veritatem justificationis per fidem in Christum probat ex s. scriptura V. T., in qua justificatio per fidem absque operibus legis et circumcisione exemplo Abrahami docetur (4, 1—25.).

d) Dein disserit de praeclaris hujus justificationis fructibus seu effectibus (5, 1—11.).

e) Tandem comparationem instituit inter Adamum, auctorem peccati et mortis, et inter Christum, auctorem justitiae et vitae (5, 12—21.).

2. In parte altera (c. 6—8.) loquitur de justificatione subjective considerata; et quidem primum occurrit abusui

doctrinae de justificatione per fidem obtinenda, ostendens, per eam minime concedi libertatem peccandi, sed potius eam provocare ad studium virtutis el sanctitatis, quia christianus, qui per baptismum Christo unitus et cum eo mortuus est (secundum veterem hominem) atque cum eodem ad vitam novam, continue sancte agendam, resurrexit, peccato plane mortuus esse debet, idque tanto magis, quum non sit amplius sub lege, cupiditates excitante atque irritante, sed sub gratia (6, 1—23.). Id probat fusius primum exemplo uxoris, quae a lege viri liberatur ejus morte, et inde concludit, etiam christianum, qui in baptismo secundum veterem hominem (mystice) cum Christo mortuus est et cum eo ad novam resurrexit vitam, liberatum esse a legis dominio (7, 1—6.). Ne autem quis ideo, quia (v. 5.) dixerat, lege cupiditates ad peccata irritari atque excitari, putaret, ei legem et peccatum esse unum idemque, ideoque legem per se malam, nunc (7—13.) uberius explicat relationem legis ad lapsum genus humanum. Docet nimirum: Lex in se non est mala, potius sancta; ast prohibitionibus suis ducit ad agnitionem peccati, facit, ut homo in ipso latentem concupiscentiam cognoscat, atque ita hominem, sua indole ad peccandum pronum, ad peccatum irritat atque excitat. Homo enim naturalis mente sua quidem approbat legem, bonum jubentem et malum prohibentem, sed, quum sit pronus ad peccandum, contra suam voluntatem meliorem per concupiscentiam rebellem malum agit. Sed ipsum hoc dissidium (dualismus) in natura humana in homine excitavit desiderium redemptionis atque ita ad recipiendum Salvatorem disposuit (14—25.). — Deinde exponit, nos christianos ab illa duplici servitute peccati et mortis liberatos esse in Christo Jesu. Christus nos liberavit e potestate peccati, quum, offerendo suo corpore immaculato in sacrificium, peccatum deleret, nobisque donaret Spiritum sanctum, per quem nobis tribuitur virtus legem Dei adimplendi. Christus liberavit nos e potestate mortis; nam Spiritus sanctus, quem nobis donavit, est vera animae vita, simulque sponsio firma, olim etiam corpora nostra (ut secundum animam et corpus regenerati simus) vivificatum iri (8, 1—11.). Ideo etiam vitam agere debemus non secundum carnem (concupiscentiam malam), sed secundum spiritum (per Spiritum sanctum directum et confortatum), et, si ita (secundum spiritum) vixerimus, sumus filii Dei, et aliquando erimus haeredes Dei, cohaeredes autem Christi. Sed ut cohaeredes Christi atque consortes gloriae ejus esse possimus, debemus, uti Christus, tribulationes atque

afflictiones constanti animo perferre, ad quod faciendum nos excitare debet magnitudo praemii futurae felicitatis (12—18.). Ad futuram corporis glorificationem sperandam nos excitat gemebundum desiderium, quo mundana creatura universa liberationem sui a servitute corruptionis exspectat, cui desiderio gemebundo etiam cor nostrum consentit. Nam etiam nos, quando secundum spiritum (animam) redemptionis et salutis in Christo compotes facti simus, nondum fruimur consummata illa salute (perfecta adoptione filiorum Dei), quum corpus nostrum adhuc redemptione indigeat. Consummatam redemptionem habemus nunc solum in spe; attamen interim eam exspectantes, adversa quaevis patienter ferre debemus, qua in re Spiritus sanctus adjutor nobis adest, qui in nobis et pro nobis a Deo petit (19—30.). Praeter Spiritus sancti auxilium ad omnia adversa patienter toleranda debet nos excitare firmissima persuasio, quod Deum diligentibus omnia cedant in bonum. Quam disputationem apostolus concludit egregio epilogo (31 - 39.).

3. In parte tertia (c. 9—11.) occurrit s. auctor objectioni, quam quis doctrinae ipsius de universalitate gratiae facere posset, ideo, quia longe maxima pars populi Judaici rejecta et ab adoptione in populum electum N. T. et a bonis ei promissis, nominatim a justificatione exclusa sit, dum docet:

a) Illam adoptionem in populum Dei N. T. et justificationem non esse ex jure aliquo generationis carnalis vel operum humanorum, sed esse beneficium gratuitum, nullo jure debitum. Veritatem hanc probat exemplis electionis patriarcharum Isaac et Jacob (9, 1—13.). Inde sequitur, in Deo nullam esse injustitiam, quia beneficia sua indebita hominibus ex mera misericordia confert, quod ulterius verbis s. scripturae confirmat (14—29.). Docet porro:

b) Illam exclusionem ex parte Judaeorum esse meritam, quia in Christum non crediderunt (9, 31—10, 21.).

c) Illam exclusionem non esse universalem, quia nonnulli ex Israëlitis pervenerant ad fidem et ad bona populo Dei N. T. promissa, neque esse perpetuam; nam, quando plenitudo gentilium in ecclesiam intraverit, omnis Judaeorum populus ad Christum convertetur et particeps fiet bonorum novae oeconomiae, ecclesiae N. T. (11, 1—32.). Concludit cum solemni doxologia divinae bonitatis, sapientiae et scientiae Dei (33—36.).

II. In secunda sectione, practica seu paraenetica (12—15, 13.), cui conclusio adnexa est (15, 14—16, 1—27.), monet lectores ad agendam vitam christiano homine dignam (12, 1. 2.), ad rectum donorum gratiae (charismatum) usum (3—8.); ad varias virtutes exercendas (9—21.); ad praestandam obedientiam civilibus magistratibus (13, 1—7.); ad studium charitatis erga proximum (8—10.), ad sobrietatem et castitatem (11—14.). Docet porro Judaeo- et ethnico-christianos, inter quos ob cibos et festa erant disceptationes et temera judicia, charitatis regulas, dum nimirum doctiores (ethnico-christianos) hortatur, ut (fide) infirmos Judaeo-christianos, quorum non pauci existimabant, etiamnum observanda sibi esse statuta legis Mosaicae quoad cibos et dies, benigne tractent, nec contemnant; Judaeo-christianos vero vicissim monet, ne ethnico-christianos temere judicent eosque ut improbos condemnent (14, 1—18.); tandem utrosque adhortatur ad conservandam pacem et promovendam mutuam aedificationem (19—23.). Idipsum docet etiam capite sequenti (c. 15.), dum firmos fide monet, ut infirmorum imbecillitates Christi exemplo patienter ferant (15, 1—4.); ut studeant concordiae et fraternae charitati (5—13.). Deinde excusat se, quod ipsis scripserit et quaedam aspere dixerit, quum id officium muneris apostolici ab ipso postulasset (14—20.); pollicetur, se in itinere suo in Hispaniam ad ipsos venturum, sed antea Hierosolymam vadet (25—29.); interim eos obsecrat, ut pro ipso Deum orent, ut, omnibus feliciter peractis, laetus Romam veniat (30—33.). Commendat illis Phoeben, ecclesiae Cenchreensis diaconissam, cui epistolam hanc ad Romanos perferendam tradiderat; permultos Romanos christianos suo nomine nominatim salutat (16, 1—16.); dein hortatur eos, ut dissensionum et scandalorum auctores fugiant (17—20.); tandem plurium nomine Romanis salutem dicit, et solemni benedictione ac insigni doxologia epistolam claudit (21—27.). — Ex hoc argumento proposito elucet simul gravitas hujus epistolae. In hac epistola occurrit quasi summa theologiae s. Pauli; nam in ea expresse et fuse pertractat fundamentales religionis christianae doctrinas; nimirum originem ethnicismi, significationem et sortem futuram Judaismi, ac utriusque ad christianismum relationem; porro doctrinam de peccato et redemptione, atque antithesin inter Adamum et Christum, nec non utriusque ad genus humanum relationem.

§. 4.

Quando et ubi epistola scripta sit.

Quod attinet ad tempus, in ipsa epistola vestigia ejus reperiuntur. Juxta epistolam nostram (15, 25—30.) apostolus, quum ad Romanos scriberet, in eo erat, ut stipem per Macedoniam et Achaiam collectam, Hierosolymam perferret, quo negotio peracto Romam abire voluit. — Quodsi haec comparemus cum iis, quae narrantur in Actibus apostolorum (19, 21. et 20, 3. 22.), patet, apostolum epistolam nostram scripsisse in tertio itinere apostolico, dum tres menses in Achaia et Corinthi versaretur (anno 59.). Nam docente priori Actuum loco (19, 21.) s. Paulus in tertio itinere Ephesi diutius commorans, propositum cepit, per Macedoniam et Achaiam iter faciendi, indeque Hierosolymam et tandem Romam proficiscendi; — juxta alterum vero locum (Act. 20, 3. 22.) iter illud per Macedoniam revera suscepit in Achaiam (nimirum post tumultum contra ipsum a Demetrio Ephesi excitatum coll. Act. 19, 23. seq.), et ibi atque Corinthi tres menses transegit, stipem colligens pro pauperibus Hierosolymitanis, a se Hierosolymam deportandam.

Quod vero locum attinet, epistolam scriptam fuisse Corinthi, inde patet, quia in fine epistolae (16, 23.) commemorantur Cajus, apostoli hospes, et Erastus, arcarius civitatis, qui (coll. 1. Cor. 1, 14. Act. 19, 22. 2. Tim. 4, 20.) habitabant Corinthi; et quia apostolus ad epistolam deferendam usus est Phoebes ministerio, ecclesiae Cenchreensis diaconissae; Cenchreae autem erant portus Corinthi.

§. 5.

Epistolae ad Romanos authentia et integritas.

Authentia epistolae hujus est indubia; contestatur eam uno ore omnis antiquitas christiana. Citata indubia occurrunt jam apud Clementem Rom. (ad Corinth. c. 35. coll. Rom. 1, 29.), apud Polycarpum (ad Philipp. c. 6. coll. Rom. 14, 10. 12.), apud Theophilum Antioch. (ad Autol. III. 14. coll. Rom. 13, 7. 8.); in epistola ecclesiae Viennensis et Lugdunensis ad Asiae Phrygiaeque ecclesias (ad Rom. 8, 18.). Nomine Pauli eam citant s. Irenaeus (adv. haer. III. 16.), Clemens Alex. (stromatum III. 4. 11.), Tertullianus (de coron. c. 6., adv.

Prax. c. 13.), et subsequi Patres et scriptores omnes. Etiam haeretici, uti: Basilides, Valentinus et Marcion ad eam frequenter respiciunt. — Imo ipsa cogitandi ratio, tractandi methodus et dictio, prouti et adjuncta, quae in hac epistola de auctore ejus commemorantur, clare docent, auctorem epistolae esse apostolum Paulum.

Integritas epistolae (nimirum cap. 15. et 16.) a pluribus est impugnata, et quidem ideo:

1. Quia, teste Origene, haec capita in Marcionis codice defuerunt;

2. quia codices in collocanda doxologia (16, 25—27.) inter se discrepant, quum alii eam ad finem capitis 16. contineant; alii vero cum lectionariis graecis et nonnullis versionibus post finem capitis 14.; alii eam in utroque loco habeant; alii eam plane omittant.

3. Quia faustorum apprecatio ter occurrit, et proinde toties epistolae finis indicatur (15, 33; 16, 20. 24.), quod ineptum videtur.

Quapropter alii haec duo capita appendices habuerunt a s. Paulo serius additas; alii c. 16. appendicem, c. 15. vero postscriptum declararunt, serius epistolae adpositum; alii hoc de utroque capite asseruerunt; alii tandem utriusque capitis originem Paulinam negarunt. Sed utrumque caput est genuina epistolae pars. Nam a) omissio in Marcionis codice nullius est momenti, quia, eodem Origene teste, Marcion s. libros pro libito suo tractavit et mutilavit. b) Quod diversitatem codicum respectu doxologiae attinet, illa sufficienter explicatur e praelectionibus ecclesiasticis. Quum enim c. 16. nihil contineat, quod ad auditorum institutionem aut aedificationem moralem promovendam esset aptum, in conventibus sacris non praelegebatur; attamen, ne perpulchra doxologia ad finem c. 16. omitteretur, et quum c. 15. jam apto modo finiretur, (nimirum faustorum apprecatione), adponebatur ad finem c. 14, et primum in margine adnotata, serius textui ipsi inserebatur. Dum itaque doxologia illa in codicibus, qui ad usus ecclesiasticos non erant destinati, locum suum competentem, i. e. ad finem c. 16. occuparet, — in libris, qui praelectionibus publicis inserviebant, jam post c. 14., jam post c. 16., ergo bis est scripta. Quae codicum diversitas dein alios librarios permovit, ut doxologiam illam plane omitterent. c) Triplex faustorum apprecatio facile explicatur, si statuitur, apostolum revera saepius habuisse

consilium, epistolam suam finiendi. Si tandem tam multos nominatim salutat, id facile inde explicatur, quia eos in Asia aut in Graecia (unde Romam profecti sunt) cognoscere poterat; ni dicamus, plures ei innotescere potuisse aliorum narrationibus. [1])

Sectio I. theoretica (dogmatica) a c. I—II.

Pars I.

De justitia ex fide in Jesum Christum (1, 1—5, 21.).

Caput I.

Argumentum. Praemisso exordio (1—17.), in quo apostolus praemissa dedicatione et salutatione consueta (1—7.), Deo gratias agit pro fide lectorum et magnum suum eos videndi desiderium manifestat (8—15.), aperit in fine hujus exordii (16. 17.) praecipuum hujus epistolae thema, dicens: evangelium esse virtutem Dei ad salutem omni credenti, Judaeo et ethnico, quia in eo manifestatur via ad salutem, nimirum per fidem, quae justitia ex fide ab omnibus quaerenda est, quia omnes homines, tam gentiles, quam Judaei, sunt impii, injusti, peccatores (18.). Id probat primum de gentilibus (19—32.), qui cognitionem Dei e mundo creato eis revelatam propria culpa amiserunt atque hinc in turpissimam idololatriam et mox in alia nefaria scelera delapsi sunt.

V. 1. *„Paulus, servus Jesu Christi.“* Causa, cur apostolus nomine Paulus et non Saulus utatur, sita est in consuetudine Judaeorum, qui inter Graecos Romanosque versantes, nominibus Judaicis vel prorsus abstinere, vel saltem ea aliquando immutare solebant, et graecae romanaeque linguae conformabant. Apostolus noster scil., ut permulti putant, jam a nativitate sua utrumque habuit nomen. Quamdiu igitur inter Judaeos vixit, usus est nomine Saulus; quamprimum autem itinera inter gentiles susceperat, adhibuit qua civis romanus nomen suum romanum: Paulus (contractum ex voce: parvulus, ad quam nominis significationem fors alludit verbis (1. Cor. 15, 9.): minimus apostolorum.).

---

[1]) Cf. Güntneri Introductio in ss. N. T. libros, pag. 279.

Similis casus adest in evangelista Marco. Nomen ejus hebraeum est: Joannes; ast quum ad gentiles itinera suscepisset, nominatur in s. scriptura solo nomine romano: Marcus (Act. 15, 39.). — Alii vero putant, causam hujus quaerendam esse in transitu ad novam religionem; nam (coll. Act. 13, 9.) post conversionem apostoli hujus prima vice legitur: Paulus, ut signaretur epocha vitae ejus, qua accepit novam religionem. Sed prior sententia praeferenda est. — Servus (δοῦλος). Homo juxta doctrinam scripturae s. nunquam sui juris est, sed semper certo dominio subditus. Antequam fit christianus, subditus est in ethnicismo Satanae, in Judaismo autem legi Mosaicae. Per susceptam vero fidem in Jesum Christum, ergo qua christianus, consecrat se per baptismum Christo, qui Dominus saepissime in N. T. dicitur, ejusque praecepta ex amore servaturum se esse promittit; verbo: homo per fidem fit servus Christi. Attamen in inscriptionibus s. Pauli aliorumque apostolorum vox haec (servus) praeter generalem notionem, qua omnes christiani sunt servi Christi, etiam adhuc specialem complectitur, ut scil. significet illam servitutem, qua tanquam Dei ministri et legati in praedicando Jesu Christi evangelio servierunt. Ita et h. l. — De vocibus: Jesus, Christus conf. commentar. in evang. s. Joan. pag. 3. — *„Vocatus apostolus“*. Verbis his et sequentibus explicat, in quo sit servus Christi, scil. vocatione missus ad praedicandum Christi evangelium in toto mundo. — (κλητός) adjectivum verbale (a καλεῖν vocare), vocatus, i. e. vocatione nimirum apostolus. Dicit s. auctor hoc de se ideo, ut moneat, se munus apostolicum non sibi arrogasse (aut per hominem fuisse constitutum apostolum), sed a Christo illud sibi esse demandatum. Vocare (καλεῖν) in N. T. saepe dicitur de invitatione seu vocatione ad beatitatem aeternam per professionem religionis christianae seu per fidem in Christum obtinendam (Matth. 20, 16; 22, 14.); speciatim vero adhibetur de vocatione ad munus apostolicum, ut h. l., ubi additum est: apostolus. Primum tribui solet in N. T. Deo (Patri), alterum Christo (Marc. 3, 13. Tit. 1, 1.), ita tamen, ut fiat secundum voluntatem Dei. Primos apostolos vocavit Christus, dum his in terris versabatur, ante suam passionem; Paulum vero mox post suum in coelum reditum, sed aeque immediate (Act. c. 9. 1. Cor. 15, 8.); hinc recte nomine apostoli se appellat. — Apostolus (ἀπόστολος ab ἀποστέλλω mitto) generatim est omnis legatus, missus cum mandatis ad expedienda negotia. In libris N. T. vero apostoli per eminentiam vocantur illi religionis christianae doctores, quos

Christus e reliquorum discipulorum numero electos, perpetuos sibi conjunxerat comites, quibus demandaverat munus religionem ipsius inter Judaeos et ethnicos propagandi. — *„Segregatus“*, nimirum divino decreto e reliquorum hominum numero (Act. 9, 15; 13, 2.). — *„Ad evangelium Dei“*, i. e. ad portandum ad omnes gentes laetum nuncium de Messia et de salute per eum. Vox εὐαγγέλιον (ex εὖ, bene, ἄγγελος, nuncius) apud scriptores classicos ponitur de praemio, quod datur afferenti laetum nuncium; dein de ipso laeto nuncio cujuscunque generis. In novo Testamento, quia Judaeis nullus nuncius magis laetus erat, quam de Messia et regno ejus, vox illa designat per eminentiam: laetum nuncium de Messia, de Messiae regno; historiam Jesu Messiae, doctrinam Messianam, i. e. doctrinam vel de Messia, vel Messiae, et quidem vel omnem, vel aliquam ejus partem. — Genitivus: Dei est genitivus originis, ergo evangelii, cujus auctor est Deus.

V. 2. *„Quod promiserat per prophetas suos in scripturis sanctis“*, i. e. quod laetum nuncium (seu salus in Christo), quamvis nunc demum apparuerit et per apostolos praedicatum sit, jam olim per prophetas a Deo promissum et in scripturis V. F. consignatum erat. — Verbis hisce docet s. Paulus universalem indolem, catholicitatem religionis christianae respectu temporis, atque unitatem antiqui et novi Foederis. Ex his verbis autem simul elucet, omnes prophetias V. F. Deum habere auctorem. — προεπηγγείλατο aor. I. med. a προεπαγγέλλω, ante annuncio; in N. T. in medio, ut hic loci, promitto.

V. 3. *„De Filio suo“*. Pertinent verba haec ad praegressa: ad evangelium Dei, ita ut sensus sit: ad evangelium, cujus objectum est Filius Dei (secundum utramque naturam). — Formula: filius Dei jam in V. T. usurpatur de regibus, magistratibus et omnino de omnibus, qui Dei locum inter homines tenere credebantur (ps. 81, 6. Jerem. 31, 20.); etiam de populo Israël adhibetur. Speciatim vero in N. F. dicuntur christiani, vere tales, filii Dei (cf. dicta 8, 14.). Ast longe eminentiori ac sublimiori sensu Filius Dei nominatur Jesus Messias in N. F., quatenus vocatur apud Joannem (1, 18.) unigenitus Dei Filius, qui est in sinu Patris, cui existentia aeterna, creatio mundi adscribitur, et qui expresse Deus appellatur (Joan. 1, 1. 2.), qui tandem homo factus est (Joan. 1, 14.). Eandem prorsus doctrinam exhibet s. Paulus de Jesu Christo, quum etiam ipse Jesum vocat proprium Dei Filium (Rom. 8, 32.), ei adscribit existentiam aeternam et creationem

(Col. 1, 15. 16. Hebr. 1, 13.), eum dicit Dominum tum novi regni divini, tum omnis creaturae (Col. 1, 18—20; 2, 9. 10. 1. Cor. 15, 24.), imo ipsum Deum eum appellat (Rom. 9, 5. 1. Tim. 3, 16.). Quotiescunque itaque formula: Filius Dei in N. T. adponitur verbis: Jesus Christus, inservit clarius determinandae significationi nominis istius, manifestandae dignitati summae divinaeque naturae ejus, qui voce Christus designatur. — *„Qui factus est ex semine David secundum carnem"*; i. e. ille, qui ab aeterno erat Filius Dei ex substantia Patris, factus est secundum naturam humanam ex progenie (posteritate) Davidis, nimirum ex substantia Mariae Virginis, Davidicae stirpis, idque Spiritus s. virtute (Matth. 1, 18. 20.). — *κατὰ σάρκα. σάρξ* denotat primo carnem, i. e. massam ossibus molliorem, sanguine perfusam; dein corpus humanum; per metonymiam: naturam humanam, hominem, tandem naturam humanam sensualem, animalem, quatenus ex peccato originali concupiscit adversus spiritum. Hic loci verba: secundum carnem denotant: secundum naturam humanam, seu: quatenus homo erat; seu: si humanam ejus spectes naturam. Id elucet ex eo quod verba Joannis (1, 14.): *καὶ ὁ λόγος σάρξ ἐγένετο,* de conjunctione divinae naturae cum natura humana in Christo accipi debeant; dein, quia scriptura s. de spirituali profectu humanae in Christo naturae loquitur (Luc. 2, 52.), eique puros humanos affectus tribuit, uti gaudii, commiserationis, indignationis, tristitiae etc.; imo s. Paulus aperte dicit (Hebr. 2, 17; 4, 15.), ipsum per omnia hominibus similem factum esse, excepto peccato, quae omnia soli corpori tribui minime possunt.

V. 4. *„Qui declaratus est Filius Dei in virtute"*; i. e. qui, etsi secundum naturam humanam sit filius Davidis, tamen declaratus est Filius Dei potenter. Verba *ἐν δυνάμει* sunt adverbialiter sumenda: potenter. Cf. Col. 1, 29. 2. Thess. 1, 11. — *„Secundum Spiritum sanctificationis."* Verba haec, quum sint opposita verbis: secundum carnem, non possunt intelligi de Spiritu sancto, sed de divina in Christo natura. Nam *πνεῦμα ἁγιωσύνης* est ex hebraismo dictum pro *πνεῦμα ἅγιον,* quae verba autem non sunt speciatim de Spiritu sancto, de tertia in Deitate persona intelligenda, sed generatim de Deitate, uti saepe in s. scriptura Deus in oppositione ad hominem, qui est *σάρξ,* simpliciter *πνεῦμα* (spiritus) dicitur (Joan. 4, 24.). Ita etiam divina in Christo natura dicitur *πνεῦμα* (1. Tim. 3, 16.), et *πνεῦμα αἰώνιον* (Hebr. 9, 14.). Juxta hanc explicationem verbum *ὁρίζειν* sumendum est cum s.

Chrysostomo significatu: declarare, demonstrare. Hinc sensus est: Qui potenter declaratus est Filius Dei secundum naturam ejus divinam (quae Spiritus est.). — *„E resurrectione mortuorum,“* i. e. per resurrectionem suam a mortuis. Praepositio ἐκ h. l. uti saepe alias (3, 20.) valet: per. —

Resurrectio Christi a mortuis revera erat documentum Messianae et divinae ejus dignitatis: quia de Messia praedictum erat, fore ut a morte redeat in vitam (Act. 2, 24; 13, 32.); — quia Christus, licet in diversis s. scripturae locis, quatenus est homo, dicatur a Deo revocatus fuisse in vitam, tamen etiam, quatenus est Deus, sua potestate vitam recepisse perhibetur (Joan. 10, 19.); — et quia resurrectio Christi erat documentum et sigillum quasi veritatem doctrinae ejus confirmans; atqui doctrinae ejus pars erat doctrina illa, qua se Filium Dei esse, divinam sibi inesse naturam docebat. Etiam apostoli docent, resurrectionem Christi a mortuis esse certissimum summae dignitatis Christi documentum firmissimumque fidei christianae fundamentum, quo concusso ipsa fides vana esset et inanis (Act. 1, 22; 2, 27. 31; 13, 35. Rom. 6, 9. 1. Cor. 15, 3—20. 1. Petr. 1, 3; 3, 21.). — Nonnulli interpretes, Theodoretum secuti, ἐν δυνάμει metonymice exponunt de miraculis, πνεῦμα τῆς ἁγιωσύνης de Spiritu sancto, ἐκ vero sumunt ut praepositionem temporis, ex quo, ita ut idem valeat ac: inde a, atque hunc statuunt sensum: Qui declaratus est Filius Dei per miracula, virtute Spiritus s. ad ipsius nominis invocationem patrata, ex quo a mortuis resurrexit. — Et iterum alii s. Chrysostomum secuti, statuunt, ab apostolo hic tria proferri argumenta, quibus Christus declaratus est Filius Dei, et verba apostoli ita exponunt: Qui .. declaratus est Filius Dei per potentiam miraculorum, quae patravit, per Spiritum s., quem dedit credentibus in se, et per resurrectionem mortuorum, qua se ipsum suscitavit e mortuis. — Quia expositio altera statuit, Christum coepisse declarari Filium Dei inde a resurrectione, quum id jam antea in ejus nativitate, baptismo et transfiguratione factum esset; — tertia vero explicatio rerum ordinem turbat, quum effusionem Spiritus s., quae juxta hanc interpretationem putatur significari per voces: secundum Spiritum sanctificationis (quod haud credibile est) ponat ante Jesu Christi a mortuis resurrectionem, — ideo prima expositio ob suam simplicitatem et facilitatem praeferenda videtur. — Vulgata vero et Patres latini ita habent: Qui praedesti-

natus est Filius Dei etc. ut sensus sit: Qui (Christus) ut homo ab aeterno praedestinatus est a Deo ad hypostaticam cum Logo unionem, ergo ad verum, naturalem Filium Dei. Ast explicationi huic non tantum obstat verbum ὁρίζω, quod in s. scriptura nusquam significat praedestinare, sed etiam verba sequentia: in virtute secundum Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum, quae, stante illa, haud apte exponi possunt; quod jam inde potest intelligi, quia interpretes latini in illis explicandis maxime divergunt, et ideo, ut aptus prodiret sensus, verbis s. Pauli aliquid addere debent, v. c. et ut talis patuit tum per potentiam miraculorum, tum etc.. — *„Jesu Christo, Domino nostro."* Verba haec nectuntur cum praecedentibus (v. 2.): de Filio suo, et quod interjacet, parenthesi includendum est. — Christus dicitur Dominus, quatenus ille per suam obedientiam usque ad crucis mortem Patri praestitam nos e servitute diaboli, peccati et mortis redemit sibique vindicavit in novo regno suo in populum peculiarem, cujus proinde, quatenus homo, Dominus effectus sit; et quatenus ei ad dexteram Dei exaltato Pater omnia subjecit (Ephes. 1, 19. Col. 1, 18.). — Ceterum verbis: Jesus, Christus, Dominus designat apostolus Christum in ejus triplici relatione. Jesus (salvator) dicebatur secundum naturam humanam; Christus (unctus) ut Messias; Dominus secundum naturam divino-humanam in relatione ad nos.

V. 5. *„Per quem accepimus gratiam et apostolatum;"* i. e. a quo (Christo) accepi gratuito beneficium apostolatus. *χάριν καὶ ἀποστολὴν* est hendiadys pro: *χάριν τῆς ἀποστολῆς*, gratiam apostolatus. Vocat vero apostolatum gratiam, quia sine ullo merito sola gratia Dei ei contigerat. — *„Ad obediendum fidei in omnibus gentibus".* Vox *πίστεως* est genitivus non subjecti, quasi sensus sit: ad obedientiam, quam fides efficit; sed est genitivus objecti, quasi diceret: ad faciendum obedire fidei; et quum per fidem h. l. metonymice (effectus pro causa) intelligenda sit praedicata doctrina fidei, seu doctrina christiana, sensus est: Ut omnes nationes (ergo etiam vos Romanos) ad obsequium doctrinae christianae, vita moribusque praestandum, perducerem. — Ex hisce sequitur, fidem non esse solummodo actum intellectus, sed etiam voluntatis. — *ὑπακοή* nomen verbale (ab *ὑπακούω*, aures praebeo ad audiendum) est: auscultatio, et inde: obedientia, obsequium. — *ἔθνη* h. l. gentes, nationes omnes, Judaeis non exclusis. — *„Pro nomine ejus",* i. e. propter gloriam ejus dilatandam, scil. accepi beneficium apostolatus. — Eo enim, quod homines in Christum

crederent doctrinaeque ejus vita et moribus obsequium praestarent, gloria Christi dilatata est.

V. 6. *„In quibus etiam vos estis.“* Verbis his innuit, ab ipsis etiam monita ejus atque institutionem esse suscipiendam, quia et ipsi ad illos populos pertineant, ad quos edocendos munus suum acceperat. — *„Vocati Jesu Christi,“* i. e. Dei vocatione discipuli Jesu Christi effecti, seu Dei vocatione christiani. — Genitivus: Jesu Christi est genitivus possessoris (ut Philem. v. 1.), quia vocatio ad fidem constanter Deo Patri tribuitur.

V. 7. *„Omnibus, qui sunt Romae, dilectis Dei, vocatis sanctis.“* i. e. omnibus fidelibus Romanis, Deo caris et gratuitae vocationis ejus beneficio sanctis. — *ἅγιος*, ut Hebraeorum: Kadosch, universim denotat: a communi usu et consuetudine segregatus ac Deo consecratus. Quare etiam in V. T. populus Israël hocce praedicato ornatus erat, utpote quum Deus illum ex omnibus populis ceteris elegisset et segregasset atque inito cum illo foedere sibi consecrasset. In N. T. autem sancti dicuntur christiani, quatenus ex tota Judaeorum infidelium et gentilium multitudine segregati et Deo consecrati sunt, ut nimirum a peccatis mundati et cum Deo uniti, vitam agant sanctam. — *„Gratia vobis et pax,“* scil. sit, vel detur et multiplicetur. Gratia (*χάρις*) et pax (*εἰρήνη*) veluti causa et effectus inter se cohaerent; sicut in dono aliquo causa doni est amor donantis, ipsum autem donum illius causae veluti effectus, ita gratia, quae hic est Dei favor, benevolentia, amor erga homines, est causa, principium omnium, quae ex hoc favore et amore Dei sequuntur; ergo causa, principium omnium bonorum, quae per Christum nobis christianis, favore et benevolentia Dei, in religione christiana contingunt (ut illuminatio, remissio peccatorum, sanctificatio, corroboratio, glorificatio). Summus flos atque effectus, seu finis hujus gratiae est pax, scil. interna, quae est hominibus in Deo et cum Deo, quam mundus nec dare, nec auferre potest. (Cf. commentar. in Joan. 14, 27.). Optando igitur principium (gratiam) et finem (pacem) omnium bonorum spiritualium, optat, ut ait s. Thomas, apostolus omnia bona, quae sunt inter haec duo extrema. — *„A Deo Patre nostro“*; i. e. auctore Deo Patre, cujus nos filii (adoptivi) sumus per gratiam.

„Et Domino Jesu Christo,“ scil. auctore et largitore, aeque ut a Deo Patre; nam verba haec pendent ab *ἀπὸ*. Addit hoc, quia aditum ad Patrem habemus per Filium tantummodo. — Ex his apostoli verbis s. Patres recte ostendebant Christi divinitatem

et cum Patre quoad essentiam aequalitatem, quia largitio gratiae et pacis Christo aeque ac Deo Patri tribuitur.

Nunc a v. 8—17. captat Romanorum benevolentiam, primo gratias agens Deo ob illorum fidem in toto mundo celebrem, ac manifestans desiderium suum eos videndi atque adeundi, enuncians praecipuum thema epistolae, evangelium scil. esse virtutem Dei in salutem omni credenti.

V. 8. *„Primum quidem gratias ago Deo meo.“* Deo meo; in hoc est filialis pietatis et amoris expressio. Deum dicit suum, ob ipsius gratiam et benignitatem singularem, quam expertus est; dein quod ipsum veneretur seque totum voluntati ejus dedicaverit. — *„Per Jesum Christum“*, i. e. auctore Jesu Christo (scil. gratias ago). — Nam sicut a Deo omnis gratia nobis datur per et ob Jesum Christum, qui ut Deus-homo et redemtor est mediator inter Deum et homines, per quem, nostrum summum sacerdotem, solummodo accessum ad Patrem habemus, ita etiam per Christum omnis gratiarum actio a nobis reddenda est Deo. Quapropter etiam ecclesia omnes orationes concludit verbis: Per Dominum nostrum J. Ch. — *„Pro omnibus vobis“*, i. e. vestrum omnium causa (nullo facto discrimine Judaeo-christianos inter et ethnico-christianos). — *„Quod fides vestra praedicatur in toto mundo“*; i. e. quod videlicet vestrae christianae fidei professio toto orbe celebratur. Vox πίστις h. l. subjective sumenda de professione christianae religionis.

V. 9. *„Testis enim meus est Deus“*; i. e. per Deum contestor, me verum dicere. — *„Cui servio in spiritu meo in evangelio Filii ejus“*; i. e. cui tanquam minister servio sincera mente in evangelio Filii ejus praedicando et propagando. — *„Quod sine intermissione memoriam vestri facio“*, scil. in orationibus meis. Hoc est unum ex duobus, quae Deo teste invocato, Romanis affirmat. ἀδιαλείπτως, sine intermissione, hyperbolice dictum pro: assidue.

V. 10. *„Semper in orationibus meis orans, si forte aliquando per Dei voluntatem tam felix sim, ut veniam ad vos“*; quasi diceret: Semper Deum inter alia orans, ut juxta vehemens meum desiderium ipsi placeat, iter meum quamprimum ad vos dirigere et prosperare. — Verbis his alterum illud continetur, quod cum juramento Romanis affirmat. Adverbiorum εἴπως ἤδη ποτὲ congeries denotat ardens Pauli desiderium, simulque animum apostoli divinae voluntati plane submissum. —

εὐοδωθήσομαι fut. I. med. ab εὐοδόω feliciter duco; in medio: successum facio, felix sum, ut h. l.

V. 11. *„Desidero enim videre vos, ut aliquod impertiar donum obis spirituale ad confirmandum vos“;* i. e. magno desiderio teneor, vos videndi, ut communicem vobiscum aliquod donum ex iis, quae accepi, quo vos in fide confirmem. — *χάρισμα*, effectus *τῆς χάριτος*, est quodlibet donum gratuitum; h. l., uti e versu sequenti elucet, est sermo sapientiae, sermo scientiae et donum prophetiae (coll. 1. Cor. 12, 8—10.), quae Paulus in utilitatem ecclesiae acceperat, quorum usu, scil. docendo, exhortando et consolando, Romanis christianis prodesse poterat. — *στηρίζω* confirmo.

V. 12. *„Hoc autem est, ut simul confirmer inter vos per communem fidem, vestram et meam“.* Quum scilicet prius (v. 11.) dixisset apostolus, ad confirmandum vos, verbis hujus versus, ne arrogantius loqui videretur, significat, se loqui de mutua quadam confirmatione, qua fieret, ut et ipse vicissim ab illis confirmaretur. Ecclesia scil. est vivus organismus, est corpus (Christi mysticum), cujus singula membra sunt in arctissimo nexu et sibi invicem inserviunt, uti membra corporis naturalis. Episcopus corroborat docendo, exhortando et consolando vitam fidelium in fide, ac iterum episcopi vita in fide accenditur et crescit per vivam fidelium fidem. Verba haec simul docent magnam Pauli modestiam.

V. 13. *„Nolo autem vos ignorare fratres, me saepe consilium ad vos veniendi cepisse, (et prohibitum esse usque huc).* — Verbis his significat, se non tantum desiderasse eos adire, sed etiam consilium cepisse eos adeundi, simulque se excusat, cur desiderio nondum satisfecerit; impeditus enim erat evangelio in aliis regionibus praedicando. Phrasis: *οὐ θέλω ὑμᾶς ἀγνοεῖν* saepe occurrit in epistolis s. Pauli, et denotat: scire vos volo, seu: memores vos esse volo. *ἀδελφοί* (fratres). Vox haec latiori significatu denotat saepe homines quoquo modo sibi conjunctos, sive vinculo originis (ergo consanguineos popularesque), sive vinculo religionis ejusdem; ideo in N. T. christiani saepe vocantur *ἀδελφοί* (fratres), nonnunquam: *ἀδελφοι ἐν κυρίῳ* (fratres in Domino). — *„Ut aliquem fructum habeam etiam in vobis, sicut et in ceteris gentibus“;* quasi diceret: (Consilium ad vos veniendi saepe habui ideo) ut etiam inter vos, sicut inter alias gentes fructum aliquem apostolici laboris habeam, doctrinam nimirum vobis ab aliis traditam, continuando, augendo et corroborando. — Adest hic sermo metaphoricus, a satore desumptus. Paulus est sator; mundus gentilis est ager; fideles singuli sunt fructus, quem apostolus ultimo non sibi, sed Christo colligit, qui autem ipsi etiam utilitati est ob praemium aeternum, quod ejus causa recipit.

V. 14. *„Graecis ac barbaris, sapientibus et insipientibus debitor sum"*; quasi diceret: Ex injuncto mihi munere apostolico omnibus, sine ullo aut gentis aut culturae discrimine, debeo doctrinae ministerium. — *ἕλλην* est Graecus, i. e. homo e Graecia oriundus aut Graeciae incolis annumerandus, ut h. l. Si vero *Ἕλληνες*, ratione habita originis aut religionis, opponuntur Judaeis (ut Rom. 2, 9; 10, 12. Gal. 2, 15.), denotat vox illa gentiles (v. 16.). *βάρβαρος* primitus dicebatur, quia alia loquebatur lingua (1. Cor. 14, 11; Act. 28, 2—4.). Graeci hoc nomine compellabant exteros, quin saepius aliud voce hac designarent, quam hominem aliena lingua utentem (Herodot. 2, 158. Ovid. Trist. 5, 10. 37.). — Apud Philonem Alex. ipsi Judaei barbarorum nomine compellantur, quod certe indicio est, vocem hanc non semper contemtus causa fuisse adhibitam. Potuit ergo et Paulus voce hac uti de Romanis (tanquam non Graecis), quin eos offendere vellet. — *σοφοί* (sapientes) sunt apostolo saeculari philosophia imbuti; insipientes (*ἀνόητοι*) vero imperiti, qui illa carebant.

V. 15. *„Ita, quod in me, promptum est, et vobis, qui Romae estis, evangelium praedicare"*. Vult dicere: Itaque, quantum in me est, paratus sum, seu vehementer cupio, etiam vobis Romanis laetum salutis in Christo nuncium praedicare. *οὕτω* sic, ita; sed h. l. vim habet illationis: itaque, quia scil. omnibus doctrinae ministerium debeo. — *τὸ πρόθυμον* a *πρόθυμος* promptus, paratus; h. l. neutrum cum articulo idem ac *προθυμία*, promptitudo. — *εὐαγγελίζειν*, uti in medio, h. l. notat laetum salutis nuncium praedicare.

V. 16. *„Non enim erubesco evangelium"*; quasi diceret: Licet Jesus Christus crucifixus Judaeis sit scandalum, et gentilibus stultitia reputetur (1. Cor. 1, 18—31.), non me propterea pudet illius evangelii seu illius annunciationis de Christo crucifixo et opere ejus redemptorio. — Per evangelium intelligitur ipsum praedicationis apostolicae objectum, doctrina evangelii, annunciatio de Christo crucifixo et opere ejus redemptorio, seu nova gratiae oeconomia cum omnibus suis doctrinis, institutis et charismatibus. — *„Virtus enim Dei est in salutem omni credenti"*; i. e. quia in se continet (scil. doctrina evangelii) vim salvandi seu salutem conferendi omni credenti, tum inchoatam in justificatione, tum completam in aeterna beatitudine. — Hic jam aggreditur s. Paulus materiam hujus epistolae principalem, eamque totam hac ipsa sententia brevissime complexus est. — Vocat evangelium ipsum potentiam seu virtutem, quia in se continet et manifestat vim salvandi

seu manifestat viam, quae ad salutem ducit; addit Dei (θεοῦ, genitivus originis), quia Deum habet auctorem; seu quia est virtus, qua ipse Deus operatur. — Per σωτηρίαν intelligit Paulus omnem per Christum nobis paratam salutem, quae hac in vita inchoatur in justificatione et sanctificatione, in altera autem beatitate aeterna perficitur. — „*Judaeo primum et Graeco*", i. e. Judaeis potissimum et gentilibus. —

Distribuit apostolus totam hominum universitatem bipartite, in Judaeos et gentiles. — πρῶτον, Judaeo primum, potest bifarie intelligi; vel: primum Judaeo, quia prius tempore annunciatum est evangelium Judaeis, quam gentilibus; vel autem πρῶτον (primum) est idem ac: potissimum, ac si diceret apostolus: Judaeis potissimum, quia promissio salutis per Christum dandae, non gentilibus, sed Judaeis facta erat. Explicatio altera ob alia loca (c. 3. 9. 11. 15.), in quibus de Judaeorum praerogativa agitur, praeferenda est. — ἕλλην, Graecus; sub hoc nomine (ceu pars pro toto) intelliguntur juxta usum loq. scripturae omnes gentiles, ideo quia lingua graeca per omnes gentes maxime esset communis; nam inde ab Alexandri M. tempore pleraeque gentes graece loquebantur.

V. 17. „*Justitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem*". — δικαιοσύνη θεοῦ potest vel significare aliquid, quod in Deo est (ita ut sit θεοῦ genitivus subjecti, possessoris) scilicet justitiam, qua Deus justus est; vel vero aliquid, quod a Deo est, quod Deo auctore et largitore contingit (ita ut θεοῦ sit genit. auctoris, originis), scil. justitiam, qua Deus hominem justum facit (conf. 3, 30; 4, 5.). — Alterum praeferri debet; quia δικαιοσύνη haec dicitur apparere (ἀποκαλύπτεται), adesse per fidem (διὰ πίστεως), quod de divina proprietate dici non potest. Vox δικαιοσύνη derivatur a verbo δικαιόω, quod sensu forensi denotat: justum declaro (i. e. aliquem eum esse judico, in quo nihil sit vituperii), culpae expertem habeo aliquem, absolvo aliquem; dein notat: justum facio (justifico), i. e. impertio alicui τὴν δικαιοσύνην, seu impertio ei remissis peccatis internam sanctificationem. Nam in justificatione, uti concilium Tridentinum (sess. VI. c. 7.) docet, cum remissione peccatorum simul sanctificationem et renovationem interioris hominis accipit homo per fidem ob merita Christi, simulque evadit filius Dei et haeres vitae aeternae. Hinc δικαιοσύνη est ille status hominis, quo Dei beneficio per fidem ob merita Christi a peccatis eorumque poenis liberatur, interne renovatur et sanctificatur, filius Dei et haeres vitae aeternae evadit; seu: est translatio

ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adami, in statum gratiae et adoptionis filiorum Dei per secundum Adamum, Jesum Christum; verbo: justificatio (die Rechtfertigung). — Nam juxta doctrinam s. Pauli sunt omnes homines impii, injusti, peccatores (ἄδικοι). Omnes, Judaei et gentiles, sunt peccatores, et ideo filii irae Dei. Ex hoc statu misero (τῆς ἀδικίας) homo non valet se liberare; etiam per legem non potest veram nancisci δικαιοσύνην. Nam homo suis viribus in praesenti naturae lapsae statu non potest legem implere; potius lex suis prohibitionibus et mandatis in homine lapso et ad peccandum prono praebet occasionem ad peccandum, quum excitet concupiscentiam ad peccandum. Miseri hominis, qui continuo vixerat in dissidio cum Deo et secum, Deus misertus est, nobisque e gratia in Christo veram donavit δικαιοσύνην. Christus scilicet sacrificio mortis suae delevit culpam generis humani; et ipse Spiritum s., qui post lapsum primi hominis a genere humano discessit, nobis iterum promeruit. Et hic Spiritus s., quum charitatem in corda nostra effundit atque ita voluntatem purgat et corroborat, nos aptos reddit, ad voluntatem Dei faciendam, i. e. ut revera interne justi et sancti evadamus. Si enim homo a peccatorum culpa liberatus est, sponte et quasi necessario gratia sanctificans, seu Spiritus sanctus in ejus cor profluit, uti aër omne spatium vacuum penetrat. — Verba ἐκ πίστεως (ex fide) nominant fontem, unde illa δικαιοσύνη oritur; εἰς πίστιν in fidem, i. e. ad fidem, nimirum venit δικαιοσύνη per fidem. Dum dicitur: ad fidem, cogitatur fides in subjecto, ita ut verbis his designetur subjectum fidem habens, credens; hinc εἰς πίστιν, abstractum pro concreto, idem ac: εἰς τὸν πιστεύοντα, ad fidem habentem, seu credentem. Veritas explicationis confirmatur verbis capitis 3. (v. 22.), ubi pro nostro abstracto (εἰς πίστιν) legitur concretum: εἰς τοὺς πιστεύοντας. Analogus est usus vocis περιτομή vel ἀκροβυστία de illis, in quibus est περιτομή vel ἀκροβυστία (Cf. Gal. 3, 22.). — πιστεύω et πίστις s. Paulo non est sterilis assensus religioni christianae ejusque veritatibus praestitus, sed est illa in animo (in intellectu) hominis per divinam gratiam effecta persuasio firma, de redemptione in Christo nobis donata, quae sit omnis cogitandi, sentiendi agendique rationis, omnis vitae principium movens et dirigens, seu fides per charitatem operans. Talis fides non tantum est radix et fundamentum justificationis (Concil. Trid. ses. VI.), sed intime Christo unit, seu, uti postea (3, 28.) dicit, hominem justificat. — Dicit apostolus revelatur, scil. in evangelio (in religione christiana), quia religio christiana rem prius

incognitam, praeter naturae ordinem hominibus patefecit, docens, hominem per fidem posse justitiam a Deo consequi. — Verbis versus 17. vult itaque apostolus dicere: Justitia, qua Deus hominem justum facit, et quae in religione christiana patefacta est, oritur ex fide, et a Deo confertur omni credenti. — *„Sicut scriptum est: Justus ex fide vivet"*; i. e. habebit vitam aeternam. Vulgata habet praesens tempus: vivit,* i. e. habet vitam aeternam, scil. in germine, seu salutem inchoatam, quae posita est in gratia justificationis. Verba haec desumpta sunt ex propheta Habacuco (2, 4.), eaque s. Paulus citat, ut obiter innuat, suam de justitia ex fide obtinenda doctrinam consentire cum s. scripturae effatis, minimeque esse novam. Propheta scil. valde tristis ob victoriam impiorum (Chaldaeorum) reportatam de piis (Judaeis), sperat vindictam divinam atque exspectat responsum Jehovae. Ostenditur ei in revelatione visio (ein Gesicht), quam post multum tempus implendam, scribere jubetur. Dein addit Jehova: „quae (scil. visio), etiam si tardaverit, exspecta eam; nam veniens veniet et non tardabit" (i. e. judicium divinum omnino implebitur). Verba haec ultima, quae in textu hebraeo respiciunt ad visionem (judicium divinum), Septuaginta versores vertendo: *ὁ ἐρχόμενος ἥξει καὶ οὐ χρονιεῖ,* referebant ad primum Messiae adventum, dum s. Paulus ea explicat de altero Christi adventu in fine mundi. Utrumque poterat ita sumi, quia speciale Jehovae judicium de Chaldaeis erat typus atque praeludium judicii universalis, quod in primo Messiae adventu, superando peccatum vimque ejus destruendo et frangendo potestatem diaboli (coll. Joan. 3, 19; 8, 12; 12, 31; 16, 8. 11.) initium sumpsit, ad finem vero perducetur in altero adventu, quo perfecta et perpetua fiet discretio et punitio impiorum. Qui non credit certitudinem hujus judicii, peribit; nam apud prophetam legitur: „Ecce, qui incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso (i. e. hujus anima non est justa, non habet gratiam justitiae); justus autem in fide sua vivet" (juxta text. hebr.). Septuaginta vero habet: ex fide mea (*ἐκ πίστεώς μου*), et s. Paulus etiam *μου* omittit; sensus semper idem est, scil. justitiam et salutem esse obtinendam ex fide. Quum fides, de qua propheta loquitur, sit eadem cum illa, de qua loquitur apostolus, scil. fides, qua creditur Deo promittenti, et quum utrimque haec fides respiciat ad Christum, futurum judicem, merito poterat apostolus locum hunc adducere pro sua de fide doctrina. — Verba *ἐκ πίστεως* possunt conjungi cum voce *δίκαιος*, ita ut sensus sit: justus ex fide, seu per fidem factus

justus, veram (aeternam) vitam habebit; vel vero possunt connecti cum verbo ζήσεται, hoc sensu: justus salvabitur seu vitam veram (aeternam) habebit per fidem. Utrumque verum est; nam homo, qui per fidem factus est justus, nonnisi servata eadem fide genuina et efficaci usque ad finem vitae, beatus fieri, seu vitam aeternam consequi potest. Quum tamen s. apostolus h. l. (uti in epist. ad Galatas 3, 11.) docere vult, hominem justificari per fidem, atque ideo etiam ἐκ πίστεως opponit τῷ νόμῳ, (3, 20. 21. et Gal. 3, 11.), elucet, verba ἐκ πίστεως h. l. (et in epist. ad Gal.) rectius conjungi cum voce δίκαιος. — Nunc versu 18. incipit s. apostolus thema principale totius epistolae, scil. justitiam ex fide esse quaerendam, alia propositione confirmare, dum docet, omnes homines esse impios, injustos, peccatores, et per hoc irae Dei subjectos. Docet id primum de gentilibus hoc capite, dein de Judaeis (c. 2. et 3.), ubi demum ad principalem redit sententiam, justitiam esse ex fide petendam, et dein hanc facit conclusionem: Si omnes, tam Judaei, quam gentiles, peccato et irae Dei sunt obnoxii, non ergo ex lege, neque ex operibus exspectanda est justitia, sed gratis habetur per fidem, quae est in Christo.

V. 18. „*Revelatur enim ira Dei de coelo in omnem impietatem et injustitiam hominum.*" — Nexus hujus versus cum praegressis talis est: Versu praecedenti dixerat apostolus, in evangelio revelari justitiam, quae homini a Deo oritur per fidem, et quae homini veram tribuit vitam. Nunc (v. 18.) prosequitur atque dicit, ubi justitia Dei ex fide non est, ergo extra evangelium, ibi revelari iram Dei, quae mortem operatur. Ira (ὀργή) anthropopathice Deo adscribitur atque denotat, Deum summe sanctum, aversari, improbare impietatem et pro justitia sua eam poenis afficere; ergo justitiam Dei vindicativam, poenas de impiis et improbis sumentem. — Verbum ἀποκαλύπτεται h. l. simpliciter significat: manifestatur, palam fit (cf. Matth. 10, 26.), atque explicandum est de facta revelatione seu manifestatione justitiae Dei vindicativae, conspicua in eo, quod Deus, uti apostolus in sequentibus (v. 24. seq.) docet, gentiles in dedecorosa flagitia et alia enormia scelera in punitionem praecedentis eorum ingratitudinis prolabi permiserit; ita ut sensus sit: Nam Dei iram, poenas sumentem de coelo in omnes homines impios et improbos, ingruere, manifestum fit; seu: Justitia Dei vindicativa, poenas sumens de omnibus impiis et improbis hominibus, manifesta fit. Hinc non est opus, ut cum nonnullis (Estio, Beelen) ad vocem ἀποκαλύπτεται

ex praecedenti versu suppleatur: ἐν αὐτῷ, scil. εὐαγγελίῳ, ita ut sensus esset: In evangelio (in doctrina evangelica) revelatur ira Dei, dum in eo annunciantur poenae, quas Deus impiis et peccatoribus comminatur. ἀπ' οὐράνου conjungi debet cum ἀποκαλύπτεται (manifesta fit Dei ira de coelo), quia coelum tanquam sedes Dei consideratur. Per ἀσέβειαν omne intelligitur, quidquid committitur adversus cultum et religionem Dei (irreligiositas); per ἀδικίαν autem cetera omnia peccata (violationes legis moralis, immoralitas). — *„Qui veritatem injustitia detinent"*; quasi diceret: Qui veram, quam de Deo assecuti sunt, notitiam, per pravitatem suae voluntatis, per malos mores opprimunt et quasi captivam intra se tenent, quum non patiantur, ut eorum vivendi rationem regat modereturque. Per ἀλήθειαν (veritatem, seu veritatem Dei, uti Vulgata habet) intelligitur h. l. vera de Deo notio, quae per lumen rationis naturale ex consideratione rerum creatarum a quovis ratione utente habetur. — Quod apostolus prius dixerat, omnes homines esse impios et improbos, nunc ad gentiles v. 19. applicat.

V. 19. *„Quia quod notum est Dei"*; i. e. quia quod de Deo cognoscibile est ab homine per rationem (S. Thomas). Hoc notum Dei (v. 20.) explicatur per verba: invisibilia ipsius. — γνωστὸν θεοῦ est vel notum Dei, i. e. Dei notitia sensu objectivo; vel cognoscibile de Deo; ultima significatio h. l. tenenda. *„Manifestum est in illis"*; i. e. inter illos (scil. gentiles) manifestum est, nimirum ex praevia Dei manifestatione (uti statim dicit.). — *„Deus enim eis manifestavit"*, nimirum in operibus suis (uti versus sequens docet).

V. 20. *„Invisibilia enim ipsius inde a creatione mundi ex operibus intellecta conspiciuntur"*. Vult dicere: Attributa Dei, quae alioquin (in seipsis) nec videri, nec aliquo sensu percipi possunt, inde a mundi creatione, ex contemplatione rerum ab illo creatarum sunt cognita. — Per τὰ ἀόρατα θεοῦ intelliguntur divina attributa, quae ideo dicuntur invisibilia, quod sunt invisibilia tum oculis corporeis, tum etiam intellectui humano, qui ea immediate, in seipsis, videre non potest, sed tantum ex mirabilibus operibus Dei (Cyrill. Alex.).[1] ἀόρατος (ex ἀ priv. et ὁρατος), non visus; dein qui oculis cerni nequit, invisibilis. — ἀπὸ κτίσεως κόσμου, inde a creatione mundi, et non: ex creatura mundi, quia esset tautologia, quum in mox sequentibus dicit τοῖς ποιήμασι (operibus). πόιημα id, quod factum, effectum est, ergo opus. — νοούμενα a

[1]) Cf. Franzelin (Card.) Tractatus de Deo uno pag. 38.

νοέω, percipio sensibus, dein animo, mente percipio, ergo intelligo. — In verbis: *τὰ ἀόρατα καθορᾶται* est oxymoron, quum invisibilia conspici dicantur. Sed quomodo id fieri possit, docet vox *νοούμενα;* attributa scil. divina oculis mentis conspiciuntur, quatenus ex rebus creatis intelliguntur. — *„Aeterna ejus virtus et divinitas";* i. e. omnipotentia et omnia reliqua Dei attributa, ut sapientia, bonitas, justitia. — *δύναμις* est Dei omnipotentia; *θειότης* (divinitas) vero denotat cetera Dei attributa (non vero deitatem, divinam substantiam, quod est *θεότης*). — *„Ita ut sint inexcusabiles",* scil. de peccatis, seu ex eo, quod Deum non coluerunt, quem tamen ex rebus creatis cognoscere poterant et cognoverunt (uti statim dicit.) — Fons ergo ethnicismi est peccatum.

V. 21. *„Propterea quia, cum cognovissent Deum, non ut Deum honorarunt, aut gratias egerunt".* Vult dicere: Quia Deum, quamvis veram Dei notitiam haberent, non honorarunt et cultu debito venerati sunt, nec ipsi ut omnium bonorum auctori gratias egerunt. — *„Sed vani facti sunt in cogitationibus suis";* i. e. sed vana de Deo cogitare coeperunt; seu delapsi sunt in cogitationibus suis ad idola. — Sic describit apostolus, quomodo gentiles in idololatriam inciderunt. Primum delapsi sunt in practicam Dei oblivionem, quod, quamquam Deum cognoscerent, eum non ut talem coluerint, nec ipsi ut. omnium bonorum largitori gratias egerint; deinde, quum hoc modo Deum veluti repulissent e sua voluntate, mox et in intellectu ipsorum vera, quam haberent, de Deo notitia in oblivione esse coepit; — tandem, uti v. 23. docet, eo stuporis venerunt, ut loco Dei immortalis coluerint simulacra corruptibilis hominis, imo et volucrum et quadrupedum et reptilium. *ματαιόω* stultum, vanum reddo; in passivo: vanus, stultus fio. — *„Et obtenebrata est stulta mens eorum".* Verbo *ἐματαιώθησαν* correspondet *ἐσκοτίσθη*, et voci *διαλογισμοῖς* vox *καρδία;* adest vero simul gradatio hoc modo: Per neglectum veritatis, mens eorum stulta facta est; et stulta haec eorum mens etiam, malo sensim succrescente, penitus tenebris est obfusa. — *σκοτίζω* tenebras offundo, obtenebro. — *καρδία* (cor) in s. scriptura figurate persaepe mox intellectum (seu mentem), mox voluntatem significat. Voluntatem, quoties cor rectum, pravum, molle, durum, mundum aut immundum vocatur; intellectum vero, quoties docile, sapiens, intelligens, stultum, obtenebratum, excoecatum dicitur (Estius). H. l. denotat intellectum seu mentem.

V. 22. *„Dicentes, se esse sapientes, stulti facti sunt";* i. e. quum semetipsos apud homines dicerent sapientes, et se quasi

sapientiae suae auctores celebrari sinerent, in extremam delapsi sunt stultitiam. — Prius nominavit negativum ethnicismi principium, scil. negationem vivi, personalis Dei; hocce versu autem positivam ejus partem profert, videlicet opinionem, qua putabant, se posse sibi opem ferre propriis viribus et sua sapientia.

V. 23. *„Et mutaverunt majestatem immortalis Dei similitudine imaginis mortalis hominis, et volucrum et quadrupedum et reptilium"*; i. e. pro Dei immortalis majestate coluerunt simulacra hominum mortalium animaliumque irrationabilium. — δοξὰ θεοῦ est majestas Dei, essentia Dei cum omnibus attributis in manifestatione ad extra. — ἄφθαρτος (ex ἀ priv. et φθαρτός) incorruptus, non corrumpendus, immortalis. — ὁμοίωμα εἰκόνος est imago, quae referat cujuspiam similitudinem. ἑρπετός-η-ον (ab ἕρπω repo) est repens, reptilis; τὸ ἑρπετόν (subintellecto θηρίον) animal reptile. —

Nunc versibus sequentibus describit apostolus enormia peccata gentilium, in quae in punitionem praecedentis philosophorum ingratitudinis, sivit Deus illos turpiter delabi.

V. 24. *„Quapropter etiam tradidit eos Deus cupiditatibus cordium eorum in immunditiam, ut foedarentur corpora eorum invicem"*. Vult dicere: Quia Deum, quem noverant ex creaturis, non coluerunt debito modo, sed honorem ipsi debitum in creaturas deflexerunt, Deus, retracto gratiae suae auxilio, eos tradidit cupiditatibus foedis, quae in impuritatem eos seducebant, ita ut invicem foedarentur corpora eorum (αὐτῶν). Ita ἀτιμάζεσθαι sumitur in forma passiva et ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις pro mero dativo. Si vero ἀτιμάζεσθαι in forma media sumitur cum Vulgata, quae habet: ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis, legendum est: αὑτων. Juxta nostram explicationem verba ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις immediate conjunguntur cum παρέδωκε, quod et Vulgata facit, quae habet: tradidit illos in desideria cordis eorum, qua conjunctione stante verba εἰς ἀκαθαρσίαν continerent sequelam: tradidit eos cupiditatibus, quae eos ad impuritatem ducebant. Sed potest verbum παρέδωκε etiam immediate conjungi cum εἰς ἀκαθαρσίαν, et ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις sumi de statu, ita ut sensus sit: Et secundum foedas cordium eorum cupiditates tradidit illos in impuritatem. — Explicatio haec altera commendatur v. 26. et 28., ubi παραδιδόναι cum εἰς construitur. Sed respectu sensus prior nexus praeferendus videtur; nam pro modo, quo notitia Dei apud hominem in oblivione esse incipit, reviviscunt cupiditates inferiores et passiones (Bisp.) — Per ἀκαθαρσία intelligenda est (coll. v. 26. et 27.) illa nefaria libido, qua feminae cum feminis, mares cum maribus stupra

faciebant; ergo libido contra naturam. παρέδωκε tradidit. — Fit nimirum, ut Deus in poenam praecedentis peccati, gratiae suae auxilium homini subtrahat; haec autem gratiae detractio revera quaedam Dei actio est, atque eatenus non quidem directe, sed tamen indirecte Deus hominem tradit in peccatum (s. Thom). Hinc jam intelligitur, quonam sensu h. l. Deus dicitur gentiles ob illorum idololatriam tradidisse cupiditatibus foedis, impuritati; nimirum negative, subtrahendo gratiam, per quam homines continebantur, ne peccarent; non vero positive, uti Calvinus docuit. [1]) τοῦ ἀτιμάζεσθαι; τοῦ h. l. non indicat scopum: eo consilio, ut, vel eo fine, ut, quia Deus sanctissimus positiva voluntate peccatum velle nequit; sed debet sumi de eventu: ita ut. — ἐν αὐτοῖς vel ut alii legunt: ἐν ἑαυτοῖς est idem ac: ἐν ἀλλήλοις (invicem, mutuo).

V. 25. *„Quippe qui commutarunt veritatem Dei mendacio“;* i. e. quippe qui Deum verum commutarunt cum idolis. — Hic denuo causam assignat, cur Deus gentiles tradiderit cupiditatibus foedis in impuritatem. τὴν ἀλήθειαν τοῦ θεοῦ (veritatem Dei) ob sequens τὸν κτίσαντα explicanda sunt per: Deum verum (non per: veram de Deo notitiam); et ψεῦδος (mendacium) vi antitheseos sumendum est de diis falsis, de idolis. — Idolum vero recte dicitur mendacium, quia id non est, quod dicitur (scil. Deus). — *„Et venerati sunt et coluerunt creaturam potius quam creatorem“.* — σεβάζομαι est ἅπαξ λεγόμενον in N. T., et denotat uti σέβομαι: vereor, inde revereor, veneror, colo, et dicitur h. l. de cultu religioso interno. — λατρεύω pro mercede servio; dein religiose colo (hic de cultu externo). — παρὰ hic denotat: potius quam, relicto scil. creatore; dicit enim apostolus, gentiles commutasse Deum verum cum aliquo, quod non erat Deus. — Mentio Dei veri ab ethnicis adeo neglecti, pietatis sensum adeo commovit in animo apostoli, ut in doxologiam addendam erumperet. — *„Qui est celebrandus in saecula! Amen“;* i. e. qui tanquam omnium rerum creator omniumque bonorum auctor celebrandus est in aeternum. — αἰων significat longum tempus, et plurali numero (αἰῶνες) universum tempus, atque ipsam aeternitatem. — εὐλογητός (εὐλογέω laudo, celebro) est: celebrandus, laudandus. — ἀμην ab initio particula asseverantis: vere, profecto; in fine particula optantis: ita sit, ita fiat, ut h. l. —

[1]) Cf. Beelen Act. 7, 43.

V. 26. *„Propterea tradidit eos Deus passionibus ignominiae“*, i. e. passionibus ignominiosis, seu passionibus, quibus ignominiam inferunt suis corporibus. — Versu hoc et sequenti repetit et pluribus declarat, quod prius (v. 24.) dixerat. Per passiones has sunt intelligenda stupra illa, quae mares cum maribus, feminae cum feminis faciebant. — Ceterum vocem πάϑη Vulgata bene vertit per: passiones; nam qui illa turpia agunt, adeo se totos illis dedunt atque immergunt, ut pati magis, quam agere videantur. — Nunc repetit et pluribus declarat, in quae dedecorosa flagitia prolapsi sunt generatim ethnici in punitionem peccati, quo coluerunt creaturam, relicto creatore. —

„Nam et feminae eorum commutarunt naturalem usum cum eo, qui est contra naturam“. Vult dicere: Nam etiam feminae, quas tamen pudor maxime decet, naturalem usum masculei sexus in nefarium contra naturam permutarunt, feminae cum feminis coëuntes. — Feminas anteposuit, fors ideo, quia pudor, qui debet in eis praecellere, debuisset longius ab insano illo furore eas arcere, et quia flagitium istud in feminis magis foedum erat atque contra naturam. ϑῆλυς-εια-υ femineus; ἡ ϑήλεια femina, quod opponitur τῷ ἄρσενι (ἄρσεν mas) mari, masculo.

V. 27. *„Et similiter etiam masculi relicto naturali usu feminae exarserunt pro mutuo inter se appetitu, masculi cum masculis turpitudinem perpetrantes“*; i. e. paederastiam committebant. — Crimini huic obscoeno inter ethnicos maxime propagato ipsos celeberrimos philosophos indulsisse, imo ipsum Socratem et Platonem; imo et legibus publicis scelus istud permissum fuisse, Patres testantur [1]) ἐξεκαύϑησαν aor. I. pass. ab ἐκκαίω, exuro, incendo; in passivo: exardesco, proprie de igne, tropice de quavis re magna vehementer operante, uti de ira; etiam, sicut Latinorum urere, de vehementia libidinis venereae, ut h. l.; ergo idem ac πυροῦσϑαι (1. Cor. 7, 9.). — *„Et mercedem, quam oportuit, erroris sui, in semetipsis recipientes“*; i. e. et ita pro ignominia Deo per idololatriam illata congruentem retributionem recipientes in turpitudine, qua sua ipsorum corpora contumelia afficerent (s. Thom.). ἀντιμισϑία retributio, merces merito respondens. ἣν ἔδει, quam oportuit scil. recipere, i. e. convenientem. — ἐν ἑαυτοῖς, in semetipsis, i. e. in suis corporibus. Verbis his apostolus apertius significat, hujusmodi peccata fuisse praecedentium peccatorum (i. e. defectionis a Deo vero) poenas.

[1]) Cf. Justin. Apol. I. 27.

V. 28. *„Et sicut illis probatum non fuit, Deum retinere in cognitione, ita tradidit eos Deus in reprobam mentem“.* Vult dicere: Et sicut non placuit eis, Deum verum, quem cognoscebant, in sua cognitione retinere (eum nimirum qua talem colendo), ita tradidit (in poenam peccati) Deus illos in reprobam (perversam) sentiendi rationem, qua nimirum probabant non probanda, et reprobabant et rejiciebant, quae erant justa et salutaria. Si scil. homo penitus deficit a vero Deo, necessario delabitur in servitium naturae, atque eo ipso, quum vita naturae consistit in generando, fit servus libidinis, impudicitiae. ἐπίγνωσις est cognitio et agnitio (Anerkenntniss), uti h. l., quae agnitio se manifestat per justum Dei cultum justamque vitam. — ἔχειν h. l. retinere. — δοκιμάζειν acceptum habere, approbare. De verbo παρέδωκε cf. v. 24. ἀδόκιμος est, quod examen seu probationem non sustinet; hinc improbus, reprobus. — *„Ut faciant, quae non decent“;* i. e. ita ut faciant, quae maxime dedecent homines, utpote res turpissimas. ποιεῖν, scil. αὐτοῦς; significatur eventus. καθήκοντα (part. praes.) a καθήκω convenio; impersonaliter: convenit, decet; τὸ καθῆκον, ut h., quod decet.

V. 29. *„Repleti omni injustitia“;* i. e. pleni omni iniquitate. — Haec (scil. iniquitas) est genus; nunc sequuntur variae ejus species. — Omnes sequentes accusativi pendent ab αὐτοῦς, id est, a subjecto infinitivi ποιεῖν. — *„Fornicatione“.* — Haec est omnis illicitus maris cum femina extra connubium concubitus. — *„Malitia“* i. e. nocendi studio. — *„Avaritia, improbitate“*, i. e. perversitate animi. — *„Pleni invidia, caede, contentione, dolo, malignitate“.* — Malignitas est vitium, quo omnia in deteriorem partem accipiuntur.

V. 30. *„Susurratores, obtrectatores“.* — Uterque horum proximos occulte mordet; ille, ut solvat amicitiam, hic, ut laceret famam (Estius). — *„Dei osores“;* i. e. quibus Deus exosus est, nimirum propter justitiam, qua scelera punit. — θεοστυγής (ex θεός et στύγεω odio prosequor) est Deo exosus; est vero etiam active: qui Deum odit, ut h. l.; nam referuntur vitia hominum, non Dei erga homines affectus. — *„Contumeliosi, superbi, jactatores“.* — Tria haec vocabula ad superbiae vitium pertinent, hoc tamen discrimine, quod ἀλάζονες sint jactatores sui absque aliorum contumelia aut contemtu; ὑπερήφανοι autem sint tales, qui ita suis dotibus aut veris, aut fictis superbiunt, ut alios prae se contemnant; ὑβρισταὶ tandem dicantur ii, quorum insolens superbia cum aliorum non solum contemptu, sed etiam contumelia conjuncta sit (cf. Beelen). — *„Inventores malorum“*, i. e. qui praeter ea, quae usitata et nota sunt mala, alia etiam excogitant, quasi

eis satis non sit, communia perpetrare peccata. — *„Parentibus non obedientes“*, i. e. refractarii erga parentes. —

V. 31. *„Insipientes“*, i. e. scelesti. — ἀσύνετος, insipiens; quum Hebraeis insipiens diceretur scelestus, patet, cur insipiens h. l. sit idem ac scelestus. — Alii vocem hanc: insipiens explicant per: expers sensus honesti; quod respectu sensus non differt. — *„Foedifragi“*. ἀσύνθετος (ex α priv. et συνθετός compositus, quod ex composito seu pacto fit) est non compositus, pactum non admittens; dein pactum non servans, foedifragus, ut h. l. — *„Amoris expertes“*. ἄστοργος (ex α priv. et στοργή naturalis et tenerrimus amor eorum, quibuscum naturae vinculo conjuncti sumus) amoris expers; h. l. sunt tales intelligendi, qui nullo ducuntur amoris affectu erga liberos et parentes. — *„Implacabiles“*, i. e. qui semel offensi reconciliationem non admittunt. Sed ἄσπονδος (ex α priv. et σπονδή foedus) est etiam foedifragus, perfidus. — *„Immisericordes“*, i. e. qui alienis miseriis non commoventur. Unde elucet, ethnicos fuisse moribus corruptissimis.

V. 32. *„Qui cum statutum Dei cognovissent, quod nimirum talia facientes morte sint digni, non solum ea faciunt, sed etiam facientes approbant“;* quasi diceret: Tales, inquam, qui, quamquam noverant statutum Dei hoc, (utpote in conscientia sua habentes legem moralem insculptam) quod nimirum morte digni sint, qui talia, quae commemorata sunt, agunt, nihilominus tamen non solum ipsi ea faciunt, sed etiam approbant eos, qui illa committunt. — Secundum Vulgatam, quae divergit a nostra versione, mens Pauli esset: Gentiles, quamquam noverant statutum (legem) divinum, tamen non intellexerunt morte dignos esse, qui talia flagitia committerent, et non solum, qui talia ipsi facerent, verum etiam eos, qui consentirent facientibus. — Ast sensus hic non videtur posse admitti, quum constet, gentiles nequaqam ignorasse, criminosis statutas esse poenas gravissimas, imo aeternas, post hanc vitam luendas. — δικαίωμα est apud Graecos sententia judicis, qua injuriam passo jus suum vindicat, reum damnat, eique poenam infligit; h. l. denotat sententiam, statutum (Anordnung, Gesetz), quia verbis statim sequentibus (ὅτι ... εἰσι) profertur ipsa sententia, statutum, quo rei damnantur ad poenam ferendam. — Per mortem h. l. sunt intelligendae poenae gravissimae, imo aeternae post hanc vitam malis luendae. οὐ μόνον πράσσουσι; adest gradatio. „Peccante, ait Chrysostomus, longe nocentior is est, qui peccatum laudat“.

Caput II.

Argumentum. Quod apostolus hactenus de gentilibus probaverat, scil. eos esse injustos, peccatores, idem nunc prolixius probare incipit de Judaeis, qui in legis litera, in circumcisione et sua ab Abrahamo origine fiduciam suam collocantes, meliores se putabant gentilibus, quos condemnabant, dum ostendit, Judaeos non minus, imo magis reos esse, quam gentiles, ideoque eandem cum eis meruisse damnationem, cui (damnationi) non obstat, quod praeclaram habeant legis divinae cognitionem, aut quod sint circumcisi atque posteri Abrahami, quia sola legis cognitio et mera carnalis circumcisio atque origo ab Abrahamo nil prodest.

V. 1. *„Propterea inexcusabilis es, o homo, qui judicas“.* — *διὸ* propterea; cohaeret cum praecedentibus hoc modo: quia gentiles, quum haberent cognitionem Dei ejusque justitiae vindicativae, in peccatis suis inexcusabiles sint, ideo quilibet, hinc etiam Judaeus, qui peccata gentilium judicat et damnat, et tamen eadem facit, inexcusabilis est; ergo a divino judicio damnabitur. *ἀναπολόγητος*, inexcusabilis, quia nimirum eo ipso, quod judicat, ostendit, se non ignorare legem, ad cujus normam alios dijudicat. — *κρίνειν* est judicare; sed h. l. ob contextum, quia in altera versus parte huic voci substituitur *κατακρίνειν* (condemnare), notat simul condemnare. *πᾶς ἄνθρωπος*, quivis homo, hinc etsi Judaeus sis. — *„In quo nempe judicas alterum, te ipsum condemnas; eadem enim agis, qui judicas“;* quasi diceret: In qua nempe re alium judicas et condemnas, consequenter etiam teipsum condemnas, quum (in tua legis divinae cognitione) eadem tu, qui alios judicas et condemnas, ipse agas. — Vulgata pro: qui judicas, habet: quae judicas (*ἃ κρίνων*); qua lectione stante sensus est: Eadem enim, quae judicas et condemnas in aliis, ipse agis.

V. 2. *„Scimus vero, judicium Dei esse secundum veritatem in eos, qui talia agunt“.* Vult dicere: Jam vero scimus, condemnatorium Dei judicium ferri secundum justitiam contra omnes, qui talia (qualia gentiles) faciunt; — ergo (quod sponte sequitur) nec tu Judaee illud effugies. — *δὲ* est h. l. illative positum, valetque: jam vero, atqui. — *κρίμα* proprie judicium; sed h. l. ob contextum denotat judicium condemnatorium. — *κατὰ ἀλήθειαν*, secundum veritatem, i. e. secundum justitiam, quia sine respectu personarum (v. 11.) fertur.

V. 3. *„Num vero existimas hoc, o homo, qui judicas talia*

agentes et facis ea, te effugiturum esse judicium Dei". Vult dicere: Si judicium Dei certissime futurum est adversus omnes peccantes, num tu quisquis sis, etsi Judaeus, qui alios judicas et condemnas, atque eadem agis peccata, existimabis, te unicum Dei judicium esse effugiturum? — Hisce refellit s. Paulus vanitatem erroneae Judaeorum opinionis, qua sibi tanquam Abrahami posteris impunitatem promittebant. — Simile dixit Joannes Bapt. (cf. Matth. 3, 9.) —

V. 4. *„An divitias benignitatis ejus et patientiae et longanimitatis contemnis"?* Vult dicere: An ex exuberanti benignitate et longanimi patientia Dei, poenam differentis, spem impunitatis audes concipere? — Dum apostolus hoc dicit, supponere videtur, Judaeos fors ob dilationem poenae spem fovisse impunitatis. ὁ πλοῦτος τῆς χρηστότητος est abundantia et magnitudo benignitatis. — χρηστότης proprie utilitas; dein bonitas, benignitas, et quidem h. l. ea, qua Deus ad parcendum peccatoribus potius paratus est, quam ad eos puniendos. ἀνοχή patientia, qua Deus malos tolerat. μακροθυμία (ex μακρός longus et θυμός ira) est lenitas, longanimitas, quae poenas in longum tempus differt. — *„Ignorans, benignitatem Dei ad poenitentiam te adducere"*, i. e. quum certe ignorare non debeas, benignitatem Dei te invitare ad poenitentiam. — Ex praesenti loco rectissime colligitur, peccatores etiam obduratos non penitus destitui sufficientis interioris gratiae auxilio, quo possint, si velint, a peccatis resipiscere.

V. 5. *„Secundum duritiam vero tuam et impoenitens cor, accumulas tibi ipsi iram die irae et revelationis justi judicii Dei"*. Vult dicere: Pro tua animi duritia, quam Dei benignitas ad poenitentiam non emollit, et pro corde impoenitente, quod nec mansuetudo, nec minae ad poenitentiam movent, accumulas tibi iram divinam in te effundendam die tremendo judicii, quo Deus justitiam suam manifestabit. σκληρότης est ἅπαξ λεγόμενον, estque idem ac σκληροκαρδία (Matth. 19, 8.); tropice dicitur de iis, quorum animus ad poenitentiam flecti se non patitur. — κατά h. l. pro. — ἀμετανόητος (ex α priv. et μετανοέω mentem muto, resipisco, poenitet me) tantum hic legitur, estque impoenitens; et καρδιά ἀμετανόητος est cor (voluntas), poenitentiam respuens. — θησαυρίζω, colligo, accumulo. — ἡμέρα ὀργῆς (dies irae) est dies judicii extremi, quae alias etiam dicitur: ἡμέρα κυρίου (dies Domini), ἡμέρα κρίσεως (dies judicii), ἡμέρα ἐσχάτη (dies novissima), ἡμέρα ἐκείνη (dies illa) vel simpliciter: ἡμέρα (dies). Dies judicii extremi dicitur dies irae, quia tunc non erit misericordiae locus; — dies revelationis justi

judicii, quia palam exercebitur justum in omnes judicium. — Juxta haec Pauli verba peccatori culpae vertitur, quod habeat cor durum et impoenitens.

V. 6. *„Qui reddet unicuique secundum opera ejus“*; i. e. qui omnibus, nemine excepto, pro bonis operibus bona seu praemium, pro malis operibus mala seu supplicium retribuet. — Verbis his docet indirecte, qualem fidem hominem justificare, nimirum fidem caritate formatam.

V. 7. *„Iis quidem, qui secundum perseverantiam boni operis, gloriam et honorem et incorruptionem quaerunt, vitam aeternam“*; i. e. iis nimirum, qui constanter bene operando felicitatem aeternam quaerunt, dabit vitam aeternam. — Quod prius generatim dixerat, illud nunc in sequentibus (v. 7—11.) speciatim exponit. — Ad ζωήν αἰώνιον ex praecedenti versu supplendum est ἀποδώσει (dabit). δόξα, τιμή et ἀφθαρσία exprimunt bona vitae aeternae; hinc simul sumpta notant idem ac ζωή αἰώνιος, i. e. felicitatem aeternam. δόξα est h. l. gloria, splendor vitae futurae, qui ex Deo refulgens, a Christo in altera vita justis communicabitur. — τιμή, honor, Dei approbatio. — ἀφθαρσία, incorruptio, ergo immortalitas.

V. 8. *„Iis autem, qui sunt ex contentione“*, i. e. iis autem, qui sunt immorigeri seu rebelles contra Deum et legem ejus. — Vox ἐκ cum genitivo posita (uti h. l. ἐκ ἐριθείας, scil. οὖσι), saepe indicat originem; quia vero origine rei etiam indoles ejus solet determinari, formula haec frequenter ita occurrit, ut designet indolem, qualitatem, seu id, quod personae aut rei proprium est; v. c. οἱ ἐκ περιτομῆς (4, 12.), οἱ ἐκ νόμου; οἱ ἐκ πίστεως (Gal. 3, 7.): hinc etiam h. l. οἱ ἐκ ἐριθείας est idem ac: οἱ ἐρίζοντες, qui rixantur, qui contentiosi sunt; h. l. ob contextum: qui refractarii, rebelles sunt. — ἐριθεία rixandi studium; in N. T. rixam, contentionem notat; inde facile ἐρίζων denotat: rebellis, refractarius. — *„Et qui veritati quidem renituntur, obediunt autem injustitiae, ira et indignatio* (scil. erit vel retribuetur). Quum versu 6. adsit verbum ἀποδώσει, etiam hic exspectatur in fine accusativus: θυμόν et ὀργήν; sed ut sententia tanto vivacior esset, maluit apostolus ponere nominativum, ad quem supplendum est: ἔσται (erit) vel ἀποδοθήσεται (retribuètur). ἀπειθέω (ex α priv. et πειθώ) mihi persuaderi non patior, renitor, inobediens sum; — πειθώ persuadeo alicui aliquid; in passivo et medio: persuadeor, fidem habeo, obedio. — ἀλήθεια (veritas) h. l. est plena veritas, uti in conscientia et in religione Christi manifestatur. — ἀδικία injustitia; conf. 1, 18. —

V. 9. *„Afflictio et angustia in omnem animam hominis, operantis malum, Judaei primum et Graeci“.* Vult dicere: „Summa miseria erit (seu retribuetur) omnibus hominibus, qui peccaverint, sive sint Judaei, sive gentiles; primum tamen Judaeis, dein gentilibus. στενοχωρία (ex στενός angustus et χώρα regio) proprie angustia loci, dein angustia, anxietas animi. — Utraque vox θλίψις et στενοχωρία exprimit summam miseriam. πᾶσα ψυχὴ ἀνθρώπου hebraica loquendi ratio, notans idem ac: quivis homo. — κακὸν (malum) vocat quidquid legi divinae quomodocunque cognitae adversatur. Judaeo primum; Judaeus etiam respectu punitionis prae ethnico praerogativa gaudebit; quia legem div. clarius cognovit, hinc magis reus est, si malum operetur.

V. 10. *„Gloria autem et honor et pax omni operanti bonum, Judaeo primum et Graeco“.* Gloria ... Judaeo primum. Judaeus in praemio donando praestantiam prae gentili habebit, quia Judaeis potissimum (proxime) promissio salutis per Christum dandae facta est, et ethnici solummodo in loco Judaeorum, a Messiana salute exclusorum, salutis illius facti sunt participes (cf. 11, 17.). Verbis: gloria, honor et pax, veluti lineamentis adumbratur vita aeterna, quam prius (v. 7.) dixerat retributum iri bene operantibus.

V. 11. *„Non enim est acceptio personarum apud Deum“;* quasi diceret: Deus enim in retribuendo sive praemia, sive supplicia, non est partium studiosus, quia non respicit externa hominis, (opes, dignitatem, munus, aut nationalitatem). — Verbis his rationem reddit sententiae superioris (v. 9. et 10.). — προσωποληψία (a πρόσωπον facies, dein ipsa persona) est idem ac πρόσωπον λαμβάνειν (faciem accipere) et adhibetur tum bono sensu: benigne aliquem admittere ad se (Gen. 32, 20. Malach. 1, 8. 9.), tum etiam sensu malo: partium studiosum esse, hominem tractare juxta externa, opes, dignitatem, munus, ut h. l. (Matth. 22, 16. Marc. 12, 19. Luc. 20, 21., ubi loco: personam accipere legitur personam respicere.

V. 12. *„Nam quicunque sine lege peccaverunt, sine lege etiam peribunt“.* Vult dicere: Gentiles, qui legem scriptam (Mosaicam) a Deo non acceperunt, etiam damnabuntur, non propter transgressionem legis scriptae (Mosaicae), quam non acceperunt, sed propter transgressionem legis naturalis, quae utpote animis eorum insculpta, scriptae legis (coll. v. 14. 15.) vicem ipsis supplet. — *„Et quicunque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur“;* i. e. et Judaei, qui legem scriptam (Mosaicam) habentes, peccaverunt, ad hujus

legis normam examinati ejusdemque violatores reperti, damnabuntur poenamque statutam luent. — *ἐν νόμῳ* est idem ac: *ὁ ὑπὸ νόμον*, qui est sub lege (1. Cor. 9, 20.). — *κριθήσονται* h. l. ob antitheticum *ἀπολοῦνται* idem valet ac *κατακριθήσονται* (condemnabuntur). Versu hoc itaque et sequenti confirmat sententiam versu praegresso pronunciatam, docens primum (v. 12.), Deum omnes improbos aequaliter esse puniturum; dein (v. 13.), eum aequaliter etiam remuneraturum esse quoscumque probos.

V. 13. „*Non enim auditores legis justi (erunt) apud Deum, sed factores legis justificabuntur*". — Dum h. l. s. apostolus dicit, factores legis justificari, videtur hic operibus legis justificationem adscribere, et ita sibi contradicere, quum in tota hac epistola, et in specie 1, 18—4, 25. in eo sit, ut ostendat, hominem justificari solum per fidem in Jesum Christum. — Difficultas haec facile removetur, si h. l. (juxta s. Thomam) verbum *δικαιοῦσθαι* alia notione accipitur, quam ibi, ubi apostolus id de fide praedicat (1, 17; 3, 22. 24; 4, 5.), nimirum illa, qua denotat: justus declarari, justus censeri. Quodsi ita sumitur hoc verbum, sensus hujus versus est: Non illi, qui certam scriptam legem tantum noverunt, sed illi, qui eam etiam expleverunt, a Deo quoque ratione ejusdem legis, justi declarabuntur, censebuntur (nimirum in extremo judicio, in quo juxta hanc legem judicabitur), sive Judaei, sive gentiles sint. — Unde patet, justitiam hanc longe diversam esse ab illa, qua homo ob fidem in Jesum Christum a peccatis eorumque poenis liberatur, interne renovatur ac sanctificatur, filius Dei fit et haeres vitae aeternae. — *ἀκροαταί* (auditores) sunt Judaei, qui legem habent, audiuntque; qua voce alludit ad morem, juxta quem lex Mosaica in synagogis praelegi soleret singulis sabbatis et festis (inde a tempore Esdrae), serius etiam cujusvis hebdomadis die secundo et quinto. — Ceterum *ἀκροαταί* est h. l. idem ac *γνόντες* (scientes.). — *ποιηταὶ νόμου* (factores legis) sunt legem observantes. *δίκαιοι*, scil. *ἔσονται*, idemque valet ac *δικαιωθήσονται*. —

V. 14. „*Si enim gentes, quae legem non habent, natura, quae legis sunt, faciunt; hi, qui legem non habent, sibi ipsi sunt lex*". — Versus hic et sequens pro sententia parenthetica habendi sunt, ita ut voces (v. 16.), in die cum judicabit Deus etc. proxime cohaereant cum verbis (v. 13.): sed factores legis justificabuntur. — Verbis his occurrit apostolus tacitae objectioni, quomodo gentiles, si non sunt auditores legis, ejus factores esse possint, aut transgressores; dum dicit, gentiles, legem

scriptam non habentes, si praecepta legis natura duce atque magistra faciunt, ipsos sibi esse legem, i. e. habere in corde dictamen rationis naturale, (seu normam agendi rationis moralem) indicans, quae sint facienda et quae vitanda, quod dictamen (seu norma) est eis instar legis Mos. — *τὰ τοῦ νόμου* dicit s. apostolus, non autem *τὸν νόμον*, quo indirecte docet, se non loqui de impletione totius legis quoad omnia et singula praecepta, sed tantum de impletione partis legis, illius nimirum partis, quam gentiles naturali lumine rationis cognoverant. *φύσει* dativus instrumenti, quasi diceres: per naturam, i. e. natura duce et magistra. *οὗτοι* ... *ἔχοντες*; quum verba haec ad *ἔθνη* referantur, adest hic (uti v. 15. in *οἵτινες*) constructio ad sensum; scilicet scribitur *ἔθνη*, sed cogitantur *ἄνθρωποι*. — *ἑαυτοῖς* .. *νόμος* i. e. dictamen rationis naturale seu norma agendi rationis instar legis Mosaicae eis est, indicans, quae facienda, et quae vitanda sint.

V. 15. *„Quippequi ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis"*; i. e. quatenus faciendo, quae legis moralis sunt, hisce factis suis ostendunt, se habere legem quandam moralem in animis (in intellectu) suis impressam. [1]) — Est hoc primum argumentum, quo probat, legem animis eorum insculptam esse. — Inest simul hisce verbis allusio ad legem Mos. tabulis insculptam. *ἔργον* h. l. est id, quod faciendum est; ergo singula praecepta et opera legis (moralis), non autem singula praecepta legis Mosaicae, aut singula opera, quae lex Mosaica aut facienda jubet aut vetat (*τὰ ἔργα τοῦ νόμου* 3, 20. 28.); nam non haec sunt scripta in cordibus gentilium, sed generalis norma moralis, essentialis pars legis moralis, aeterna norma boni et mali; gentiles ergo nucleum, partem legis Mosaicae essentialem in cordibus insculptam habent. — Quod gentiles essentialem legis moralis partem in cordibus suis inscriptam habeant, hujus rei testimonium reddit conscientia ipsorum. — *„Una testante eorum conscientia, et se invicem accusantibus cogitationibus, aut etiam excusantibus"*. — *συμμαρτυρούσης*, una, simul testante; quo significatur, ad testimonium illud, quo gentiles ipsa sua agendi ratione ostendunt, se notitiam habere legis moralis, accedere testimonium conscientiae ipsorum. — Conscientia nimirum cognitae legis testimonium reddit, quando hominem aut accusat aut defendit, quum hoc absque notitia legis fieri non posset. Conscientia et cogitationes accusantes aut defendentes pro uno teste habendae

[1]) Cf. Franzelin (Card.) de Deo uno pag. 55—69.

sunt. Nimirum ipsae illae cogitationes conscientiae vox sunt, qua testatur. Quare particula *καὶ* est exegetica. Inde etiam intelligitur, cur apostolus ibi posuerit verbum in singulari (*συμμαρτυρούσης*). —

V. 16. *„Die, cum judicabit Deus occulta hominum secundum evangelium meum, per Jesum Christum“.* — Versus hic jungendus est cum v. 13.: non enim auditores . . sed factores leg justificabuntur. Die, scil. judicii. Occulta, i. e. animi consilia. — Secundum evangelium meum, i. e. secundum doctrinam a me praedicatam; seu: sicut docere soleo ut Christi minister. — Verba: per Jesum Christum, jungenda sunt cum illis: in die, cum judicabit, ita ut secundum doctrinam Pauli Deus judicaturus sit homines per Jesum Christum (scil. hominem). — Dicitur Deus, ait Toletus, judicare per Christum, quia Deus est judex invisibilis; per Christum autem, ut homo est, visibile judicium exercebit (cf. Joan. 5, 22.) — Ceterum ex versibus 15. et 16. sequitur, quod gentilismus non fuerit penitus malus, sed haberet ideam boni et quod etiam gentiles ex parte legem impleverint (utique gratia praevenienti). —

Nunc v. 17. aggreditur Judaeos speciatim, ut eandem illis applicet damnationem, quam contra gentiles (c. 1.) conclusit. Ut autem illos juste condemnet, duo necessaria sunt; primum, quod legem noverint; dein quod illam non servaverint. — Primum aggreditur v. 17., alterum v. 22.

V. 17. *„Si autem tu Judaeus cognominaris“;* i. e. si autem geris nomen gloriosum Judaei. — Nomen Judaeus erat revera honorificum, sicut nunc vocari christianus. — Judaeus enim nomen gentilitium est a Juda, quarto Jacobi filio ductum. Primum quidem Judaeus is tantum dicebatur, qui ex tribu Juda erat oriundus. Quum autem sub Roboamo regnum Davidicum discissum esset in duo regna, regnum Juda et regnum Israël, dicti sunt Judaei illi omnes Israëlitae, qui subditi erant regni Juda, quum subditi regni Israël vocati sint Israëlitae, quo nomine ab Israële seu Jacobo deducto, ante illam scissionem gens Jacobaea universa appellabatur. Post reditum e captivitate Babylonica communi nomine Judaei dicti sunt omnes, tum qui in Judaea, tum qui extra Judaeam degebant. In nostro loco nomen Judaeus non est tam nomen gentis, quam professionis religiosae, et pro denominatione honorifica habetur (Beelen). Hinc idem valet ac: qui ad populum electum pertines et unum verum Deum colis. — *„Et requiescis in lege“;* i. e. et inniteris legi a Deo tibi datae, nihil amplius quaerens, quasi illa satis tibi sit ad justitiam. —

„Et gloriaris in Deo“, scil. legislatore tuo, et qui te ex omnibus mundi nationibus in populum sibi peculiarem elegit.

V. 18. *„Et cognoscis voluntatem“*, nimirum Dei, non tantum per lumen rationis, sed etiam per scriptam legem, divinitus tibi traditam. — *„Et probas praestantiora“*, i. e. et ea, quae ut bona et recta agnovisti, probas. διαφέρω, differo, diversus sum; dein excello, praesto ut h. l. — *„Edoctus ex lege“*, nimirum quae facienda sint et quae non facienda. κατηχέω (κατὰ et ἠχέω) proprie circumsono, dein viva voce trado, edoceo ut h. l.

V. 19. *„Et confidis, te ipsum esse ducem caecorum, lumen eorum, qui in tenebris sunt“*; quasi diceret: Qui arrogas tibi tantam legis scientiam, ut gentilibus doctor esse velis. — Dux coecorum et lumen in tenebris versantium metaphorice dictum est pro: doctor ignorantium; nam quemadmodum sciëntia doctrinaque saepe sub imagine lucis, ita ignorantia sub imagine caliginis et tenebrarum proponi solet, ita ut ignorantes dicantur lumine destituti. Lumine destituti sunt vero vel caeci, vel in tenebris versantes. — Doctor ignorantium porro dicitur vel lux, quia, sicut lux tenebras, ita ille ignorantiam doctrina sua pellit; vel dicitur dux, quia, sicut caecos dux viae ad locum, quem petunt, salvos perducit, — ita doctor eam vitae rationem monstrat ignorantibus, qua salutem consequantur. — Ceterum per caecos, in tenebris versantes, uti et per imprudentes et rudes (v. 20.) intelligendi sunt gentiles, qui ita nominantur ob eorum ignorantiam et errores in rebus religiosis.

V. 20. *„Praeceptorem imprudentium, magistrum rudium, habentem formam scientiae et veritatis in lege“*; quasi diceret: Profiteris te praeceptorem et magistrum gentilium, utpote qui ex studio legis consecutus sis verum exemplar omnis scientiae et veritatis moralis ac religiosae. — νήπιος (ex νη particula negativa, et ἔπος sermo) est: qui fari nescit, ergo infans, natura et aetate parvulus; metaphorice: rudis, inscius, indoctus. — μόρφωσις formandi ratio, dein forma, vera imago alicujus rei, exemplar (rem ipsam exprimens), ut h. l. — imo ipsa rei essentia. — γνῶσις et ἀλήθεια in re unum sunt; ἀλήθεια veritas in se; γνῶσις veritas cognita. Judaeo lex Mos. erat exemplar omnis veritatis, fons omnis scientiae. Quod attinet ad sententias sequentes (v. 21—24.), nonnulli interpretes eas cum interrogatione; alii vero cum Vulgata sine interrogatione legunt. Sensus semper remanet idem.

V. 21. *„Qui igitur alterum doces, te ipsum non doces“*; quasi diceret: Qui alios doces, quid faciendum et quid non faciendum

sit, doctrinam tuam facto non ostendis; seu: non vivis, uti doces. — Sic ostendit, quam turpiter vita eorum discrepat a doctrina. — Incipit simul hic apodosis; protasis adest inde a v. 17—20. — „*Qui praedicas, non furandum, furaris*". — Nunc exponit per species nonnullas, quod prius generatim dixerat.

V. 22. „*Qui dicis, non moechandum, moecharis*"; i. e. qui doces, non adulterium committendum esse, adulterium committis. — „*Qui abominaris idola, sacrilegium committis*"; i. e. qui doces, idola gentilium esse res abominabiles, sacrilegium facis, abutendo nimirum his, quae pertinent ad divinum cultum (s. Thomas). ἱεροσυλεῖν (ab ἱερόν et συλέω depraedor) est: templum spoliare, seu rem sacram furari, i. e. sacrilegium committere. Verbum hoc h. l. non est sumendum de exspoliatione templorum gentilium (ut Chrysost.); nam id a Judaeis patratum fuisse, non constat; dein, si s. Paulus idolorum templa in mente habuisset, verosimilius usus fuisset verbis τὰ ἱερὰ αὐτῶν, vel similibus, ut distinctius ea designaret. Quapropter melius explicatur de profanatione templi Dei veri; ita enim antithesis vera adest: Abominaris quidem idola, sed tamen non vereris rebus, Deo vero consecratis, abuti, eas profanando. λέγειν h. l. docere, praecipere, uti prius κηρύσσειν.

V. 23. „*Qui in lege gloriaris*"; i. e. qui de lege a Deo tibi data gloriaris. — „*Violatione legis Deum ignominia afficis*", nimirum inter gentiles.

V. 24. „*Nomini enim Dei propter vos maledicitur inter gentes*"; i. e. propter peccata vestra blasphematur inter gentiles Deus; quum videlicet facile putare sibique persuadere possint, eum minime prohibere crimina, qualia vos patratis, aut certe in iisdem connivere. — Nomen Dei; quia vox nomen metonymice dicitur de ipsa persona, ideo verba nomen Dei denotant ipsum Deum in sua essentia una cum attributis ejus. βλασφημέω, famam alterius laedo, in passivo: male audio, maledicor; de Deo adhibitum, est: honori, gloriae Dei in hominum opinione detraho, sive verbis, sive factis; inde βλασφημία de Deo: quodvis impie dictum aut factum. — „*Sicut scriptum est*", scil. apud Jesaiam (52, 5.). — Inducit ergo ipsum Jesaiam apostolus ut accusatorem Judaeorum; ex quo utique sequitur, Judaeos non minus, imo magis reos esse, quam gentiles, ideoque eandum cum eis meruisse damnationem.

V. 25. „*Nam circumcisio quidem prodest, si legem observes; si vero violator legis sis, circumcisio tua praeputium facta est*". — Supradictae conclusioni, nimirum Judaeos non minus, imo magis reos esse, quam gentiles atque damnationem meruisse, contradicere

poterant Judaei ob signaculum foederis a Deo cum ipsis initi, id est ob circumcisionem suam, qua a gentilibus discernebantur. — Huic jam occurrit apostolus, docens, circumcisionem solum prodesse, si simul lex observetur; sine legis observatione autem nil prodesse, sed conditionem talis hominis circumcisi esse aequalem conditioni hominis non circumcisi. — Ceterum, si s. Paulus h. l. circumcisionem prodesse dicit, in epistola vero ad Galatas (5, 6.) scribit: „neque circumcisionem valere quidquam, neque praeputium, sed fidem", — minime sibi contradicit; nam circumcisio prodesse dici potest propter vim significandi; et iterum nihil valere dici potest in unione cum Christo, in negotio justificationis et salutis. — Particula *γὰρ* h. l. est explicativa: nimirum. *ἀκροβυστία*, praeputium, dein status seu conditio praeputii, ergo gentilismus, seu conditio hominis gentilis, ut h. l.; — et ita *περιτομή* est circumcisio, dein status circumcisionis, ergo Judaismus, seu status hominis Judaei, ut h. l. *πράσσω*, facio, dein observo (*φυλάσσω*) ut h. l. — *τὸν νόμον* h. l. idem ac (v. 14.) *τὰ τοῦ νόμου*, statuta legis. *παραβάτης* (a *παραβαίνω* transgredior) proprie: qui transgreditur; metaphorice: violator legis, praevaricator.

V. 26. *„Si igitur praeputium statuta legis observat, nonne praeputium ejus circumcisio habebitur"?* Vult dicere: Si gentilis naturâ duce atque magistra, moralia legis Mosaicae praecepta observat, nonne die judicii justi perinde a Deo habebitur, ac si esset circumcisus? (quum nimirum rem circumcisione significatam exhibeat opere). Cf. 1, 32. *δικαιώματα.* — *ἀκροβυστία* hic abstracto pro concreto posito, idem est ac *ἀκροβύστης*, praeputiatus, i. e. gentilis.

V. 27. *„Et judicabit, quod ex naturâ praeputium est, si legem exacte observat, te, qui per literam et circumcisionem violator legis es".* Vult dicere: Imo gentilis, qui a natura incircumcisus est, si legem exacte observet, sui comparatione condemnabit te, o Judaee, qui, legem scriptam et circumcisionem habens, legem acceptam violas. — *καὶ* h. l. habet vim intendendi: imo — *τελέω*, finio, perficio, impleo, exacte observo, ut h. l. — Praepositio *διὰ* h. l. ut saepe, indicat conditionem, in qua constitutus homo aliquid facit vel patitur. — *κρίνει*, judicabit, i. e. condemnabit, nimirum exemplo et sui comparatione. Ita loquitur Christus (Matth. 12, 41. 42.) de Ninivitis et regina austri. *γράμμα* est hic *νόμος γεγραμμένος*, lex scripta. — Nunc v. 28. et 29. probat, quod prius (v. 24—27.) dixerat, circumcisionem nimirum, nisi

adsit legis observantia, nihil prodesse, docendo, professionem Judaismi et circumcisionem non sola re externa constare, sed utrumque internum quid esse, respicere ipsum animum (mentem internam).

V. 28. „*Non enim, qui in manifesto, Judaeus est*"; quasi diceret: Non enim, qui genere et professione Judaismi externa Judaeus est, is verus et Deo placens Judaeus est. — „*Neque, quae in manifesto, in carne, circumcisio*"; i. e. neque circumcisio aspectabilis, quae fit in corpore, est vera et Deo placens circumcisio.

V. 29. „*Sed qui in abscondito, Judaeus est*"; quasi diceret; Sed ille verus Deoque placens Judaeus est, qui animo, per fidem et internas virtutes, est talis, qualem Judaeum, verum Abrahami filium, esse oportet. — „*Et circumcisio cordis, in spiritu, non litera*"; i. e. et vera Deoque placens circumcisio est cordis circumcisio, ea nimirum, quae in animo peragitur, non ea, quae fit secundum literam legis Mosaicae. — Circumcisio cordis est ea, quae in animo peragitur, qua animus hominis purgatur a sordibus peccatorum, non amplius subditus concupiscentiae pravae, et repletus est gratia sanctificante (*ἐν πνεύματι*). Talis circumcisio hominem facit verum filium Abrahami; quae autem tantum in Christo reperitur. Cf. Col. 2, 11. et Phil. 3, 3.

„*Cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo*"; i. e. hujus veri, corde circumcisi Judaei laus non est apud homines, qui externa tantum vident, sed apud Deum, qui cor et animum intuetur. — Ceterum oratio in v. 28. et 29. est elliptica; nam in v. 28. bis deest subjectum, in v. 29. bis deest praedicatum. In priori post *οὐ γάρ ὁ ἐν φανερῷ* supplendum est: *Ἰουδαῖός*, et post *σαρκὶ* supplendum: *περιτομή*; in v. 29. post *ἐν κρύπτῳ* supplendum: *Ἰουδαῖός*, et post *οὐ γράμματι* addendae voces: *περιτομὴ ἐστι*. — *τὸ φανερὸν*, quod aspectabile est, quod sub sensum oculorum cadit. — Praepositio *ἐν* hic dicitur de statu, in quo quid est. *οὗ* (cujus) referendum ad *ὁ ἐν τῷ κρύπτῳ Ἰουδαῖός*.

Caput III.

Argumentum. Caput hoc duabus constat partibus; in prima (v. 1—20.) ostendit apostolus, etiam Judaeos gratia Salvatoris indigere, praemittens tamen solutionem objectionum (v. 1—8.) inde ortarum, quia gentiles Judaeis aequiparando sentire videtur, Israëlitis a Deo nihil praeclari praestitum fuisse prae ceteris gentibus. — Solutis his objectionibus aggreditur (v. 9—20.) Judaeos, atque ostendit, illos aeque ac gentiles esse sub peccato, probans

id multis scripturae V. T. locis. In altera autem parte (v. 21—31.) suam de justificatione doctrinam aperit, docens, eam obtineri gratis per fidem in Christum.

V. 1. *„Quaenam igitur praestantia Judaei? aut quae utilitas circumcisionis“?* — Quaestio haec orta est ex proxime (2, 25—29.) dictis, ex quibus apostolus videri poterat gentiles in re religiosa omnino aequasse Judaeis. Quam consequentiam quum ex verbis suis duci nolit s. apostolus, eam ad modum objectionis sibi proponit ac statim refellit. Vult igitur s. apostolus verbis hujus versus dicere: Si ita, uti prius (2, 25—29.) dixi, res se habet, quaenam igitur sunt Israëlitarum praerogativae, aut quaenam est circumcisionis utilitas? Adest ergo in hoc versu duplex quaestio; primae statim (v. 2.) respondet apostolus; secundae in capite 4. τὸ περισσὸν idem ac ἡ περισσεία, praestantia.

V. 2. *„Magna quovis modo“;* i. e. multae sunt sub quovis respectu Israëlitarum praerogativae. — πολύ, scil. τὸ περισσόν, quod idem ac πολλὴ περισσεία. — κατὰ πάντα τρόπον interdum significat: omnino: valet vero etiam idem, quod: quovis modo, sub omni respectu; quod hyperbolice adhiberi solet, ut significetur: multa ex parte, sub multo respectu. Ita h. l., prout docet vox sequens: πρῶτον. — *„Nam primum quidem, quia concredita sunt illis eloquia Dei“.* Vult dicere: Primum quidem praerogativa est Israëlitarum prae gentilibus, quod Deus eis, ut amicis suis, concredidit legem, prophetias de Messia venturo, oracula, figuras (typos) futurorum in ecclesia scil. christiana. — Vox πρῶτον, scil. τὸ περισσὸν potest denotare primum, scil. ornamentum seu primam praerogativam, et simul cogitari potest, apostolum numero plura ornamenta similia voluisse recensere; dein autem ab ea re abstinuisse, quia per dubium v. 3. additum ad aliam rem conversus fuerat (facit id 9, 4. seq.). — Potest vero πρῶτον (primum) etiam idem denotare ac: primarium, praecipuum, ita ut jam originarie fuerit ei consilium, hoc tantum tractandi, silentio pressis aliis. — Sed alteri interpretationi obstat particula μὲν. — Per λογία intelligendae sunt omnes revelationes V. T., praeprimis oracula de Messia venturo. — In dictione ἐπιστεύθησαν (scil. οἱ Ἰουδαῖοι) τὰ λογία, positum est τὰ λογία in accusativo. Verbum enim πιστεύειν pertinet ad illa verba, quae, quum in activo habeant dativum aut genitivum personae, si passive construuntur, vertunt illum dativum aut genitivum personae in nominativum, manente accusativo rei.

V. 3. *„Quid enim, si nonnulli non crediderunt? num incredulitas illorum fidem Dei irritam reddet“?* — Verbis his occurrit objectioni

novae, ex praecedenti responsione nascenti, quum quis posset apostolo dicere: Quid profuerunt Judaeis eloquia Dei, si increduli fuerant? — Respondet ad hoc: Esto, quidam, imo plerique non habuerint fidem promissis divinis, incredulitas illorum haud potest inanem reddere Dei fidelitatem in suis promissis. — Agitur hic de promissionibus divinis absolutis. — πίστις h. l. saepe ut alias, fidelitas in praestandis promissis.

V. 4. „*Absit*“*!* nimirum, ut quis ita cogitet, (Deum scilicet fidem suam in promissis suis non servare.). — *μὴ γένοιτο* est formula cum detestatione negantis, velut rem absurdam ideoque impossibilem. — *γένοιτο* optat. aor. 2. med a *γίγνομαι*. — „*Sit autem Deus verax*“. — Dum apostolus hoc dicit, non edicit, qualem Deum in se consideratum esse velit; sed indicat, qualem in hominum persuasione eum esse velit, ita ut sensus sit: Deus in omnibus dictis et promissis suis verax ab omnibus agnoscatur (seu habeatur). — „*Omnis autem homo mendax*“, scilicet reputetur (si nimirum cum Deo compararetur). — „*Sicut scriptum est*“, scilicet psalmo 50. (v. 6.). — Dei veracitatem et fidelitatem non vinci hominum incredulitate, probat exemplo et verbis Davidis, quae citat juxta versionem 70. — „*Ut justificeris in dictis tuis et vincas, cum dijudicaris*“. — Davides nimirum post commissum adulterium et homicidium, poenitens, publice professus est peccata sua, dicens: „In te peccavi, et quod coram te malum est, feci“. — Professionem hanc ideo publice facit, ut tu (Deus) justus appareas in dictis tuis (i. e. in sententia tua de me lata), et tu vincas, si dijudicaris (i. e. et ut tu justus agnoscaris, si quis ob graves poenas, quas in me infers, justitiam tuam vellet negare). — Dum igitur s. Paulus verbis Davidis utitur, vult dicere: Sicut Davidis peccatum, quod publice professus est, justitiam Dei in poenis infligendis illustriorem reddit, — ita etiam incredulitas Judaeorum Dei fidelitatem non solum non reddit inanem, sed et illustriorem. Nam non obstante eorum incredulitate, non retractat suas promissiones, quas Judaeis fecerat. — In voce *λόγοις*, qua dicta seu eloquia Dei generatim comprehenduntur, h. l. simul spectari debet notio specifica eorum dictorum seu eloquiorum divinorum, quae promissiones continent. — *δικαιοῦσθαι* h. l., eodem modo uti prius (2, 13.) sumendum. — Ex citato scripturae testimonio consequebatur, hominum iniquitatem quodammodo facere ad gloriam Dei. Ne quis, quia apostolus id negare non vult, ulterius inde colligat, injustum esse Deum, si improbis poenas infligit, occurrit huic consequentiae.

V. 5. *„Si autem injustitia nostra justitiam Dei demonstrat, quid dicemus? num injustus est Deus, qui iram infert"?* Vult dicere: Si Dei justitia spectatior et illustrior redditur hominum injustitia, quid inde inferemus? num forte Deus injustus est, si poenas infert in peccatores? — *συνίστημι* h. l. manifesto, demonstro, (idem ac *δεικνύμι*). — *ὀργή* h. l. posito antecedente (ira) pro consequente (poena), denotat poenam. — *„(Secundum hominem dico)"*. — *κατ' ἄνθρωπον λέγω.* Phrasis haec in diverso contextu diversum habet sensum. Hic loci (Gal. 3, 15. 1. Cor. 9, 8.) phrasis haec denotat: more hominum loquor, qui tali modo solent colligere, seu: utor verbis repetitis a vita communi, atque respicit ad verba praegressa: num injustus est Deus? — quippe quae de Deo stricte non dici, imo ne cogitari quidem ab homine pio possint.

V. 6. *„Absit! alioquin quomodo judicabit Deus mundum"?* Vult dicere: Absit haec impia cogitatio; nam si Deus injustus esset, genus humanum non posset judicare; atqui credimus omnes, Deum esse judicaturum omnes homines. — *κόσμος,* mundus, h. l. continens pro contento: genus humanum.

V. 7. *„Si enim veritas Dei in meo mendacio abundavit in gloriam ejus, quid adhuc et ego tanquam peccator judicor"?* Vult dicere: Si enim veracitas Dei clarior et illustrior facta est per injustitiam meam (peccata mea), cur ego condemnor et punior tanquam peccator? — Assumit s. Paulus in se personam peccatoris, quasi diceret: Si peccata hominum per se justitiam Dei clariorem et illustriorem reddunt, atque ejus gloriam promovent, cur igitur adhuc homines tanquam peccatores puniuntur? — *ἀλήθεια* h. l. est veritas Dei moralis, i. e. ejus veracitas. — *ψεύσμα* (mendacium) h. l. idem ac *ἀδικία* (injustitia); — et *κρίνομαι* idem ac: *κατακρίνομαι,* condemnor (uti v. 8. *κρίμα* idem quod *κατάκριμα*). —

V. 8. *„Et cur non (sicut calumniamur, et sicut ajunt quidam nos dicere), faciamus mala, ut veniant bona"?* Vult dicere: Quare potius non peccemus, cumulemus peccata peccatis, ut inde major Deo gloria proveniat, sicut aliqui per calumniam dicunt de nobis, verba nostra sic interpretantes, quasi nos ita loquamur? — Apostolus sic illam impiam consequentiam (v. 6.) h. l. ex eo repellit, quod, si vera sit, jam sequatur, omnino licere malum facere, si bonum inde eveniat. — *„Quorum judicium justum est",* i. e. eorum, qui dicunt, faciamus mala etc., quum pessimum sit hoc agendi principium, justa est condemnatio.

Nota. Peccatum per se et directe non facit ad Dei gloriam (imo per se avertit a Deo): sed tantum per accidens

et praeter intentionem peccantis, quatenus Deus per suam potentiam et sapientiam scit ex malis elicere bona, et quatenus peccatum a Deo punitum manifestat Dei justitiam. (Damnati annunciant in aeternum Dei justitiam). — Revertitur s. apostolus ad tractatum superius, inde a c. 2, 1. coeptum, hunc: Non solum gentiles, sed etiam Judaeos esse sceleratos poenisque divinis dignos; quod quidem, quum c. 2. ex ipsis Judaeorum moribus perversis demonstrasset, et initio capitis hujus ab exceptionibus vindicasset, — nunc utpote Judaeis loquens, aptissime confirmat (v. 10. et seq.) diversis V. T. locis.

V. 9. *„Quid igitur? num praestamus"?* — Sunt duae interrogationes. — *τί οὖν* est formula argumentantis ex ante dictis et illaturi inde consequentiam, quam repulsurus sit; sensus est: Quid consequitur ex ante dictis? Num praestamus, i. e. sumusne nos Judaei praestantiores gentilibus? — *προέχεσθαι* in medio est idem ac: *ὑπερέχειν*, praestare, antecellere. — *„Omnino non"*. — Verba *οὐ πάντως* in se tantum considerata, possunt denotare vel: non penitus, vel etiam: penitus non, prorsus non, omnino non. Alteram significationem poscit consilium auctoris ex sequentibus cognoscendum, quippe quae ostendunt, apostolum nil praestantiae concedere voluisse Judaeis prae gentilibus. — Non pugnant tamen haec cum v. 1. et 2.; ibi enim de ornamentis, a Deo benigne genti Israëliticae concessis, de beneficiis externis (i. e. de lege, scripturis, prophetiis etc.), hic autem de dignitate interna loquitur, de vera justitia, a qua sola petenda est hominis vera dignitas et praestantia. — *„Antea enim convincimus, Judaeos et Graecos omnes esse sub peccato"*; i. e. jam in superioribus (c. 1. et 2.) probavi, Judaeos et gentiles omnes esse peccato obnoxios. — Verbis his rationem dat, cur dixerit, Judaeos omnino non praestantiores esse gentilibus. — *προαιτιάομαι* (ex *πρὸ* antea et *αἰτιάομαι* accuso, dein convinco) est: antea convinco.

V. 10. *„Sicut scriptum est"*. — Omnes sub peccato esse, copiosius adhuc ad convincendos Judaeos, ex scriptura, tanquam propria eorum lege (ut infra v. 19. dicit), probat apostolus. Utitur autem v. 10—12. talibus scripturae locis, quae universalitatem perversitatis moralis evincunt; dein v. 13—17. loca adjungit, quibus scriptura diversis hominibus diversa vitia inesse testatur. V. 18. iterum ad omnes respicit. — Citatur autem in sequentibus locus psalmi 13. (v. 1—7.), prouti in Septuaginta (non in textu hebraeo), et jam temporibus s. Hieronymi legebatur, quamvis codex Vaticanus eundem tantum in margine adscriptum habeat.

Liberius vero locum protulit s. apostolus, quin tamen sensum mutaret. — Occurrunt autem singulae partes totius loci hujus etiam in psalmis aliis (uti 5. 9. 35. 139.) et Jesaia (59, 7. 8.), ita ut dici etiam possit, apostolum loca diversa in V. T. dispersa, de vitiositate hominum agentia, in unum hic collegisse. [1]) Ceterum quod enumerata in hisce versibus vitia attinet, non censenda sunt in singulis hominibus omnia illa vitia, sed alia in aliis; ita tamen, ut omnes sint vel fuerint sub peccato. — *„Non est justus, ne unus quidem"*, nimirum in universo hominum genere, quantum ad naturae corruptionem attinet, et antequam quis justificetur per fidem in Christum.

V. 11. *„Non est sapiens"*, i. e, non est, qui sapiat ea, quae Dei sunt. — *συνιῶν* a *συνιέω*, animum adverto ad aliquid, perpendo, intelligo, sapio; dein in specie, sicut *ἀσύνετος* (insipiens) ex hebraismo denotat impium, ita *συνετός* et *συνιῶν* denotat pium, i. e. eum, qui intellectu suo recte utitur ad Deum ejusque voluntatem cognoscendam et obedientiam ei exhibendam; ergo qui vere sapiens est, qui sapit ea, quae Dei sunt. — *„Non est exquirens Deum"*; i. e. non est, qui colat Deum (nimirum bonis actionibus). —

V. 12. *„Omnes declinaverunt"*; i. e. omnes a via virtutis ad vias pravas deflexerunt. — *„Simul inutiles facti sunt"*; i. e. inepti ad legem implendam et opera pietatis exercenda; seu facti sunt corrupti. — *ἀχρειόω* (ex *α* priv. et *χρεία* utilitas) est: inutilem reddo; in passivo: ineptus sum; de moribus: corruptus sum. — *„Non est, qui faciat bonum, non est, ne unus quidem"*; i. e. non est, qui faciat opus Deo acceptum; seu: non est, qui virtutem exerceat. — *χρηστότης-τος*, bonitas, benignitas; h. l. idem ac *τὸ χρηστὸν*, bonum (scil. moraliter).

V. 13. *„Sepulchrum apertum guttur eorum"*. Vult dicere: Sepulchro aperto simile est guttur eorum, quia nimirum, sicut sepulchrum apertum exhalat tetrum ac pestiferum foetorem, ita ex ore illorum impuri, pestilentes noxiique sermones exeunt. — *ἀνεῳγμένος* part. perf. pass. ab *ἀνοίγω*, pateo, aperio. — *„Linguis suis dolose agebant"*; i. e. linguis suis utuntur ad dolum et fraudem (aliud nimirum loquentes, aliud facientes). — *ἐδολιοῦσαν* est imperf. in forma Alexandrinorum pro *ἐδολιοῦν* verbi *δολιόω*. [2]) Ceterum verba: sepulchrum.. dolose agebant — occurrunt etiam in psalmo 5. (v. 10.). — *„Venenum aspidum sub labiis eorum"*; i. e. ex ore

[1]) Cf. Reithmayr Comment. in den Röm. Brief S. 147. Estius p. 84.
[2]) Cf. Winer Grammat. p. 87. —

eorum calumniosos sermones proferunt, quibus maxime fama proximi laeditur. — Venenum aspidis est imago calumniosi sermonis; — ἀσπις (aspis) serpentis genus, veneno quam maxime lethali praeditum. — Verba haec occurrunt etiam in psalmo 139. (v. 4.).

V. 14. *„Quorum os exsecratione et amaritudine plenum est“*, nimirum ita, ut vix aliud proferant in eos, quibus offensi sunt, quam contumelias et maledicta. — Verba haec leguntur etiam in psalmo 9. (v. 7.), ἀρα-ας, preces, dein imprecatio, exsecratio. πικρία, amaritudo, amarulentia, dum odium cordis in ore et sermone apparet.

V. 15. *„Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem“*; i. e. parati et veloces ad caedes et oppressiones innocentium committendas. — ἐκχέαι inf. aor. I. ab ἐκχέω effundo.

V. 16. *„Contritio et miseria in viis eorum“*; i. e. omne eorum studium est, ut aliorum conterant salutem eosque miseros reddant. — Viarum nomine significantur juxta usum loquendi Hebraeorum studia et actiones.

V. 17. *„Et viam pacis non cognoverunt“*; i. e. nolunt ingredi viam pacis, qua aliis felicitatem et salutem afferant.

V. 18. *„Non est timor Dei coram oculis eorum“*; quasi diceret: Oculis mentis suae non considerant, Deum ubique praesentem proindeque timendum esse tanquam justum vindicem malorum. — φόβος proprie timor, dein reverentia et reverentiae genuinae conformis cogitandi, sentiendi et agendi ratio. — Verba: Veloces pedes . . . usque ad: non est timor . . occurrunt etiam in Jesaia (59, 7. 8.).

V. 19. *„Scimus autem, legem, quaecunque dicat, eis loqui, qui sub lege sunt“*. — Ne Judaei dicant, haec scripturae testimonia nil ad se pertinere, sed de gentilibus esse intelligenda, — praeoccupat illos apostolus, ac probat, de Judaeis principaliter esse ea intelligenda, quia scriptura, quae est propria eorum lex, Judaeis praecipue loquitur, uti in prophetis videre est. — Vox νόμος in diverso contextu diversas habet significationes; nimirum:

a) proprie est lex, et dein, ut Hebraeorum Thora, singula praecepta Mosaica etiam denotat (Exod. 12, 49.); denotat porro

b) complexum legum, per Mosen a Deo datarum;

c) inde libros Mosis, quibus continentur illae leges divinae; tandem

d) aliquando occurrit de omnibus libris V. T., quatenus omnes simul religionis quoque praecepta continent (ut Joan. 10, 34;

12, 34.). Hoc ultimo significatu vox haec initio hujus versus est sumenda; respicit enim in ea apostolus ad loca prius citata, quae non e libris Mosis, sed ex aliis V. T. scriptis attulerat. — Per formulam: *οἱ ἐν νόμῳ*, scil. *ὄντες*, designantur Judaei (cf. 2, 12. 14; 6, 15.), alias. *ἔννομοι*, *οἱ νόμον ἔχοντες*, *οἱ ὑπὸ νόμον* (scil. *ὄντες*); ergo: qui in legis disciplina sunt. — *„Ut omne os obstruatur"*; i. e. ut adeo omnes homines sileant et nemo glorietur, se absque peccato esse; aut audeat, se a peccato excusare. *τὸ ἵνα* h. l. non est finaliter (*τελικῶς*), sed de eventu (*ἐκβατικῶς*) sumendum, et denotat: ita ut, ut adeo; nam in aprico est, apostolum non voluisse dicere, quod Deus ideo s. libros dederit et per eos locutus sit, ut omnes homines sileant. — *φράσσω*, occludo, obstruo. — *„Et obnoxius fiat omnis mundus Deo"*; i. e. et omnes homines, etiam Judaei, rei convincantur, seu confiteantur, se esse Deo judici obnoxios ad aeternam damnationem. — *ὑπόδικος τινι*, obnoxius, reus alicui, alicujus judicio obnoxius, poenae obstrictus.

V. 20. *„Quia ex operibus legis nulla caro justificabitur coram eo"*; i. e. quia nullus homo per opera legis Mosaicae vere fiet justus. — *νόμος* h. l. tota lex Mosaica. — *πᾶσα σάρξ* (omnis caro) est hebraismus pro: quivis homo. — Opera legis sunt ea opera, quae lex Mos. aut facienda jubet aut vetat. — *δικαιωθήσεται* (justificabitur) in futuro; tempus futurum exprimit vel notionem possibilitatis; vel positum est, quia respicit auctor ad tempus quo manifestum fiet (die judicii), qui justitiam coram Deo adepti sint, qui non. — *„Per legem enim cognitio peccati"*, scil. datur. — Verbis his ratio datur, cur per opera legis Mos. nemo justificetur. — Causa hujus est in ipsa impotentia legis, ut quae nil aliud praestat, quam ut per eam homo nanciscatur notitiam ejus, quod faciendum, aut omittendum sit, ergo et peccati; porro per legem adducitur ad agnitionem et conscientiam peccati sui; neque tamen habet lex virtutem expiandi peccata, reconciliandi cum Deo et proinde justificandi (cf. 7, 7. et Hebr. 10, 3. 4. et Gal. 2, 16. ubi eandem doctrinam pandit apostolus). Finis enim legis non erat, ut hominem justificaret, sed erat, ut hominem conscium redderet infirmitatis humanae et necessitatis auxilii Salvatoris atque ita praepararet ad Christum, redemptorem; erat ergo paedagogus ad Christum (Gal. 3, 24.) Dum autem ita loquitur s. Paulus, non negat, multos in V. T. justitiam veram consecutos esse; hoc tantum edicit, eam illos non per sola opera legis consecutos fuisse, sed unacum his per

fidem in Messiam venturum, per quam anticipabant meritum redemptionis Christi.

V. 21. „*Nunc autem sine lege justitia Dei manifestata est*". Postquam ostenderat apostolus, ex lege Mosaica non esse justitiam, docere nunc incipit, unde ea petenda sit, nempe ex fide in Jesum Christum. — νυνὶ (nunc), i. e. tempore, a quo Christus suum opus redemptorium perfecerat. — δικαιοσύνη θεοῦ, justitia Dei, i. e. ea, quae a Deo est et qua nos Deus justos facit. — Verba: χωρὶς νόμου (sine lege) pertinent ad πεφανέρωται, et denotant: nulla legis Mos., positivae, ratione habita, — ita, ut illi, qui justitiae hujus nunc participes fieri cupiunt, non necesse habeant, Mosaicae legis statuta observare. — Addita sunt verba haec ethnicorum causa, utpote qui possint justificari, quin statutorum Mosaicorum jugo submittantur. — πεφανέρωται, manifestata est, scil. per evangelium Christi, quod illam palam et publice annunciat (coll. 1, 17.). — „*Testificata per legem et prophetas*". Verbis his probat, quod illa justitia, qua Deus homines justos facit, non sit nova, sed jam prius exstiterit, quum olim fuerit praenunciata sacrorum librorum oraculis. Verba lex et prophetae significant integrum V. T. (uti lex — νόμος v. 19.); et per haec verba apostolus ob oculos habet vaticinia V. T. Messiana, quia in et cum Christo haec justitia Dei innotuit. — Versu sequenti illustratur notio justitiae uberius, ratione habita fontis ejus, dein causae proximae efficientis (objectivae), conditionis (seu causae subjectivae), et ambitus ejus. — Fons est Deus ejusque gratia; causa efficiens Christus, qui objective omnibus hominibus illam justitiam Dei per mortem suam promeruit; conditio — fides; ambitus — omnes omnino credentes.

V. 22. „*Justitia autem Dei per fidem Christi in omnes et super omnes, qui credunt*"; i. e. justitia nimirum Dei, quae per fidem in Jesum Christum in omnes homines venit, qui credunt in eum. δὲ est particula explicativa: nimirum. πίστις Ἰησοῦ X. est idem ac: πίστις εἰς Ἰησοῦν Χρ. (coll. Col. 2, 5. et Gal. 2, 16.). Per verba εἰς πάντας καὶ ἐπὶ πάντας docetur, prorsus universalem esse justitiam, qua nos Deus vere justos reddit. — εἰς πάντας .. πιστεύοντας, scil. ἔρχεται (venit) vel γίνεται. Cf. dicta 2, 17. — „*Non enim est discrimen*"; i. e. nullum enim est discrimen inter Judaeos et gentiles respectu justificationis; seu: nullus est, qui possit aut unquam potuerit aliter justificari, quam per fidem in Jesum Christum.

V. 23. „*Omnes enim peccaverunt et carent laude Dei*". Verbis his rationem dat, cur justitia Dei sit in omnes homines. —

ὑστερεῖσθαι proprie: posteriorem esse, sive loco, sive tempore: dein relinqui, inde carere, indigere (2. Cor. 11, 8. Phil. 4, 12.). — δόξα laus, gloria; δόξα τοῦ θεοῦ est laus, quae a Deo venit; hinc: carent laude Dei (θεοῦ = παρὰ θεοῦ) est: carent laude ea, quam Deus tribuit, seu laude vera. — Quum hic defectus gloriae Dei, uti e contextu patet, sit sequela peccati, ergo originarie homo eam habuit, — utique gloria Dei h. l. nil aliud esse potest, quam imago Dei supernaturalis, justitia originaria, seu status gratiae sanctificantis. — Nunc in sequentibus describitur justificatio per varias ejus causas.

V. 24. *„Quippequi gratis justificentur gratia ejus"*; i. e. homines nimirum peccatores gratiam justificationis sine ullo bonorum operum merito, ex gratuita Dei misericordia consequuntur. — Gratia ejus; nam causa efficiens justificationis — est misericors Deus. (Conc. Trid. sess. 6. cap. 7.). *„Per redemptionem, quae est in Christo Jesu"*. — Verbis his indicatur modus, quo justificatio generis humani effecta fuit, quatenus Christus illud pretium appenderat, quod Deus pro infinita sua justitia ad redimendum genus humanum ex potestate peccati, maledictionis, diaboli et mortis, postulavit, scil. effundendo sanguinem suum. — ἀπολύτρωσις proprie redemtio, liberatio dato pretio; dein liberatio generatim; metaphorice est liberatio e statu miseriae et collocatio in meliorem conditionem. — Adhibetur hoc sensu saepe in s. scriptura de Christo, utpote qui homines e potestate peccati, maledictionis, diaboli et mortis, morte sua (sanguine in pretium redemptionis effuso) liberavit, Deo Patri reconciliavit eique acceptos reddidit. (Cf. Conc. Trid. l. c.). —

Sensus totius versus est: Homines peccatores justificantur ex gratuita Dei misericordia per redemptionem, quam fecit Jesus Christus sanguinis sui effusione; seu: peccatores justificantur ex gratuita Dei misericordia per Jesum Christum redemptorem.

V. 25. *„Quem proposuit Deus victimam expiatoriam"*; quasi diceret: Quem Deus nobis dedit (seu in propatulo posuit) ceu victimam expiatoriam. προτιθημί, propono, in propatulo pono. — ἱλαστήριον. Vocem hanc diverse explicant interpretes. Nonnulli respiciunt eam significationem, qua subintellecto vocabulo ἐπίθεμα denotat operculum arcae foederis (quod thronus gratiae dicebatur Exod. 25, 17.), versus quod veluti praesentiae divinae symbolum spargebatur a summo sacerdote sanguis victimae (Hebr. 9, 5.), ita ut sensus esset: Constituit Deus Christum tanquam thronum gratiae, ad quem accedere possimus obtinendae justificationis causa. —

Attamen, quamvis haec typica explicatio non sit aliena a cogitatibus s. Pauli, illi merito objicitur, per illam effici, ut apostolus videatur duas diversas imagines in uno loco haud apte commiscuisse; nempe Christum proposuisse sub imagine operculi arcae, versus quod sanguis victimae spargebatur, et simul sub imagine ipsius victimae, cujus sanguine expiantur peccata. — Vox ἱλαστήριον (adjectivum verbi ἱλάσκομαι, expio) proprie denotat id, quod ad expiationem pertinet. Hic loci potest triplici sensu accipi; vel ut masculinum, et dein ἱλαστήριος est propitiator, expiator, uti multi interpretes, s. Chrysostomum secuti, vocem hanc intelligunt; vel autem potest sumi neutro genere. In hoc casu potest iterum sumi vel substantive, ita ut idem sit ac ἱλασμος, propitiatio, expiatio, uti Vulgata hanc vocem vertit, qua versione stante vox abstracta est idem ac concreta: propitiator, expiator. Vel vero potest sumi adjective, ut sit supplendum θῦμα vel ἱερον (sacrificium, victima), quod si suppletur, esset vox ἱλαστήριον formata simili modo, uti χαριστήριον (sacrificium eucharisticum), vel juxta Septuaginta (Exod. 10, 24.) σωτήριον (sacrificium pacificum). Juxta hoc ἱλαστήριον est victima expiatoria, piacularis; quae explicatio reliquis praeferenda est, partim ob verbum: προέθετο, partim quia h. l. sanguinis Christi mentio fit. — *„Per fidem in sanguine ejus“*. Verba haec continent duas appositiones coordinatas, ad magis illustrandam notionem vocis ἱλαστήριον additas. Prior: per fidem indicat conditionem, ex parte hominis necessariam, ut Christus sit ei ἱλαστήριον; altera: in sanguine ejus monstrat modum, quo Christus factus sit ἱλαστήριον, nempe per suum in cruce effusum sanguinem; nam αἱμα denotat h. l. sanguinem a Christo moriente in cruce effusum, seu mortem Christi cruentam (Act. 20, 28. Ephes. 1, 7; 2, 13. Rom. 5, 9. Hebr. 9, 22.). — Verba διὰ πίστεως non sunt conjungenda cum verbis ἐν τῷ αἵματι, quia tunc articulus τῆς esse deberet ante ἐν τῷ αἵματι et loco ἐν stare praepositio εἰς; sed utrumque, tam διὰ τῆς πίστεως, quam ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι, conjungendum est cum verbis: ὃν προέθετο ἱλαστήριον, ita ut sensus sit: Quem Deus constituit victimam expiatoriam, quatenus omnes in eum credentes expiat per suum in cruce effusum sanguinem, seu per suam mortem cruentam. — *„Ad ostendendam justitiam suam“*, i. e. ut ostenderet justitiam suam. — Hisce verbis indicatur finis, ob quem Deus Christum hominibus exhibuit in victimam ipsius sanguinis effusione piacularem. δικαιοσύνη, justitia, h. l. tanquam ea Dei proprietas cogitata, qua probis largitur praemia improbosque

punit; in morte enim Christi non solum apparet Dei amor et misericordia erga homines, sed etiam ejus justitia, quae tale sacrificium ad expiandam culpam generis humani postulabat. ἔνδειξις, ostensio. — *„Propter praetermissionem peccatorum antea commissorum"*. πάρεσις est ἅπαξ λεγόμενον in N. T., sed non est idem, quod ἄφεσις (remissio); nam denotat praetermissionem, neglectionem, qua fit, ut peccata quidem non puniantur statim, nec tamen poena promerita auferatur (simile est ὑπεριδεῖν Act. 17, 30.). Significationem hanc commendant hic etiam verba sequentia: longanimiter ferente Deo, quae ad v. 25. referenda sunt. — Antea commissorum, i. e. ante Christi adventum commissorum.

V. 26. *„Longanimiter ferente Deo"*. Verba ἐν τῇ ἀνοχῇ τοῦ θεοῦ valent idem ac: ἀνεχομένου τοῦ θεοῦ et referri debent ad verba versus praecedentis: propter praetermissionem peccatorum, ita ut sensus sit: Propterea quod praetermisit (quasi neglexit) Deus prius commissa peccata in (vel pro) sua longanimitate, non denuo, uti Noachi tempore, homines perdendo. — Dum s. Paulus h. l. dicit, Deum constituisse Jesum Christum expiatoriam victimam propter praetermissa peccata antea commissa, non negat, ac si non esset etiam constitutus expiatoria victima postea commissorum et committendorum peccatorum; valet enim sanguis ejus effusus ad expianda totius mundi peccata; sed propterea ita loquitur, ut monstret, usque ad Christum non fuisse hominibus (Judaeis et gentilibus) viam reconciliationis cum Deo apertam, qua suis viribus potuissent ingredi, ita ut purgarentur a culpa et liberarentur a poenis. — *„Ad ostendendam justitiam suam hoc tempore, ut ipse justus esset, et justificans eum, qui ex fide Jesu est"*. Verbis his inest repetitio sententiae versu antegresso prolatae, et quidem duplex, ut et clarius illustretur, et gravius enuncietur. Sententia autem haec utraque, uti illa antegressa: ad ostendendam justitiam e versu 25. referenda est ad verba: Quem proposuit Deus victimam expiatoriam, hoc nexu et sensu: Deus Christum proposuit victimam expiatoriam, ut mors ejus piacularis esset manifestum documentum divinae justitiae, satisfactionem postulantis et improbos, justos facientis, atque etiam hoc tempore, quo Deus homines benigne sibi reconciliare constituit, non diminutae aut cessantis. — Hoc reconciliationis opus autem ita disposuit; primo, ut et ipse quoad justitiam suam immutabilis permansisse appareat; et dein, ut peccatores etiam sibi reconciliaret, condonando illis, si fidem habuerint, ob Christi

merita, peccata et poenas peccatorum atque in gratiam eos recipiendo. — ἐν τῷ νῦν καιρῷ, hoc tempore, i. e. tempore, a quo Christus suum opus redemptionis perfecerat (coll. v. 21. Gal. 4, 4.). — Ut ipse justus esset, i. e. ut ipse justus appareat seu conspiciatur. ὁ ἐκ πίστεως, scilicet ὤν, qui ex fide est; quod idem est ac: qui credit (cf. 2, 8.). Ἰησοῦ est genitivus objecti, hinc idem ac fides in Jesum, πίστις εἰς Ἰησοῦν.

V. 27. *„Ubi est ergo gloriatio"*; quasi diceret: Numne adhuc locus est gloriationi? Posita praecedenti doctrina (v. 23—26.), nimirum omnes, Judaeos et gentiles, peccatores esse, et justitiam non ex operibus, sed a fide in Christum petendam esse, apostolus Judaeum Romanum, qui se gentilibus praeferebat, interrogat, ubi est gloriandi ratio in toto hoc justificationis negotio? — Ut orationi majorem vim tribuat, utitur forma interrogativa. — *„Exclusa est"*; quasi diceret: Nullus illi (gloriationi) amplius locus relictus est, ideo nimirum, quia id demonstratum est. — *„Per quam legem? operum"?* Vult dicere: Num fors exclusa est per legem operum? seu: num fors gloriationem excludit ea lex (Mosaica), quae opera edi jubet? — *„Non, per legem fidei"*; quasi diceret: Non, sed per legem, quae fidem postulat, et justitiam fide quaeri jubet. — Lex Mosaica beatitatem promittebat illis, qui divinis praeceptis illius paruerint, operando ea, quae praecipiebat (νόμος ἔργων); hinc Judaei, dum vel quibusdam ejus praeceptis satisfaciebant, magna se fecisse gloriabantur, honore et praemio se dignos jactabant. Christiana vero religio, quatenus omnibus hominibus reconciliatione opus esse docet, hancque illis per Christi merita, e gratia Dei contingere edicit, si fidem habeant (unde et νόμος πίστεως), superbiam frangit et gloriationem de magno quodam operum propriorum merito cohibet; et quamvis fides in fidelibus bona opera producat, tamen omnis gloriatio de iis procul esse debet; nam semper memores esse debent, bona opera se non ex se, sed opitulante gratia divina peregisse. — Opponuntur h. l. sibi invicem lex operum et lex fidei. Poterat utrumque apte designari voce νόμος (lex); nam etiam Christi religio praecepta habet, et primarie quidem fidem poscit, per quam fructus meritorum Christi obtineantur. Discriminis autem causa utrimque addita est vox, quae peculiarem indolem utriusque designaret; ibi: operum, hic: fidei.

V. 28. *„Existimamus enim, justificari hominem per fidem sine operibus legis"*. Est in hoc versu varietas lectionis, a qua etiam nexus ratio cum praecedentibus pendet; nempe:

a) Plures codices post λογιζόμεθα legunt γὰρ (enim), ita et Vulgata et Patres multi; quae lectio, si teneatur, de nexu causali, quem indicat, hoc modo erit judicandum: In v. 27. principalis sententia est: Gloriationi non est amplius locus — hoc effecit christiana religio in mundum introducta. Versu 28. dein haec sententia firmatur verbis: Nam persuasum jam nunc habemus, hominem justificari non ob opera, lege Mosaica praecepta, quibus fors posset gloriari, sed justificari eum per fidem in Christum.

b) Alii vero codices plures cum s. Chrysostomo et Theophylacto legunt οὖν (igitur); quae lectio, si teneatur, versus hic continet conclusionem ex superiore parte (v. 21—26.) fluentem. Prior tamen lectio videtur ob testes potiores praeferenda esse. — Dicit in plurali: existimamus, quia loquitur de re, de qua aliis aeque ut sibi jam nunc persuasum esse supponit. Dativus πίστει est idem ac διὰ πίστεως. Verbis: opera legis intelligit opera legi morali V. T. (legi Mosaicae) congrua, sed fidem praecedentia. Quid apostolus per fidem intelligat, vide dicta 1, 17. Ceterum, si Paulus dicit, hominem justificari per fidem sine operibus, s. Jacobus autem docet, inanem esse fidem sine operibus, non pugnant inter se, quia s. Paulus loquitur de operibus, quae fidem praecedunt, Jacobus vero de operibus, quae fidem sequuntur, quo etiam modo ipse Paulus multis loquitur locis (Aug.) — Lutherus, ut suam de sola fide salvifica doctrinam ab ipso Paulo propositam tanto nervosius probaret, inseruit hic vocem: sola; et quum propter hanc textus s. interpolationem vituperaretur, scripsit: Sic volo, sic jubeo; sit pro ratione voluntas.

V. 29. *„An Judaeorum tantum Deus? Nonne et gentium? profecto et gentium“*. Vult dicere: Quod attinet ad justificationem, non solum Judaeorum est Deus, sed etiam gentilium; tum enim esset Judaeorum solum Deus, si justificatio penderet ex operibus legis Mosaicae. Versus hic et v. 30. continent argumentum e contrario.

V. 30. *„Quandoquidem unus est Deus“*. Confirmat hisce, quod dixerat: Deus etiam gentilium Deus est, et sensus est: Profecto Deus etiam gentilium Deus est, quandoquidem Deus est unus, adeoque idem omnium Deus sit necesse est. Lectio ἐπείπερ (quandoquidem, da ja doch) seriei cogitatuum magis congruit, quam εἴπερ (si quidem, wenn anders). — *„Qui justificat circumcisionem ex fide, et praeputium per fidem“*. Sententia haec continet

consequentiam, ductam ex praemissis; et sensus est: Qui (quum sit unus omnium Deus) igitur justificabit per fidem tum Judaeos, tum gentiles. — δικαιώσει justificabit; cur futurum positum sit, vide v. 20. — De vocibus περιτομή et ἀκροβυστία vide 2, 26. — Praepositiones ἐκ et διά sensu non differunt. Nonnulli putant, praepositionibus his significatam esse diversam conditionem Judaeorum et gentilium relate ad justificationem. Quum Judaismus niteretur fide in Deum et venturum Messiam, verus Judaeus germen fidei jam in se gerebat; ergo pervenerat ad christianam justificationem ex fide; ethnicus contra, cui hoc fidei germen deesset, justificatur per fidem.

V. 31. *„Legem igitur destruimus"?* i. e. num igitur (coll. v. 28.) legem Mosaicam fide, quam celebro, destruo? — *„Absit; sed legem confirmamus"*, i. e. minime, potius celebrando fidem, legem ratam facio; nam mea doctrina prorsus concordat cum lege, quippe quae et ipsa justitiam a fide repetit (uti capite sequenti demonstrat). νόμος denotat hic Vetus Testamentum et doctrinam in eo contentam, universam V. T. scripturam.

Caput IV.

Argumentum. Supra (3, 21.) apostolus obiter significaverat, doctrinam de justificatione per fidem et gratis obtinenda, s. scripturae testimoniis comprobari; hic vero nunc apta transitione usus (3, 31.), distinctius illud exponit, ex s. scripturis docendo, Abrahamum justificatum fuisse non ex operibus, sed per fidem et gratis (v. 1—5.); nec ex circumcisione, cum adhuc praeputiatus justificatus esset (v. 9. 10.), sed per fidem ab eodem exhibitam, cum adhuc esset praeputiatus; unde sequitur, justificationem non ex operibus, nec ex circumcisione, nec ex lege, sed ex fide exspectandam esse, non solum Judaeis, sed omnibus fidem illius imitantibus (v. 11—25.).

V. 1. *„Quid igitur dicemus, Abrahamum, patrem nostrum, invenisse secundum carnem"?* — Duplex est versus hujus constructio; altera, quae verba: secundum carnem jungit cum voce: patrem, hoc sensu: quid ergo dicemus de Abrahamo, patre nostro secundum carnalem generationem, quomodo adeptus est Abrahamus suam veram justitiam? (coll. v. 28.); — altera, quae verba: secundum carnem jungit cum verbo: invenisse, quae conjungendi ratio praeferenda est. Si scil. verba: secundum carnem sejunguntur a verbo: invenisse, non tantum otiose

Abrahamus dicitur hic Judaeorum pater carnalis (κατὰ σάρκα), sed etiam inepta apparet interrogatio apostoli; quia, quum interrogatio sit negantis, apostolus absolute negasset, Abrahamum quidquam consecutum esse; atqui fide consecutus est justificationem. Verba autem: secundum carnem non valent idem ac: secundum circumcisionem carnalem, quia haec significatio nimis angusta est, sed denotant: propriis viribus, seu per opera (praestita antequam Deo crederet). Hic in mente supplendum est: An fors secundum carnem justitiam veram consecutus est? — Et dein responsio: Non.

V. 2. *„Si enim Abrahamus ex operibus justificatus est, habet, quo glorietur, sed non coram Deo“.* — Apostolus vult dicere: Si Abrahamus ex operibus suis (externis) justificatus est, tunc habet, quo possit gloriari apud homines, qui externa solum vident, sed non coram Deo, quum in ipsa scriptura Deus testetur (v. 3.), quod per fidem fuerit justificatus. — καύχημα h. l. materia gloriandi; id, ob quod quis gloriatur. — πρὸς τὸν θεόν idem ac: ἐνώπιον τοῦ θεοῦ. — Verba ἐξ ἔργων respondent verbis: κατὰ σάρκα.

V. 3. *„Quid enim dicit scriptura“.* Probat nunc, Abrahamum gratis per fidem fuisse justificatum. — *„Credidit Abrahamus Deo, et imputatum est ei ad justitiam“,* scil. a Deo. Verba, quae apostolus h. l. affert, sunt desumpta ex Genes. 15, 6. juxta versionem Septuaginta (in textu enim hebraeo legitur active: et reputavit, sensu non diverso). In hoc Geneseos loco, uti e contextu patet, promittit Deus Abrahamo seni, infirmo et impotenti ad generandum, semen, i. e. magnam posterorum multitudinem (numerosam ad instar stellarum coeli), cui promissioni divinae Abrahamus fidem habuit contra spem (4, 17.), quum id, considerata ejus physi, naturali via sperari non posset (in qua autem fide simul continebatur fides in venturum Messiam); et quia Deo (promittenti et praecipienti) credidit, et ipsi firma cum fiducia atque perfecta obedientia (paratus etiam ad unicum filium sacrificandum Gen. 22, 1.) se penitus dedidit, haec res Deo erat valde grata et accepta, simulque causa (seu motivum), ut haec ejus fides ipsi a Deo, gratuito reputata esset ad justitiam (gratuito, quia fides ut actus hominis ex natura sua nec producere potest justitiam, nec eam mereri tanquam opus justitiae meritorium). Quia autem Deus non potest homini aliquid imputare (in rationes referre), quod ipse revera non habeat, verba haec (imputatum est ei ad justitiam) idem valent ac: Deus Abrahamo propter fidem gratuito (ex benevolentia omnino gratuita) largitus est (contulit) justitiam, seu: eum justum fecit. — Deus

hanc promissionem jam prius dederat (Gen. 12, 1. seq. 13, 14. seq.), istamque serius repetiit (Gen. 17, 1. seq. 22, 15.), apostolus tamen locum Geneseos 15, 6. elegit, quia omnia modo brevissimo continet, quae h. l. apostolus proponere volebat, nimirum fidem fuisse, per quam Abrahamus justitiam consecutus est. — ἐλογίσθη est Aoristus passivus, quamvis verbum λογιζέσθαι sit verbum deponens, quia hoc verbum ad illa pertinet verba, quae unacum Aoristo mediae formae et activae significationis, etiam Aoristum suum (imo et Futurum Rom. 2, 26. et Praesens Rom. 4, 4; 9, 8.) habent in forma passiva cum significatione passiva.[1]) Verbum λογιζέσθαι (a λόγος computatio) in medio proprie notat: computare, dein: in rationes referre, imputare, reputare (ut h. l. v. 7, 9; 10, 10. Gal. 3, 6.). Est autem imputari aliquid alicui (τι τινί) tantumdem ac: gratuito illi conferri, quod apostolus mox (v. 4.) probat a contrario. Ideo etiam fides ad justitiam dicitur reputari, et non dicitur pro fide justitiam rependi, quia fides justitiam non meretur tanquam opus justitiae meritorium, sed ex Dei benevolentia gratuita habenti fidem justitia donatur. (Cf. Conc. Trid. sess. 6. c. 7.).[2]) — Praepositio εἰς (δικαιοσύνην) est sumenda de effectu divinae ilius imputationis (ut 10, 10.) — Sic s. apostolus exemplo Abrahami probat, eum non ex operibus justificatum fuisse, sed gratis per fidem. Haec autem Abrahami fides, si objectum respiciamus, est eadem cum nostra, scil. fides in Messiam (Christum), in quem Abrahamus (coll. Joan. 8, 56.) ut venturum prospexit, dum nos credimus in eum jam incarnatum, qui jam advenerat. Quum nimirum Abrahamus credidit Deo promittenti, sibi fore semen, magnam posterorum multitudinem (quamvis id considerata ipsius physi, et postea ob Jehovae mandatum, unicum filium sacrificandi, incredibile videretur), implicite simul credidit in semen, in quo benedicendae erant omnes familiae terrae, i. e. in Messiam, qui erat centrum et finis in hac posteritate Abrahamo promissa. Et sicut Abrahamus credidit, Deum mortuis vitam dare posse, i. e. posse corpus emortuum ad generandum vivificare, dando ei virtutem ad generandum — ita etiam nos credimus, Deum a morte suscitasse Christum redemptorem. — Haec vero Abrahami fides non erat mortua, sed viva, non nuda, sed omnibus virtutibus ornata, erat Deo penitus submissa, ad omnem ejus voluntatem parata. Conf. dicta v. 22.

[1]) Cf. Beelen Gramm. N. T. pag. 271.

[2]) Beelen Commentar. in h. l.

V. 4. *„Operanti autem merces imputatur non secundum gratiam, sed secundum debitum“.* Hisce probat, Abrahamum non ex operibus legis fuisse justificatum, ita argumentando: Operi respondet meritum, merito merces; hinc ei, qui opus meritorium exercet, merces non datur gratis, sed ex justitia, tanquam quid ei debitum. — Ex quo sequitur, Abrahamum non fuisse ex operibus justificatum, quia s. scriptura tum non posset dicere, eum gratis per fidem fuisse justificatum. — ὁ ἐργαζόμενος, operans, h. l. sensu morali: qui opera facit non ex fide, sed naturae suae viribus, quia in sequentibus opponitur τῷ πιστεύοντι. — κατὰ χάριν idem ac δωρεὰν (3, 24.).

V. 5. *„Non operanti autem, sed credenti in eum, qui improbum justificat, imputatur fides ipsius in justitiam“.* S. apostolus vult dicere: Ille autem, qui, etiamsi naturae suae viribus afferat opera, divinae voluntati conformia, non ideo exspectat justificationem, sed tantum credit in Deum, qui peccatores justificat, per fidem hanc justificatur. — πιστεύειν ἐπὶ τὸν θεὸν non est solum: credere Deo aut credere Deum, sed credere in Deum, i. e. credendo in Deum ire, quod charitas facit, ut s. Thomas explicat, seu aliis verbis formula illa denotat non solum credere in Dei existentiam et pro veris habere, quae Deus revelavit; sed in voce ἐπὶ (uti εἰς) latet potius motio, conversio voluntatis ad Deum; ergo voce ista saltem initium charitatis erga Deum expressum est. Quare etiam s. Augustinus distinguit τὸ: credere in Deum a mero τὸ: credere Deum et credere Deo. Haec fides in Deum, haec inclinatio ad Deum per fiduciam et charitatem est juxta verba concilii Tridentini radix et fundamentum justificationis. — ἀσεβής idem ac ἁμαρτωλός, ἄδικος. — In Vulgata simul legitur: secundum propositum gratiae Dei, i. e. secundum propositum seu decretum, quo Deus statuit, hominem justificare gratis.

Nunc in sequentibus aliud adducit ex psalmis testimonium, quo docet, sine operum merito justitiam homini provenire, et proinde gratis.

V. 6. *„Sicut et David dicit“,* nimirum psalmo 31. (v. 1. 2.). — *„Beatitudinem hominis“,* i. e. beatum hominem. — *„Cui Deus imputat justitiam sine operibus“,* i. e. quem Deus gratis justificat sine operum merito. — Primo intuitu (uti jam s. Chrysostomus observat) verba haec non videntur probare sententiam Pauli, quia s. scriptura versu sequenti dicit: beati, et non: justi (δίκαιοι). Ast s. scriptura neminem praedicat beatum, nisi gratia et fa-

vore divino gaudentem; hinc in voce beatitudinis Davidis jam simul latet notio justitiae et favoris divini. Nunc ipsa Davidis verba afferuntur juxta versionem 70.

V. 7. *„Beati, quorum remissae sunt praevaricationes"*; i. e. beati praedicandi sunt, quibus gratuito ablata et condonata sunt peccata. *ἀνομία* est quaelibet legis divinae transgressio, violatio. — *„Et quorum tecta sunt peccata"*; i. e. a conspectu remota, oblivioni quasi tradita, ita ut amplius non sint, hinc remissa et deleta. — Deo enim nil tegitur, nisi quod non est; hinc quoad sensum sententia haec non est diversa a praegressa: peccata remittere, et a sequenti: non imputare peccatum.

V. 8. *„Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum"*; quia scil. jam plene deletum et ablatum est, hinc nil amplius adest, propter quod eum ceu peccatorem tractaret, i. e. odio haberet et puniret. — Ex verbis his: „quorum tecta sunt peccata" — et „cui non imputavit Dominus peccatum", acatholici theologi construunt suam de justificatione doctrinam, juxta quam in justificatione peccata non deleantur, sed tantum tegantur, aut non imputentur. Falsitas doctrinae hujus in dogmatica demonstratur, unacum doctrina, in quo vera consistat justificatio; sed quam male intelligant haec Davidis verba acatholici interpretes, ex eo jam potest perspici, quia Davides ipse psalmo 50. (v. 9.) sat clare docet, quid censuerit de justificatione. Dicit scil. loco citato: „Munda me hyssopo, ut munder; laves me, ut prae nive dealber". Verbis: mundare hyssopo et mundari, certe indicatur ablatio peccatorum; sicut et expressionibus: lavare et efficere candorem nive praecedentem, indicatur status candoris et sanctitatis. [1])

V. 9. *„Haec igitur beatitudo in circumcisionem, an etiam in praeputium"?* Vult dicere: An illa beatitatis praedicatio seu justificatio, de qua David loquitur, tantum contingit Judaeis circumcisis, an etiam incircumcisis seu gentilibus? — Hic jam s. auctor transit ad probandum ex allegato scripturae effato de Abrahamo, pariter nec a circumcisione pendere justificationem. Post *περιτομήν* mente addenda est vox *ἐστί*, vel *γίνεται*, vel *λέγεται*. — *„Dicimus enim, imputatam esse Abrahamo fidem ad justitiam"*; i. e. paulo ante jam diximus ipsis scripturae verbis (v. 3.), Abrahamo fidem reputatam fuisse ad justitiam. Particula *γάρ* est h. l. explicativa: nempe.

[1]) Cf. Reithm. 190. 191.

V. 10. *„Quomodo igitur imputata est? in circumcisione, an in praeputio"?* i. e. qualis et in quo statu existebat Abraham, quando fuit justificatus; an erat tum circumcisus, an vero adhuc praeputiatus? — *πῶς* h. l. = *ποῖος,* qualis. — *„Non in circumcisione, sed in praeputio",* i. e. ex scriptura constat (Gen. c. 17.), illum non circumcisum fuisse, sed praeputiatum adhuc, quando credidit Deo, et ob hanc fidem suam justificatum fuisse. — Inde ergo sequitur, justificationem non pendere ex circumcisione.

Nunc (v. 11. et 12.) exponit apostolus, quisnam fuerit finis susceptae ab Abrahamo circumcisionis, unaque sic respondet Judaeo forte quaerenti: Si Abrahamus justificatus fuit, quum adhuc esset praeputiatus, ad quid ergo deinceps fuit circumcisus?

V. 11. *„Et signum accepit circumcisionis, documentum justitiae fidei, quae est in praeputio".* — Vult dicere: Abrahamus antea jam justificatus per fidem, postea accepit signum circumcisionis, i. e. ipsam circumcisionem tanquam signum pro se et sua posteritate, ut sit illa documentum, quo praecedens ejus justitia, quam ex fide sua, de Messia e suo semine nascituro, nondum circumcisus perceperat, comprobaretur, certa et firma redderetur. *περιτομῆς* est genitivus appositionis; signum, quod circumcisione constat. — Codices A. C., versio Peschito et nonnulli Patres loco *περιτομῆς* legunt *περιτομήν.* Si legitur accusativus, tum *περιτομὴν* est additamentum explicans, verbum *σημεῖον,* hoc sensu: signum, nimirum circumcisionem. — Verba: *τῆς ἐν τῇ ἀκροβυστίᾳ* melius junguntur cum voce *πίστεως,* tum ob locum, quo sunt posita, tum quia *πίστις* est illud, quod apostolus Abrahamo profuisse absque circumcisione docere vult in omni hoc loco. — *τῆς πίστεως* est genitivus originis, justitia, quae Abrahamo ex fide contigit. — *σφραγίς,* sigillum, documentum, quo rei veritas comprobatur, tanquam sigillum seu signaculum testimoniale. Circumcisio quidem principaliter fuit instituta ad significandum foedus, quod pepigit Deus cum Abrahamo ejusque posteritate (coll. Gen. 17, 10.) Ast quum foedus illud cum Abrahamo ob ejus firmam fidem de Messia ex ipsius semine nascituro et inde provenientem justitiam pactum esset, utique signum foederis simul etiam est documentum justitiae fidei, i. e. tale signum, quo justitia ex praecedente ejus fide orta comprobatur et firma redditur. — *„Ut esset pater omnium, qui credunt in praeputio".* His verbis exponitur finis, ob quem Deus voluerit, ut circumcideretur Abraham jam antehac justificatus. Finis fuit hic, ut Abraham tamquam is, qui esset per fidem justificatus, etsi adhuc praeputiatus, deinde autem circumcisus, hoc modo esset pater

tam eorum omnium, qui praeputiati crederent, quam circumcisorum, qui fidem ejus imitarentur. — Vox πατήρ latiori significatu denotat relationem non carnalis, sed spiritualis cognationis, ratione exempli. — δι' ἀκροβυστίας idem ac ἐν ἀκροβυστίᾳ et hoc intelligendum de statu, conditione, in qua quis versatur. — *„Ut imputaretur et illis justitia"*, i. e. ut, sicut Abrahae, etiam illis praeputiatis gentilibus fides imputaretur justitia seu ad justitiam, et ex fide sua illi quoque justificentur, sicut Abrahamus ex fide sua justificatus est. — Sententia haec est consequens ex praegressa, sed parenthesi includenda.

V. 12. *„Et esset pater circumcisionis, eis* (nempe), *qui non solum e circumcisione sunt, sed etiam incedunt vestigiis fidei patris nostri Abrahami, quam habuit, dum in praeputio erat"*. Vult dicere: Ideo Abrahamus, cum justificatus esset in praeputio, adhuc tamen accepit circumcisionem, documentum justitiae, ut esset pater circumcisorum, i. e. Judaeorum, iis scil., qui non tantum carne circumcisi sunt, sed etiam imitantur fidem, quam ille adhuc praeputiatus exhibuerat. — Post καὶ ab initio ex praecedenti versu (11.) supplendum est: εἰς τὸ εἶναι αὐτόν. Ob genitivum περιτομῆς deberet esse τῶν στοιχούντων; sed etiam dativus στοιχοῦσι, si sumitur ut dativus commodi, aptum fundit sensum. — Verba: ὁ ἐκ περιτομῆς ita sumenda, uti ὁ ἐκ πίστεως (3, 26.). — Post περιτομῆς μόνον mente supplendum est: οὖσι.

V. 13. *„Non enim per legem promissio Abrahamo* (facta est) *aut semini ejus, ut haeres esset mundi, sed per justitiam fidei"*. — Quod modo apostolus de circumcisione dixerat, nimirum Abrahamum non ratione habita circumcisionis justificatum fuisse, ideoque eam (externam) hominem non reddere verum Abrahami filium, id nunc probat respectu legis. Solummodo loco notionis: filius, adhibet notionem correlatam: haeres, quia argumentationem adnectit illi Geneseos loco, ubi Abrahamo terra Chanaan tanquam haereditas pro posteris ejus promittitur. — γάρ, quia versu hoc demonstrat, quod prius dixerat, scil. Abrahamum esse patrem omnium credentium, non solum circumcisorum (Judaeorum). Hoc autem ita probat, quum ostendit, Abrahamo et semini ejus factam fuisse promissionem possessionis orbis terrarum, non ratione habita legis Mosaicae (quae nondum aderat), sed justitiae ex fide partae; unde consequitur, haeredem fieri aliquem non per legem, sed per fidem. — Post ἐπαγγελία supplendum est ἐγένετο. — Per promissionem, Abrahamo factam, intelligenda est haereditas regni Messiani, toto orbe dilatati,

quod possident spirituales Abrahami posteri, i. e. fideles. — *ἢ σπέρματι;* ἢ (aut) est conjunctivum, quia promissio illa, sicut facta fuerat Abrahae, ita quoque facta fuit semini ejus. Per semen ob antecedentia et subsequentia intelligendi sunt posteri Abrahae spirituales, i. e. fideles (credentes). — *αὐτὸν εἶναι;* pronomen *αὐτὸν* grammatice pertinet ad *Ἀβραάμ*, sed logice simul includit *σπέρμα*, hoc modo: ut (nimirum Abrahamus) in semine suo haeres esset mundi; nam non in Abrahamo, sed in ejus posteris promissio illa impleta est. Abrahamo quidem (coll. Gen. 12, 7; 13, 15; 15, 18; 17, 8.) data fuit promissio, fore ut possideant posteri ejus carnales terram Chanaan (Palaestinam); sed, quum ei et altera promissio data fuerit, „fore ut in te benedicantur omnes nationes terrae", quae promissio evidenter ad tempus Messianum spectat, etiam s. Paulus hanc terrae promissionem typice intelligit, notionemque terrae Chanaan extendit in illam omnis orbis terrarum, tanquam territorii regni Messiani. Seu aliis verbis: Terra Chanaan, quae Abrahamo pro posteris ejus carnalibus promissa erat, apostolo est typus regni Messiani, quod spirituales posteri Abrahami occupant et possident, i. e. fideles in ecclesia christiana, quae est regnum fidelium, in quo rex est Christus, et quod regnum in sua consummatione devicto omni malo, in fine mundi totum orbem terrarum comprehendet.

V. 14. *„Si enim, qui e lege, haeredes sunt, vana est fides, et irrita reddita promissio".* Hic probat (*γὰρ*) apostolus modo prolatam sententiam, nimirum promissionem haereditatis pendere a fide, argumentando ex absurdis, quae sequantur, si illa haereditas penderet a lege. Vult itaque dicere: Si haeredes promissionis Messianae Abrahamo datae (ergo haeredes regni Messiani ejusque salutis) solum essent Judaei, qui legem habent Mosaicam, fides, quae in scriptura s. tantopere celebratur et in Abrahamo causa fuit justitiae ejus, inanis et inutilis esset, promissio autem Abrahamo facta foret abolita, quod tamen esse non potest. — *ἡ πίστις* non est fides universim et qualiscunque, sed certa, nota fides (*ἡ*), illa, quae in Abrahamo fuit causa favoris divini et justitiae. — *νόμος* h. l. est lex Mosaica, Judaeorum.

V. 15. *„Lex enim iram operatur";* i. e. lex auget culpam et consequenter vindictam divinam. Sententia hac probat (*γὰρ*), cur, si solum Judaei, qui legem habent, essent haeredes promissionis Abrahamo factae, ipsa promissio aboleretur. Lex iram operari dicitur, non per se et ex sua institutione, sed ex occasione, quatenus in hominibus lapsis et ad peccandum pronis, prohibitionibus

suis et mandatis concupiscentiam excitat et ad peccandum irritat (juxta illud: nitimur in vetitum), dat notitiam peccati (coll. 3, 20.), atque ita auget (5, 20.) culpam hominis et consequenter vindictam divinam. Si autem lex iram operatur, non potest promissionem operari; nam promissio innititur ex parte Dei gratiae, gratia autem et ira (benedictio et maledictio) sibi e diametro sunt oppositae. Quod lex iram operetur, probat apostolus sententia negativa, dum dicit: *„Ubi enim non est lex, nec praevaricatio"*; i. e. ubi non est lex, ibi transgressioni legis non est locus, ergo nec irae, hinc nec vindictae, nec poenae; ibi igitur libere operari potest gratia Dei, hinc etiam haereditas promissa dari. Ceterum *νόμος* h. l. ob contextum et vocem *παράβασις* denotat legem aliquam Dei positivam. De voce: ira conf. 1, 18.

V. 16. *„Propterea ex fide"*, i. e. quum haereditas promissionis Abrahae factae (seu salus Messiana) non obtineatur ex lege, idcirco haeredes promissionis sunt ii, qui credunt (seu haereditas illa obvenit ex fide). — Verba *ἐκ πίστεως*, quia opponuntur verbis: *οἱ ἐκ νόμου κληρονόμοι* (v. 14.), posita sunt, pro: *οἱ ἐκ πίστεως κληρονόμοι εἰσί* (qui fidem habent, haeredes sunt). — *„Ut per gratiam"*, ut haereditas illa esse intelligatur gratuita et indebita. Stante hac explicatione post *ἵνα* suppletur, *ᾖ* aut *γένηται*; si autem *ὦσιν* suppletur, sensus est: ut intelligant, eos, si Deus promissionem in eis implet, haeredes promissionis esse non ex merito, sed ex gratia. — *„Ut firma sit promissio omni semini"*. Verbis his duplicem affert rationem, quare Deus vult, ut promissionis haereditas homini obveniat ex gratia, et non ex merito; primum, ut promissio Dei sit firma. Si scil. Deus impletionem promissionis ex lege pendentem statuisset, se ipsum coërcuisset, quum eam iis solum dare potuisset, qui legem observant, i. e. nulli, quum nemo legem perfecte impleat. Quum autem Deus eam ex gratia pendentem statuerit, gratia vero non, uti divina justitia, per peccatum coërcetur, Deus tali modo possibilitatem in tuto collocavit, in promissione data fidem servandi. — Altera ratio est, ut promissionis non solum Judaei, sed etiam gentiles participes fiant, dum dicit: *„Omni semini, non ei solum, quod ex lege est, sed etiam ei, quod ex fide Abrahami"*; i. e. omnibus hominibus, non tantum Judaeis, qui legem acceperunt, sed etiam gentilibus, qui Abrahamo fide similes sunt. — Si nimirum impletio promissionis penderet ex lege, solum Judaei eam participare potuissent; atqui illius omnes, qui fidem Abrahami imitantur, possunt participes fieri, hinc et gentiles; nam omnes credentes sunt

filii Abrahami spirituales, et quia filii, hinc et haeredes. — *„Qui est pater omnium nostrum"*; i. e. qui Abrahamus pater est omnium nostrum credentium, tam Judaeorum, quam gentilium. Quod statim v. 17. probat.

V. 17. *„Sicut scriptum est: Patrem multarum gentium posui te"*; i. e. constitui te praeordinatione et proposito certissimo. — Est scil. praeteritum propheticum pro futuro ob certitudinem rei futurae. — Promissio haec, quae continetur Genes. 17, 5., ubi redditur causa nominis Abram, in Abraham mutati, proxime (sensu literali) de carnali Abrahami posteritate agit, interprete apostolo (sensu typico) intelligenda est de spirituali Abrahami posteritate, de populis fidem Abrahami sectantibus. Citatum hoc est tanquam parenthetica sententia sumendum, uti graeci interpretes faciunt. — *„Coram Deo, cui credidit"*. Graecum: *κατέναντι οὗ ἐπίστευσε θεοῦ* per attractionem dictum est pro: *κατέναντι τοῦ θεοῦ, ᾧ ἐπίστευσε.* — *κατέναντι* proprie: e regione, ex adverso; dein coram, in conspectu; ubi de Deo adhibetur, denotat (uti *ἐνώπιον, ἐναντίον*) improprio significatu mox: Deo judice, mox: ex Dei voluntate, ut h. l. Graeci e contra sumunt praeeunte s. Chrysostomo significatu: ad exemplum, instar. Sensus est: qui (Abrahamus) pater est omnium nostrum, non judicio hominum, secundum quod est solum pater Judaeorum, sed ex Dei judicio et voluntate, et quidem ideo, quia credidit Deo promittenti, se velle eum facere patrem multarum gentium. — *„Qui vivificat mortuos"*, i. e. qui emortuum corpus Abrahae et Sarae vivificat ad generandum, nimirum dando eis ad generandum simpliciter (absolute) impotentibus, virtutem generandi; de quo v. 19. expresse sermo fit. — *„Et vocat ea, quae non sunt, tanquam ea, quae sunt"*; i. e. qui non existentia vocat e nihilo, et ea facit existere. Per *τὰ μὴ ὄντα* sunt relate ad Abrahamum intelligendi multi populi, quos ei Deus tanquam posteritatem promiserat, et qui tunc temporis adhuc *μὴ ὄντα* erant.

Postquam in praegressis apostolus probaverat, Abrahamum non ratione habita operum, nec circumcisionis, nec legis, sed per fidem justificatum fuisse, nunc describit fidei, quam Abraham habuit, indolem.

V. 18. *„Qui contra spem cum spe credidit"*; i. e. qui, quamvis naturali via spes non adesset, futurum credidit propter promissionem divinam. - *παρ' ἐλπίδα*, contra spem, i. e. contra id, quod secundum naturae leges (via naturali) sperari poterat. — *ἐπ' ἐλπίδι*, cum spe, i. e. sperans. In verbis: contra spem cum spe est

oxymoron. — *„Ut fieret pater multarum gentium“*. Verba haec exprimunt id, quod Abrahamus credidit. — *„Secundum dictum: Sic erit semen tuum“*. Sic (οὕτως), nimirum innumerabile, uti innumerabiles sunt stellae coeli. Respicitur hic ad locum Geneseos (15, 5.), ubi proxime de posteris carnalibus sermo est. Apostolus eo utitur, ut firmet sententiam, Abrahamo promissum esse, fore ipsum patrem multarum gentium. Et vere quidem; nam, quum aliae promissiones divinae spem dederint, fore, ut ex Abrahami sobole benedictio veniat omnibus gentibus, sicque Abrahamus fiat pater spiritualis multarum gentium, ipse Abrahamus, quia inexspectatam sobolem carnalem, sibi promissam, accepturum se esse credidit, implicite etiam credebat ea, quae cum istius promissionis impletione, tanquam sequela ejus conjuncta erant.

V. 19. *„Et non infirmatus fide“*, i. e. cum non esset infirmus fide; quoad sensum idem ac: cum esset fide firmissimus. — *„Non consideravit corpus suum jam emortuum“*, i. e. mentem suam non fixit in corpore suo prae senio simpliciter (absolute) jam impotente ad generandum. — *„Cum fere centum annorum esset“*. Dicit: fere centum annorum, quia annos 99 natus erat. — *„Et languorem uteri Sarae“*; i. e. et non mentem fixit in utero Sarae, concipiendo jam non apto, quippe quae 90 annorum erat. νέκρωσις (a νεκρόω 2. pers. perf. pass. νενέκρωσαι) proprie interfectio; passive idem quod νενέκρωσθαι (das Abgestorbensein) et translato significatu: torpore consummatus, ut h. l., ubi intermortuo Abrahami corpori opponitur praemortuus uterus Sarae, concipiendo jam non aptus. — Si Abrahamus, audita promissione filii ex Sara, risisse atque dixisse in corde suo legitur (Gen. 17, 17.): „Putasne centenario nascetur filius et Sara nonagenaria pariet“, verba haec non sunt dubitantis, sed admirantis firma fide susceptam Dei promissionem, ac si diceret: Numquid rem tantam et hucusque inauditam facturus es mea causa? (cf. Estius).

V. 20. *„De promissione vero Dei non dubitavit incredulitate“*, i. e. nulla laboravit incredulitate, ut de promissione divina dubitaret. — τῇ ἀπιστίᾳ est dativus causae seu instrumenti. — διακρίνομαι, contendo, discepto; dein dubito, haesito ut h. l. — *„Sed corroboratus est fide“*, i. e. fortis factus est, seu fortem se exhibuit quoad fidem. — ἐνδυναμόω, corroboro, confirmo, in passivo: corroboror, fortis fio. — *„Dans gloriam Deo“*, scil. credens et profitens eum omnipotentem. Hisce aperitur modus, quo Abrahamus firmum fide se praestiterit,

V. 21. *„Et persuasione plenus, eum, quod promisit, posse etiam praestare“*, i. e. plenissime persuasus, quod Deus, quae promisit, possit exsequi. — His verbis exponitur ratio, ob quam Abrahamus Deo promittenti firmiter crediderit. — πληροφορεῖσθαι primum denotat: impleri, plenum esse; metaphorice: in animo aliqua re impleri (1. Thess. 1, 5.), idea quadam plenum esse (Hebr. 6, 11.); speciatim: plenum esse persuasione, certitudine (Hebr. 10, 22.), ita et h. l. — ἐπήγγελται est in medio; ergo promisit.

V. 22. *„Ideo etiam reputatum est ei ad justitiam“*; i. e. quia tantam habuit fidem, justus est a Deo habitus, seu justificatus est. — Est conclusio ex dictis. — Fides Abrahami conjuncta erat humilitati, quatenus agnovit, se per opera sua non posse justificari (v. 5.); conjuncta erat (v. 17. seq.) porro firmissimae in Deum fiduciae, quatenus firmissime credidit verbo Dei, quamvis naturali via id, quod Deus promiserat, sperari non posset; dein erat conjuncta perfectissimae subjectioni voluntatis ejus erga voluntatem Dei (v. 18. et 20.), et tandem quod magnam posterorum multitudinem credidisset, implicite simul credidit in Christum, futurum redemptorem; unde non mirum, si apostolus dicit: „ideo etiam reputatum est ei ad justitiam“; quippe quum per hanc fidem anticiparet meritum redemptionis a Christo perficiendae.

V. 23. *„Non scriptum est autem propter ipsum solum, reputatum esse ei“* (nimirum ad justitiam ob fidem); i. e. hoc autem, quod ob suam fidem justificatus est Abrahamus, scriptum est non tantum ipsius causa (ut fides ejus laudetur).

V. 24. *„Sed etiam propter nos“*, i. e. nostrae instructionis causa et ad nostram fidem provocandam. — *„Quibus reputabitur, credentibus in eum, qui e mortuis suscitavit Jesum, Dominum nostrum“*; i. e. ut sciremus, etiam nos justificatum iri, si credamus in Deum, qui suscitavit a mortuis Jesum Christum, Dominum nostrum. —

Hisce verbis docet s. apostolus, historiam Abrahami habere simul typicam significationem pro omni tempore. Abrahamus nimirum factus est spiritualis pater omnium credentium; historia ipsius repetitur in quovis, qui verus ejus filius fieri vult; ipsius fides debet esse nostra fides, si volumus veram consequi justitiam. Abrahamus credidit, Deum posse mortuos vivificare, dum credidit, Deum posse (coll. v. 17. et 19.) corpori ejus emortuo generandi virtutem suppeditare, et (coll. Hebr. 11, 17. 19. cum Genes. 22, 5.) filium ipsi immo-

latum ad vitam revocare, atque ei dare magnam posteritatem, ex qua Christus, salvator ac redemtor, nasciturus esset; — nos christianos credere oportet, Deum a mortuis suscitasse Jesum Christum, redemptorem. Objectum fidei utrimque idem est, nimirum potentia Dei et Messias venturus vel incarnatus. Abrahamus credidit, Deum posse corpus ejus emortuum et filium immolatum vivificare; nos christiani vero credimus, Deum corpus Christi vere mortuum ad vitam revocasse.

V. 25. *„Qui traditus est propter delicta nostra".* *παρεδόθη*, scil. *εἰς θανατόν*, ut mortis supplicium subiret. — Traditus est, scil. a Patre (coll. 8, 32.). — *διὰ* indicat causam finalem, ita ut sensus sit: qui (Jesus) traditus est a Patre in mortem, ut expiaret delicta nostra. — *„Et suscitatus est propter justificationem nostram".* *δικαίωσις* est proprie: justitiae attributio, actus, quo confertur justitia; dein vero etiam denotat ipsam justitiam concessam. — Constans est s. scripturae doctrina, morte Christi peccata hominum expiata esse (cf. 3, 25; 5, 6. Ephes. 1, 7. 1. Joan. 1, 7.); hic autem dicit s. apostolus, Christum suscitatum esse propter justificationem nostram. Poterat apostolus ita dicere. Quia Christus per resurrectionem suam factus est plenus redemptor, utpote victor mortis (maxime conspicuae sequelae peccati), et consequenter victor peccati et injustitiae; et quia Christus post resurrectionem miserat Spiritum sanctum, qui in ejus ecclesia homines regenerat et renovat iisque vitam novam, gratiae, seu justificationem tribuit; ideo recte vita nova seu justificatio adscribitur resurrectioni Christi (a Lap., Gordon.). Alii (Card. Cajetanum secuti) rem ita exponunt: Causa efficiens justificationis est quidem gratia Dei et mors Christi. Requiritur vero juxta s. apostoli doctrinam (3, 25.) etiam fides hominis tanquam conditio. Fortissimum vero motivum ad fidem Christo et Deo habendam, est Christi resurrectio a mortuis, quatenus documento est, revera eum fuisse Messiam a Deo ad expianda peccata missum (Joan. 20, 28.). Quia itaque resurrectio Christi est motivum fortissimum ad fidem, fides autem conditio justificationis, ideo dicit apostolus, resurrexisse Jesum, ut justificationi nostrae esset locus. Quae explicatio etiam veritate gaudet.

Caput V.

Argumentum. Postquam in superioribus capitibus probaverat, nostram justificationem per fidem tantum obtineri, nunc disserit de hujus justificationis effectibus (v. 1—11.); dein utrumque parentem generis humani, Adamum et Christum, proponit lectori eosque inter se comparat, ostenditque simul discrimen inter utrumque (v. 12—21.).

V. 1. *„Justificati ergo ex fide, pacem habemus ad Deum“.* — Adest hic lectio varians. Vulgata legit: habeamus, et cum ea codices nonnulli (A. C. D. I. K.), versio Syriaca, coptica, Origenes, Chrysostomus et Theodoretus legunt: ἔχωμεν; alii vero codices multi et versiones habent ἔχομεν (habemus). Sensus in essentia est idem. Sed quum lectio ἔχωμεν contextui non satis convenire videtur, quippe quum apostolus nihil indicet, orationem suam jam nunc flectere voluisse ad exhortationem; et quia, si apostolus nunc exhortari voluisset, pro ἔχειν εἰρήνην adhibuisset aut κατέχειν aut φυλάσσειν aut τηρεῖν εἰρήνην, praeferenda est lectio ἔχομεν; qua stante sensus est: Igitur justificati per fidem in Christum, pacato et tranquillo ante Deum sumus animo et a malae conscientiae terroribus liberi, utpote Deo reconciliati. — *„Per Dominum nostrum Jesum Christum“,* i. e. auctore Domino nostro J. Ch., quatenus nos per mortem suam Deo reconciliavit. — Ergo primus justificationis nostrae fructus est pax, tranquillitas conscientiae ex meritis et ob merita Christi.

V. 2. *„Per quem etiam accessum habuimus per fidem ad gratiam istam“,* i. e. per quem Christum participes facti sumus per fidem gratiae justificationis. — Christus est objectivus, fides vero subjectivus mediator hujus gratiae. Per χάριν (gratiam) intelligit s. apostolus h. l. proxime gratiam justificationis, ex qua, uti ex quadam radice, pax prodit; sed unacum illa simul intelligit omnia bona spiritualia, quorum homo justificatus per fidem particeps fit, uti illuminatio ad Deum cognoscendum, corroboratio per laetam spem et charitatem efficacem, sanctificatio, adoptio filiorum, glorificatio. — *„In qua stamus“,* i. e. quam gratiam nunc possidemus. — *„Et gloriamur in spe gloriae Dei“,* i. e. in qua seu de qua gratia etiam gloriamur, sperantes illam gloriam, qua Deus justificatos in aeterna beatitudine est glorificaturus. — Vulgata habet: gloriae filiorum Dei. — Firma spes gloriae futurae est secundus fructus justificationis nostrae.

V. 3. *„Non solum autem“*, scilicet gloriamur in hac gratia de laeta spe gloriae futurae. — *„Sed gloriamur et in tribulationibus“*; i. e. sed gloriamur etiam de afflictionibus et pressuris. Apostolus h. l. cogitavit maxime de illis afflictionibus, quas christiani evangelii causa paterentur. *οὐ μόνον* est gradatio (ut 8, 11. 23; 9, 10.). — *„Scientes, tribulationem constantiam operari“*; quasi diceret: Utpote qui scimus, vel quia scimus. Hic causam exponit, cur in afflictionibus suis glorientur justificati. *ὑπομονὴ* est proprie permansio in eodem loco, dein constantia, perseverantia; h. l. est stabilis et perpetua permansio in tenenda christianae religionis recta professione. Quum vero constantia haec inter mala nequeat manifestari, nisi per patientiam, factum est, ut nonnulli (etiam Vulgata) sensu non diverso verterent: patientiam.

V. 4. *„Constantiam autem probatam indolem, probatam vero indolem spem“*, scilicet operari. Vult dicere: Constantiam in adversis nos reddere probatos, quo dein accenditur spes futurae gloriae seu beatitatis aeternae. *δοκιμή*, probatio, exploratio; dein probata indoles personae vel rei.

V. 5. *„Spem autem non pudefacere“*; quasi diceret: Spem hominis christiani (*ἡ ἐλπίς* cum articulo) in Dei promissis fundatam non fallere unquam. Dicit per metonymiam, effectu pro causa posito, spem non pudefacere, quia nimirum pudore afficitur, qui spe sua frustratur. — *„Quia charitas Dei effusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis“*. Verbis his redditur ratio, quare spes hominis christiani non fallit, quia fundatur in charitate Dei. Quum hic loci sit sermo de effusione charitatis per Spiritum sanctum et in versibus sequentibus de morte Christi pro nobis peccatoribus tolerata, elucet, verba: charitas Dei proxime intelligenda esse de charitate Dei erga nos. Apostolus vult dicere: Spes nostra (christiana) nos non fallit, quia in charitate Dei, qua nobis Spiritum sanctum dedit, et dein Filium suum pro nobis adhuc peccatoribus in mortem tradidit, firmissimam habet sponsionem, quasi pignus suum. Quum autem haec Dei charitas erga nos tum solum sit fundamentum, sponsio (pignus) spei nostrae, si etiam nostram charitatem erga Deum accenderat, seu si etiam nos Deum diligimus, patet, per verba: charitas Dei simul intelligendam esse charitatem erga Deum, seu charitatem, qua nos Deum diligimus (uti Concil. Trid. sess. VI. c. 7. intelligit). — Apostolus adhibet h. l. verbum *ἐκχέειν*, effundere, quod sumpta metaphora de aquarum effusione (Joan. 7, 38.) abundantiam notans, in Actibus (2, 33.)

adhibetur de effuso Spiritu sancto, hic vero de charitate Dei abundanter effusa in corda justificatorum. Haec charitas Dei abundanter effusa erga eos, qui justificantur, in eo est, quod illis primum donat Spiritum sanctum, qui in eis tanquam in templis suis (1. Cor. 3, 16.) substantialiter inhabitat, eos justos et adoptivos filios Dei facit, sanctificat, et, uti s. Petrus (2. Petr. 1, 4.) dicit, eos efficit divinae consortes naturae. Si justificati dicuntur consortes divinae naturae, id non ita intelligendum est, ac si humana eorum natura immutaretur in divinam (seu revera deificaretur), aut hypostatice anima uniretur divinae naturae, aut anima cum Deo una esset substantia; sed istud consortium divinae naturae consistit in eo, quod per Spiritum sanctum, substantialiter in justificatis inhabitantem et animabus eorum peculiari et ineffabili modo se unientem, in justificatione anima nostra supra naturam sublevatur in vitam Dei (Iren. l. 5. c. 9.), nimirum, uti s. Thomas (I. II. qu. 110. a. 4.) dicit, secundum quandam similitudinem participando naturam divinam, scilicet divinum esse, cognoscere, velle et vivere; ex qua supernaturali assimilatione animae nostrae cum natura divina oritur (uti dicit s. Thomas) divinus quidam status, summa animae cum Deo unio, qua vere divinae gloriae perfectionisque participes sumus, et ideo evecti in vitam Dei eique assimilati efficimur gratia adoptionis filii Dei. Conf. dicta 8, 9. [1])

V. 6. *„Nam, cum adhuc infirmi essemus, Christus suo tempore pro impiis mortuus est“.* Quod spes non pudefaciat, probat ulterius ex morte Christi, quae erat secundum divinae erga nos charitatis testimonium, et cujus scopus erat liberatio nostra ab ira Dei. Adest hic lectio varians. Pauca textus monumenta ἔτι habent ab initio, sed reliqua etiam non consentiunt; partim enim legunt εἴγε (si quidem), partim εἰ γὰρ, partim εἰ δὲ, partim εἰς τί, quod etiam Vulgata habet, quae proinde sententiam tanquam interrogationem accipit: ut quid enim? — Alia textus monumenta illud ἔτι habent ab initio et post ἀσθενῶν. Si jam internae rationes spectantur, lectio, quae illud ἔτι initio habet, alioquin difficilior est, hinc et verosimilior. Quod ipsam significationem vocis ἔτι attinet, denotat: adhuc, estque particula temporis,

---

[1]) Conf. Kleutgen. Theologie der Vorzeit. 2. B. S. 109—124. Jungmann. Tractatus de gratia S. 231—238. Dr. Ludwig Hundhausen. Das 2. Pontificalschreiben des Apostelfürsten Petrus. S. 143—148.

quo significatu si accipiatur, logice cohaeret cum verbis: ὄντων ἡμῶν ἀσθενῶν, hoc modo: Nam Christus, cum adhuc essemus infirmi, et verbis his continetur demonstratio assertionis v. 5. expressae, quod scilicet Deus nos diligat. — ἀσθενῶν, infirmi, i. e. laborantes morbo peccati. — κατὰ καιρόν, quod jungendum est cum verbo ἀπέθανε, apud Graecos denotat: suo tempore; apud Septuaginta, ellyptice adhibitum, denotat saepe id, quod: statuto tempore, sive tempus hoc sit statutum seu praefinitum ipsa rei natura (Job. 5, 26.), sive a Deo (Jes. 60, 22. Mal. 3, 1. Act. 3, 18. etc.). Juxta hunc hellenisticum usum etiam hic idem valet ac: tempore, quod Deus praefinivit. Commendatur explicatio haec eo, quod N. T. auctores frequenter de tempore adventus Christi tanquam de tempore a Deo praefinito loqui soleant (Marc. 1, 15. Gal. 4, 4. Hebr. 9, 26. 1. Petr. 1, 20.). — ὑπέρ, pro i. e. in commodum in bonum (zum Wohle oder zu Gunsten); sed h. l. notat: loco (anstatt = ἀντι), quia apostolus mortem Christi considerat tanquam vicariam, i. e. talem, quam ideo subiit, ne hominibus esset moriendum, morte nimirum aeterna, quod fit, si homo vitae aeternae expers, miseriae perpetuae traditur (cf. Matth. 20, 28.); quapropter etiam Christum spectat tanquam victimam piacularem (3, 25. Ephes. 5, 2. 2. Cor. 5, 14.) et mortem ejus tanquam ἀντίλυτρον, pretium redemptionis (1. Tim. 2, 6. 1. Petr. 1, 18. 19.).

V. 7. „*Vix enim pro probo quis morietur; nam pro bono fortasse quis etiam mori sustinet*". Sententia hac apostolus amorem Dei extollit augetque hominum comparatione. Prius γὰρ est illustrantis (nempe); posterius est confirmantis. — ὁ ἀγαθος, bonus, h. l. varie sumitur. Quum vox δίκαιος h. l. posita sit sine articulo, ἀγαθος vero articulum habeat, inde elucet, in utraque propositione esse aliquam gradationem; hinc vocem ἀγαθος non esse prorsus synonymam voci δίκαιος. Vox δίκαιος absque articulo posita, denotat probum, absolute spectatum, hominem per se virtute praeditum, ei, cujus notio latet in pronomine τις nec injuria, nec beneficio cognitum; ἀγαθος vero cum articulo designat bonum (relative spectatum), seu talem, qui multum meritus est etiam de eo, cujus notio in voce τις lateat, qui beneficiis amorem ejus incendit, ergo benefactorem. Hinc sensus est: Vix unquam hominum quis mortem subibit pro viro aliquo probo, quia ad summum fors pro benefactore suo eam sustinere aliquis paratus erit. — Qui genitivum ἀγαθοῦ neutro genere sumunt, contra se habent contextum.

Huic summo amori humano, quo fors aliquis pro benefactore suo mortem subire paratus erit, opponit s. apostolus charitatem Dei (inde δὲ), dum dicit:

V. 8. *„Demonstrat autem charitatem suam Deus erga nos, quia, quum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis est mortuus“*. Summa vis sita est in verbis; quum adhuc peccatores essemus, quae sunt opposita verbis: δικαίου et ἀγαθοῦ (v. 7.), hoc modo: Quum vix quis pro aliquo justo mortem subeat, quia ad summum fors pro benefactore eam sustinere paratus erit, — Christus mortuus est pro nobis, quum essemus non justi, sed peccatores, non ejus benefactores, sed inimici. — Praesens συνίστησι (demonstrat) innuit, in hac Filii traditione in mortem, semel facta, situm esse continuum documentum charitatis Dei erga nos.

V. 9. *„Multo igitur magis justificati nunc in sanguine ejus, salvi erimus per eum ab ira“*. Versus hic, qui cum v. 6. in principali nexu positus est, est deductio ex dictis v. 6., ita ut sensus sit: Si in Deum sperare potuimus, quum adhuc peccatores essemus, et quidem propter infinitam charitatem, quam Deus testatam fecit, dum Filium suum pro peccatoribus in mortem daret, — multo magis nunc, postquam per ejus in cruce effusum sanguinem, seu per ejus cruentam mortem, justificati sumus (ergo inimicitia cum Deo desiit), sperare possumus plenam ab ira Dei liberationem et gloriam Dei futuram (seu beatitatem aeternam). — οὖν (igitur) indicat conclusionem. — De verbis: in sanguine ejus, vide dicta 3, 25.; et de ira Dei vide 1, 18.

V. 10. *„Si enim, cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus — multo magis reconciliati salvi erimus in vita ejus“*. Particula γὰρ est illustrantis et confirmantis; atque apostolus vult dicere: Si Deo per mortem Christi reconciliati sumus, quum culpam peccati, iram Dei provocantis, deleret, ergo ex inimicis Dei facti sumus amici ejus — quanto magis nunc, quum Deo reconciliati simus, possumus per eum aeterne et gloriose viventem sperare salutem aeternam (σωτηρίαν). — ἐχθρὸς h. l. significatu passivo; qui alteri invisus, exosus est; hinc verba: ἐχθροὶ ὄντες denotant: quum Deo exosi essemus. Non quidem excluditur significatus vocis activus, quia, quamdiu homo non est Deo reconciliatus, quamdiu est peccator, utique et ejus voluntas a Deo aversa est. — Deo reconciliati sumus, i. e. Dei favore iterum fruimur. — ζωὴ h. l. est vita Christi post resurrectionem gloriosa; ipsa formula: ἐν τῇ ζωῇ αὐτοῦ autem idem valet ac: ζῶντος αὐτοῦ, vivente eo. Christus per mortem nos

reconciliavit; ipse gloriose post resurrectionem vivens, salvat nos, quatenus nos per Spiritum s. regenerat et renovat, atque continuo apud Patrem pro nobis intercedit (cf. dicta 4, 25.).

V. 11. *„Non solum autem, sed et gloriantes in Deo“*. Ad *οὐ μόνον* supplent nonnulli: *σωθησόμεθα;* sed rectius ob sequens participium *καυχώμενοι* suppletur: *καταλλαγέντες* (reconciliati), ita ut sensus sit: Non solum cum eo reconciliati, salvi erimus, verum etiam in Deo, qui in sua charitate infinita erga nos, dum Filium suum pro nobis in mortem daret, firmissimum spei nostrae praebuit pignus, gloriamur et gaudemus in ipsis afflictionibus (v. 3.). — Quum haec gloriatio et laetitia fundamentum suum habeat in Christo, redemptore nostro, ideo addit: *„Per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus“*. — Nam sine Christo vita hominis est vasta, caliginosa et tristis, sine spe, solatio et gaudio. — Particula *νῦν* opposita est voci *ἔτι* v. 6. et 8.

Comparatio inter Adamum et Christum (v. 12—21.). Postquam in antegressis (1—11.) s. apostolus docuerat, uni Jesu Christo acceptam esse referendam et nostram cum Deo reconciliationem et spem gloriae aeternae, jam, quo magis illucescat reconciliationis illius per Jesum Christum necessitas, comparat Adamum cum Christo. Pericopae hujus cogitatus principalis hic est: Sicut Adamus, protoparens, quum totius generis humani personam sustineret, per peccatum suum auctor peccati ejusque sequelarum factus est omnibus, qui per carnalem generationem ab eo descendunt — ita Christus, alter parens, similiter totius generis humani personam gerens, per opus suum factus est auctor gratiae et justitiae cunctis hominibus, ex eo renatis.

V. 12. *„Propterea, sicut per unum hominem peccatum in mundum intravit“*. — *διὰ τοῦτο* (propterea); verba haec indicant, apostolum colligere quid ex praegressis. Cum in antegressis docuisset, Christum pro nobis (loco nostri) mortuum esse, nos per mortem ejus vicariam Deo reconciliatos atque spem vitae aeternae nactos esse, nunc colligit, propterea cum salute nostra et vita res ita se habet, ac cum nostra perditione et morte. Sicut per unum hominem peccatum et mors, ita per unum justitia et vita. — *ὥσπερ*, sicut; voci huic non respondet *οὕτως* in apodosi, imo tota apodosis deest. Quapropter plerique optimi interpretes propositionem hanc elliptice expressam putant, atque apodosin ad v. 12. cogitando supplendam esse. Hanc apodosin addere voluisse apostolum, docet omnis materia substrata a v. 15—19. Quominus vero eandem expresse adjungeret statim ad v. 12., impeditus est

eo, quod verba: *ἐφ ᾧ πάντες ἥμαρτον* illustratione et confirmatione indigere perspiceret, hancque tanquam per parenthesin addere vellet, quod revera v. 13. et 14. fecit. Ipsa vero hac re a constructione coepta alienatus, apodosin illam jam plene addere non poterat; indicavit autem eam nihilominus ad finem v. 14., dum ad nomen Adam addidit verba: *ὅς ἐστι τύπος τοῦ μέλλοντος*. In his enim verbis comparatio quaedam Adami et Christi notata est, ad quam attendens lector, memor simul dictorum a v. 1—11. capitis hujus, facile poterat efformare apodosin convenientem protasi v. 12. expressae. — Apodosis ad v. 12. cogitando ita potest suppleri: Sicut per unum hominem (Adamum) peccatum et per peccatum mors intravit in mundum — sic per unum hominem (scil. Christum, cujus typus est Adamus) justitia et per justitiam vita in mundum intravit. — *εἷς ἄνθρωπος*, uti ipse apostolus v. 14. exponit, est Adamus, parens generis humani (cf. 1. Cor. 15, 22.). — *ἁμαρτία* h. l. non est peccatum Adami actuale (*παράβασις, παράπτωμα*), nam illud nonnisi in Adamo esse potuit; sed peccatum per eminentiam, peccatum naturae, quod theologi peccatum originale vocant, quia inde a primo sui ortu ipsaque sui origine homo illud contrahit, et quod est fons omnium peccatorum actualium (*τῶν παραβάσεων* et *παραπτωμάτων*) totius generis humani. Vocatur etiam peccatum haereditarium, quia illud jam in nostra origine quasi haereditate recipimus. — *κόσμος* h. l. non est solum mundus hominum, universum genus humanum, atque idem ac: in omnes homines, uti in altero versus hujus membro legitur, sed est generatim mundus, orbis terrarum; nam etiam creatura rationis expers per hominis peccatum in deteriorem statum commutata, corruptioni subjecta est atque ingemiscit sub jugo peccati (cf. 8, 20, seq.). — *„Et per peccatum mors"*, scilicet intravit in mundum. Praepositio *διὰ* exprimit nexum causalem inter peccatum et mortem; mors poena peccati. Per vocem *θάνατος* proxime intelligenda est mors corporis tanquam sequela peccati, atque apostolus h. l. sine dubio ob oculos habet illa verba Dei, quum ad Adamum dixerit: „In quocunque die comederis ex eo, morte morieris" (Gen. 2, 17.). Peccatum et mors in s. scriptura sunt notiones correlatae; ubi peccatum, ibi mors, et ubi mors, ibi peccatum. Per peccatum scilicet homo amisit *πνεῦμα* divinum (illam indolem, quae communicatione Spiritus s. efficitur), quod veram animae humanae vitam constituit. Prima igitur sequela erat mors animae; mortem animae autem necessario

excipere debebat mors corporis. Quum nimirum Adamus a Deo defecisset atque istud *πνεῦμα* divinum amisisset, etiam natura corporalis (natura), quae creata erat, ut cum homine et per hominem Deum glorificaret, et pars illius in homine, scil. pars hominis animalis (sensualis), rebellis in hominem effecta est; dissidium (dualismus) ortum est in natura humana inter partem hominis rationalem et animalem, atque ipse illo ipso momento mori incepit. Quod enim communiter mortem dicimus, solummodo est ultima evolutio (explicatio) germinis mortis, quod homo inde a nativitate sua in se gerit, est plena separatio naturae ipsius spiritualis et corporalis. (Bisp.). — *„Et ita in omnes homines mors pertransiit"*. — *καὶ οὕτως*, et ita. Verba haec respiciunt ad id, quod apostolus modo dixerat: et per peccatum mors; quibus verbis docuerat nexum causalem inter peccatum et mortem, ita ut apostolus hoc dicere velit: Ob hunc nexum causalem inter peccatum et mortem, mors, quae per peccatum in mundum introierat, omnes homines pervasit. Tota vis sita est in verbis: *πάντας ἀνθρώπους*, quae sunt opposita verbis: *ἑνὸς ἀνθρώπου*. — *„Eo, quod* (seu quia) *omnes peccaverunt"*. Verbis his causa redditur, cur mors omnes homines pervaserit. *ἐφ' ᾧ*. Vulgata vertit: in quo, istud *ἐφ' ᾧ* habens pro *ἐν ᾧ*, atque ea verba refert ad *ἑνὸς ἀνθρώπου*, ita ut sensus sit: In quo Adamo omnes peccaverunt. (Ita et Origenes et s. Augustinus, Estius). Juxta hanc versionem omnes dicuntur peccasse in Adamo, quatenus, quando Adamus propria voluntate peccavit, in eo, tanquam in capite et radice totius generis humani, omnes erant, non tantum physice, sed et moraliter existentes; hinc etiam, quum Adamus peccasset, et ideo sanctitatem et justitiam suam originariam amisisset, omnes homines constituti sunt peccatores, atque nunc in eo statu nascuntur, in quo erat Adamus post lapsum; quapropter etiam sequelae peccati, morti subjecti sunt. Hoc sensu scribit s. Augustinus: „Omnes in Adam peccaverunt, quando omnes ille unus homo fuerunt". — Versio et explicatio haec sensum totius loci hujus verum quidem proponit; sed verbis *ἐφ' ᾧ* infert, quod apostolus duobus versiculis sequentibus exponit. Porro versio: „in quo" obstat constructioni grammaticae. Nam pronomen relativum *ᾧ* (in *ἐφ' ᾧ*) non potest referri ad praegressum *ἑνὸς ἀνθρώπου*, quia nimis distat ab eo, et quia pronomen relativum semper referri debet ad nomen proxime praecedens, quod h. l. est vel *θάνατος*, vel *κόσμος*, ad quod vero neutrum docente contextu referri potest. Deinde verba *ἐφ' ᾧ* ubivis alias apud s. Paulum habent vim par-

ticulae causativae: quia vel: eo, quod, uti in altera ad Corinthios epistola (5, 4.), ubi apostolus de morte et resurrectione disserens, dicit: „Nam et, qui sumus in hoc tabernaculo (scil. corporis), ingemiscimus gravati, ἐφ' ᾧ οὐκ θέλομεν ἐκδύσασθαι", quod Vulgata recte vertit: eo, quod nolumus exspoliari. (Cf. Phil. 3, 12; 4, 10.). Hinc et h. l. ἐφ' ᾧ, quod idem valet ac: ἐπὶ τούτῳ, ὅτι, seu διότι, reddendum est per: eo, quod, seu: quia; sed, uti ex expositione v. 13. et 14. data elucet, supplendum est simul: in eo, scil. Adamo. — Omnes peccaverunt, nimirum per Adami peccatum, quatenus consortes facti sunt peccati, quod commisit Adamus. — Errant interpretes rationalistae (cum Pelagio), dum de proprio, personali, actuali cujusvis hominis peccato hic apostolum loqui existimant, tanquam de causa, ob quam singuli et omnes homines moriantur. Nam ἁμαρτάνειν h. l. accipi nequit de actuali, proprio cujusvis hominis peccato, sed sumendum est de peccato, cujus consortes facti sunt omnes in et cum Adamo, tanquam sui generis capite et parente, uti omnes ss. Patres uno consensu intellexerunt. Nam v. 14. ipse apostolus dicit, mortem regnasse etiam super eos, qui non peccaverunt simili praevaricatione, uti Adam. Si loco nostro edixisset, propria, actualia, personalia peccata omnium hominum esse causam universalitatis mortis, tum in illis, de quibus v. 14. dicit: qui non peccaverunt simili praevaricatione, ut Adam", nil fuisset, ob quod morti essent obnoxii; dicit autem, nihilominus in eos etiam mortem regnasse; hinc ob aliud id evenisse censendum est, nempe ob illud, quod Adamus generis humani caput, parens et radix commiserat. Praeterea, si in voce ἥμαρτον apostolus cogitasset de peccato actuali, singulorum proprio, quo Adamum peccando imitantes, ei similes redditi essent, et quo, sicut ille suo, mortem tanquam poenam contraxissent, non potuisset ab apostolo dici (certeqne inepte dictum fuisset) quod dicit sequentibus versibus, v. 15: unius delicto multi mortui sunt"; — v. 17. „unius delicto mors regnavit per unum"; v. 19. „per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi". Causam miseriae hominum hic dicit Adamum, non exemplum, quod imitando miseri fuissent redditi. — Tandem ista verbi ἥμαρτον explicatio prorsus inconveniens est antithesi, qua apostolus Adamo opponit Christum. De Christo dicit (v. 17.): διὰ τοῦ ἑνὸς Ἰησοῦ Χρ. (et similia v. 18. et 19.), quibus, uti nemini obscurum ac incertum esse potest, nil aliud edicit, quam: auctore Jesu Christo tanquam causa cogitato, reconciliationem justitiamque et

per hanc — salutem hominibus contingere; nam justitia per Christum non est propter solam imitationem, quia et antiqui, qui Christum praecesserunt, ideoque eum imitari non potuerunt, justificati sunt per Christum; et justitia Christi contingit etiam parvulis, qui omnino non possunt eum imitari. Haec ergo antithesis inter Christum et Adamum inepta et erronea esset, si verbo ἥμαρτον de propriis, actualibus singulorum hominum peccatis accepto, miseria, quae voci θάνατος indicatur, in homines non per Adamum venisse, sed proprio singulorum hominum peccato contracta esse dicatur, quum apostolus de Adamo v. 16—19. aeque praepositionem διὰ habeat, uti de Christo.

V. 13. „*Usque ad legem enim peccatum erat in mundo; peccatum vero non imputatur, cum lex non est*“. Modo ostenderat apostolus nexum causalem inter peccatum et mortem, dixeratque, mortem omnes homines pervasisse, quia causa mortis, peccatum, in omnibus reperitur. Quum prius (4, 15.) apostolus ipse dixisset: „ubi non est lex, nec praevaricatio“, poterat quis facile opponere: Quomodo erat tempore illo, quo nulla lex, hinc etiam nullum peccatum erat? Quomodo poterat hominibus mors infligi, quum causa illius, peccatum, deesset? — Ad hanc objectionem respondet apostolus sententia generali: Etiam usque ad Mosaicam legem peccatum erat in mundo (seu inde a temporibus Adami usque ad legem Mosaicam homines peccata committebant); sed ab Adamo usque ad Mosen nulla erant peccata actualia, quae mortis poena punirentur, quia nulla aderat lex positiva, quae mortis poenam statueret in sui transgressores; nam peccatum non imputatur ad poenam mortis (quod ex v. 14. sequitur), ubi non adest lex positiva, quae mortis poenam statuat. — Unde vero minime sequitur, ac si sola lex naturalis non fuisset imputabilis; hac de re s. apostolus jam prius (2, 14.) mentem suam manifestaverat. Ceterum per vocem ἁμαρτία sunt hic loci intelligenda peccata actualia, propria cujusque voluntate a posteris Adami commissa, quod aperte postulant verba: non imputatur. — Ad vocem ἐλλογεῖται est ut subjectum cogitandus Deus. Vulgata loco praesentis: imputatur habet imperfectum: imputabatur, cum non esset lex. Sensus in substantia idem manet. Sed praesens contextui magis congruit, quia sententia est universalis, dum stante Vulgata sententia directe refertur ad tempus ante Mosen.

V. 14. „*Sed regnavit mors ab Adam usque ad Mosen etiam super eos, qui non peccaverunt secundum similitudinem praevaricationis*

Adami". Apostolus vult dicere: Quamvis ab Adam usque ad Mosen peccata propria, actualia, quum nulla esset lex positiva, mortem ut poenam minitans, non imputarentur ad poenam mortis, — tamen mors toto isto tempore in omnes homines grassabatur, qui non, uti Adamus, legem positivam transgressi essent; — inde sequitur, ob aliam causam mortem evenisse, scil. ob illud peccatum, quod Adamus, parens et radix generis humani, commiserat, et quod causa erat mortis. Peccatum ergo hoc originale debet esse in omnibus, quia in omnibus idem reperitur effectus, scil. mors. — *ἁμαρτάνειν ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι τῆς παραβ. Ἀδαμ* est: peccare ita, ut peccatum similitudinem habeat cum peccato ab Adamo commisso, seu perpetrare peccatum simile peccato Adami, i. e. peccare contra positivam legem. — „*Qui est typus futuri*"; i. e. qui Adamus est typus futuri Adami, i. e. Christi, quem alibi (1. Cor. 15, 45.) dicit novissimum Adamum. Dicit Christum, qui jam apparuit, futurum (*μέλλων*) Adam, quia respicit ad tempus, quo Adamus vixit. — Est vero Adamus typus Christi per comparationem a contrario. Uterque nimirum est caput et radix, ille peccati, hic justitiae; ille mortis, hic vitae; ille damnationis, hic salutis; Adamus peccando posteritatem suam perdidit; Christus moriendo genus humanum reparavit.

V. 15. „*Sed non sicut delictum, ita et gratia*", scil. est. Vult dicere: Sed, quamvis Adamus sit typus Christi, tamen est discrimen inter lapsum Adami et Christi gratiam redemtionis; nam multo plus profuit generi humano gratia Christi, quam peccatum Adami illi obfuit. — *χάρισμα* est idem ac *δωρεά χάριτος*, donum gratiae seu gratuitum; *χάρις* est fons, *δωρεά* vero effectus ejus. Per *τὸ χάρισμα* est intelligenda plenitudo gratiae, quae nobis in Christo contigit, gratia redemtionis. — *παράπτωμα* est lapsus Adami; sed hic, causa pro effectu posita, sunt intelligendi effectus tristes, quos peccatum Adami in genus humanum produxerat. — Sententia haec in sequentibus demonstratur et modus differentiae ostenditur. — „*Si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in multos abundavit*". Apostolus vult dicere: Nam majoris efficaciae fuit benedictio, quae per Christum contigit, quam noxa Adami. — *πολλῷ μᾶλλον* est formula affirmantis, majoris efficaciae esse *χάρισμα*, quam *παράπτωμα*. Itaque *πολλῷ μᾶλλον* jungendum est cum verbo *ἐπερίσσευσεν*, ut sensus sit: Multo abundantior fuit, i. e. *χάρισμα* multo efficacioris effectus fuit in bonum,

quam *παράπτωμα* in malum. — *ἀπέθανον*, mortui sunt, i. e. morti obnoxii. — Loco: *οἱ πολλοί* in priori parte exspectatur *πάντες* (coll. v. 12.). Selegit autem s. auctor vocem *πολλοί* ad notionem hanc designandam, ut ita optime esset antithesis cum voce *ἑνός*, quia *πολλοί* semper indicat multitudinem, *πάντες* vero denotat quidem semper omnes, omnes autem non semper sunt multi (Aug.); fecit porro hoc etiam ideo, uti Estius observat, ut conformitas esset prioris membri cum posteriore, ubi apostolus haud apte poterat ponere *πάντες*, quum gratiae nondum omnes participes facti sint. — *χάρις* est Dei favor, Dei benevolentia, amor erga homines, quae est causa, fons omnium donorum (*τῶν δωρέων*). — Verba: *ἐν χάριτι* (in gratia, i. e. per gratiam) nectenda sunt cum verbo *ἐπερίσσευσεν*, et significant charitatem Christi, in qua pro nobis ille Deo Patri se obtulit, qua oblatione nobis gratiam (*χάριν*) et dona omnia nobis promeruit. —

Primum itaque discrimen est, quod gratia ex Christi meritis promanans, longe abundantiora et plura conferat bona, quam sunt mala, quae peccatum Adami invexit in genus humanum.

V. 16. *„Et non sicut per unum, qui peccaverat, donum"*, i. e. non tantus effectus sequitur per unius Adami peccatum, per quod mors introducta est in mundum, quantus per Christi gratiam redemptionis. — Hisce indicatur alterum discrimen inter Adamum et Christum. *ἑνός* h. l. masculine sumendum est ob verbum *ἁμαρτήσαντος*; si neutro genere accipitur, debet lectio *ἁμαρτήματος* assumi, uti Vulgata habet: per unum peccatum; sensus manet idem. — *„Nam judicium quidem ex uno in condemnationem; donum autem ex multis delictis in justitiam"*. Verba haec continent primum argumentum, quo sententia initio hujus versus prolata probatur. Sensus est: Nam si judicium (decretum) Dei ex uno primi hominis peccato processit ad sententiam condemnatoriam (omnibus coll. v. 15.), — gratia redemptionis non tantum ab illo uno peccato liberat, sed ab omnibus etiam aliis peccatis, quae a posteris Adami propria voluntate (spontaneitate) peccato ejus superaddita sunt. — Ad verba *εἰς κατάκριμα* subintelligi debet *ἐγένετο* (factum est). — *κρῖμα*, substantivum verbale (a *κρίνω*), denotat id, quod quis statuit aut decrevit, decretum, judicium seu sententiam a judice latam (Urtheilsspruch); h. l. vox haec intelligenda est de sententia, qua Deus cum poenae denunciatione Adamo interdixit, ne arboris vetitae fructu vesceretur (Gen. 2, 17.). — *κατάκριμα* est sententia condemnatoria. Quamdiu Adamus non peccavit, *κρῖμα* aderat, quia erat decretum Dei ante peccatum

latum; sed, postquam peccaverat, conversum est in *κατάκριμα*. — *ἐξ ἑνός*, scil. *παραπτώματος*. Nonnulli *ἑνός* masculine sumentes, subintelligunt: Adam, hoc sensu: ex uno, scil. Adamo peccante. Sensus remanet idem; nam Adamus eo ipso, quod mandatum Dei transgressus esset, *κρῖμα* illud converti fecit in *κατάκριμα*. Sed prior explicatio praeferenda est, quia illa stante adest antithesis, scil. unum peccatum (*ἐξ ἑνός*) et multa peccata (*ἐκ πολλῶν παραπτωμάτων*). — *χάρισμα* idem quod supra *δώρημα*. — *δικαίωμα* est, quod pro justo rectoque declaratum est, lex, decretum (ut Luc. 1, 6.); dein id, quod juste recteque factum est, recte factum (ut v. 18.); tandem idem ac *δικαιοσύνη*, justitia (seu *δικαίωσις*, justificatio), ut h. l.

V. 17. „*Si enim unius delicto mors regnavit per unum; multo magis, qui abundantiam gratiae et doni justitiae accipiunt, in vita regnabunt per unum Jesum Christum*“. — Verba haec continent alterum argumentum, quo probatur prior pars versus 16. (et non sicut per unum, qui peccaverat, donum), uti et alterius partis versus 15. (scil. majoris efficaciae fuisse donum Christi, quam noxam Adami). Antitheses in hac sententia sunt: *τῷ τοῦ ἑνὸς παραπτώματος* et *οἱ τὴν περισσείαν… λαμβάνοντες*; dein *ὁ θάνατος ἐβασίλευσεν* et *ἐν ζωῇ βασιλεύσουσιν*. — *τοῦ ἑνός* et *διὰ τοῦ ἑνός*, scil. *ἀνθρώπου* (coll. v. 12.), quam explicationem postulat oppositum: *διὰ τοῦ ἑνὸς Ἰησοῦ Χριστοῦ*. Etiamsi satis esset dicere, mors regnavit delicto unius illius hominis (*τοῦ ἑνός*), tamen majoris emphaseos causa addidit: per unum illum hominem (*διὰ τοῦ ἑνός*). — Participium *λαμβάνοντες* cum articulo, notionem substantivi habet; adest tempus praesens, tanquam continuum, quia in dies homines abundantiam gratiae et doni justitiae accipiunt. — *δωρεά τῆς δικαιοσύνης*, donum justitiae est idem ac: justitia donata. — *ἐν ζωῇ*, in vita, scil. *ὄντες*; sub *ζωῇ* est intelligenda vita aeterna; verba autem: in vita regnabunt per unum Jesum Christum, continent descriptionem beatitatis futurae et perennis; id jam indicat futurum: regnabunt; praeterea etiam ipsum verbum regnare; nam beatitas piorum frequenter in s. scriptura hac imagine solet designari (cf. Matth. 19, 28. Luc. 22, 30. 1. Cor. 6, 2. 3. 2. Tim. 2, 11. 12.). — *ὁ θάνατος ἐβασίλευσε*; mors peccato introducta, apparet ceu dominium habens, genus humanum vero, in Adamo lapsum, tanquam dominio ejus obnoxium, quia propter nexum cum Adamo homines eodem modo moriendi necessitati subjecti sunt, sicut per nativitatem suam (ex Adamo)

participes facti sunt peccati. — Sed hoc mortis dominium s. Paulus tanquam praeteritum (ἐβασίλευσε) notat; partim quia Christus initium et fons novae vitae jam apparuit et sese Adamo peccanti opposuit; partim quia in illis, qui sunt Christi, nexus cum Adamo veteri jam disruptus est atque illi mortem jam devicerunt, quum germen novae et aeternae vitae jam in se susceperint, quod in beata resurrectione ad maturitatem perveniet.

V. 18. *„Igitur, sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem; ita et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitae“.* — Hic nunc, post longam parenthesin, in qua institutae comparationis quasdam ostendit disparitates, redit ad id, quod v. 12. inceperat. Ibi incepit; propterea sicut etc.., hic: igitur, sicut, i. e. sicut per unius (Adami) peccatum judicium (τὸ κρῖμα ex v. 16.) ad condemnationem venit seu pertransiit in omnes homines — ita per unius (Christi) recte factum in omnes homines transiit justitia (seu justificatio, χάρισμα coll. v. 16.), quae operatur vitam aeternam. — Nonnulli utroque loco δι' ἑνός, quia articulus τοῦ deest ante ἑνός, sumunt neutro genere: per unum delictum, et: per unum recte factum. Sed prior explicatio est praeferenda, quam etiam Vulgata sequitur, quia praegressis (v. 17.) melius congruit. Ceterum sensus in substantia non mutatur. — δικαίωμα h. l. eo significatu est sumendum, quo denotat recte factum (Rechtthat, gerechte Handlung), vel uti Vulgata habet: justitiam; poscit hoc antithesis, in qua positum est cum praegresso παραπτώματος de Adamo adhibito; postulat id porro etiam v. 19., ubi respectu Adami pro παράπτωμα posita est παρακοή et respectu Christi pro δικαίωμα legitur ὑπακοή. Intelligenda autem est per δικαίωμα mors Christi, quae erat documentum summae obedientiae, atque eo ipso summus actus moralis. — Dicit: in omnes homines in justificationem, quia objective et quantum ad voluntatem Christus illam suo obedientiae sacrificio omnibus hominibus promeruit. — εἰς δικαίωσιν ζωῆς; genitivus ζωῆς est genitivus effectus, ergo in justificationem, quae liberat a morte et vitae aeternae participem facit hominem. — Post εἰς κατάκριμα et δικαίωσιν ζωῆς supplendum est ἐγένετο.

V. 19. *„Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi; ita etiam per obedientiam unius justi constituentur multi“.* Versu hoc declarat seu exponit (γὰρ est h. l. explicativum), quid intellexerit per illud: δι' ἑνὸς παραπτώματος et quid per: δι' ἑνὸς δικαιώματος, et quomodo condemnatio et vita (v. 18.) ab hoc duplici actu utriusque parentis in omnes homines

veniat, seu: in quo sit una alterave fundata. Condemnatio fundatur in inobedientia Adami, vita in obedientia Christi. Si, ut h. l. docet apostolus, omnes per unum hominem istius inobedientiae participes facti sunt, ergo peccatores vere et proprie evaserunt — tum sponte sequitur et alterum, scil. omnes per liberam obedientiam unius (Christi) vere et proprie justos factos esse. — παρακοὴ debet intelligi de actu inobedientiae Adami erga Dei mandatum; ὑπακοὴ de obedientia Christi, quae vero fuit perpetua et per omne vitae tempus (Phil. 2, 8.). — κατασταθήσονται; futurum, est ideo positum, quia justificatio hominum successive per temporum decursum fit. — Vox πολλοὶ h. l. est ita explicanda uti v. 15. —

Ceterum praesens locus clare docet, falsam esse haereticorum opinionem de imputata justitia; nam, sicut per Adami peccatum, ait s. Paulus, omnes homines constituti sunt peccatores vere et proprie, ob peccatum singulis inhaerens (et non per imputationem inobedientiae Adami), — ita et vere et proprie justi constituti dici debent homines, per Christi justitiam et obedientiam, ob inhaerentem eis justitiam, quia alias comparatio non consisteret. Contractae nimirum per Adamum culpae, vere singulis ex eo natis inhaerenti, respondet solum data per Christum justitia, omnibus ex eo renatis vere inhaerens.

V. 20. *„Lex autem insuper intravit, ut abundaret delictum“.* Ne ob dictum v. 13. „usque ad legem peccatum erat in mundo“, putaret quis, per legem abolitum fuisse peccatum, opportune dicit hic s. apostolus, quod tantum abest, ut per legem Mosis sublatum fuerit peccatum, quin potius magis invaluerit. — νόμος παρεισῆλθεν, lex insuper intravit, i. e. lex prohibens peccatum medio tempore inter Adam et Christum (inter exordium peccati et exordium gratiae) subingressa est, scil. post ingressum in mundum peccatum. τὸ ἵνα, ut abundaret delictum, est h. l. finaliter (τελικῶς), non autem de eventu (ἐκβατικῶς) sumendum, ita ut sensus sit: Lex data erat, ut augerentur peccata. Ultimus finis legis datae utique non erat augmentum et abundantia peccatorum; hoc enim esset Deo peccata adscribere; lex, uti ipse apostolus docet (7, 10.), proprie data erat, ut hominem perduceret ad vitam, scil. veram, ad aeternam salutem (coll. Matth. 19, 16. 17,), ut peccata, quum lex ea prohiberet, minuerentur et coërcerentur. Factum autem est, non ex indole legis, quae (coll. Rom. 7, 12.) sancta erat, sed ex vitiatae humanae naturae concupiscentia, ut lege data consecuta sit

abundantia delictorum (peccatorum). Lex scil. in hominibus lapsis et ad peccandum pronis, prohibitionibus et mandatis suis (coll. 7, 7—13.) concupiscentiam excitabat et ad peccandum irritabat (juxta illud: nitimur in vetitum), et ita factum est, ut homines cupiditatibus per concupiscentiam excitatis se tradendo, in legem impingerent et per multiplices ejus transgressiones peccata peccato adderent, seu peccata augerent. Hac autem delictorum abundantia edocebantur homines infirmitatem suam et legis ad justitiam insufficientiam, atque ita intelligebant, sibi potentiori remedio, auxilio liberatoris, Salvatoris, Christi opus esse. „Augetur morbus, scribit s. Augustinus (in ps. 102.), crescit malitia, quaeritur medicus, et totum sanatur". — Sic ergo ultimus finis legis datae non erat ipsa abundantia et augmentum peccatorum, sed id, quod ex illa peccatorum abundantia consequitur, nimirum agnitio infirmitatis humanae et necessitatis auxilii Salvatoris, Christi (ergo lex paedagogus ad Christum, coll. Gal. 3, 24.). Ut autem iste finis ultimus legis datae obtineretur, Deus id, quod proxime lege data ex vitiatae humanae naturae concupiscentia consecutum est, nimirum augmentum et abundantiam peccatorum, permisit. (Ita juxta Aug. et s. Thomam Estius aliique). — *„Ubi vero abundavit delictum, superabundavit gratia."* οὗ, scil. χρόνου, quo tempore, postquam; quae explicatio optime respondet, si οὗ sumitur ut particula temporis. Alii οὗ sumunt ut particulam loci: in quo, scil. genere humano. — ὑπερεπερίσσευσεν ἡ χάρις, superabundavit gratia, i. e. misericors Deus superabundantem gratiam effudit; quum quanto major iniquitas peccantis, tanto major gratia remittentis.

V. 21. *„Ut sicut regnavit peccatum in morte, ita et gratia regnaret per justitiam in vitam aeternam per Jesum Christum, Dominum nostrum".* — ἐν θανάτῳ, in morte, est idem ac: inferendo mortem (scil. animae et corporis), et praepositio ἐν h. l. est instrumentalis, indicans, quomodo peccatum dominium suum exerceat. — Per mortem h. l. esse intelligendam mortem tam corporis, quam animae, colligitur ex antithesi: διὰ δικαιοσύνης εἰς ζωὴν αἰώνιον. Nam sicut δικαιοσύνη morti spirituali seu animae opponitur, ita, quod exprimitur verbis εἰς ζωὴν αἰώνιον opponitur morti physicae seu corporis. δικαιοσύνη h. l. intelligenda est illa, quae supra (1, 17.) ab apostolo dicta erat δικαιοσύνη θεοῦ — „Gratia regnet per justitiam", i. e. vim suam exserat per justitiam, quae est fructus illius χάριτος, sicut in sententia

opposita *θάνατος* est fructus peccati (*τῆς ἁμαρτίας*). — Per Jesum Christum, qui est unus mediator inter Deum et homines (1. Tim. 2, 5.).

Pars II.

De justificatione subjective considerata (6, 1—8, 39.).

Caput VI.

Argumentum. Postquam s. apostolus in praegressis demonstraverat, hominem tantummodo per fidem in Jesum Christum justificari et salutem consequi aeternam, nunc loquitur de justificatione subjective considerata, proponens, quosnam effectus justificatio in homine producat. Ne autem quis inde, quia dixerat, gratiam tanto abundantius se manifestasse, quanto major fuerit iniquitas, perperam colligeret, in peccando esse perseverandum, huic abusui doctrinae propositae occurrit, ostendens, per eam minime concedi libertatem peccandi, sed potius eam provocare ad studium virtutis et sanctitatis, quum christianus, qui per baptismum Christo unitus et cum eo mortuus est, atque cum eodem ad vitam novam continuo sancte agendam resurrexit, peccato plane mortuus esse debeat, idque tanto magis, quum non sit amplius sub lege, cupiditates excitante ac irritante, sed sub gratia.

V. 1. *„Quid igitur dicemus? num in peccato permaneamus, ut gratia abundet"?* Apostolus vult dicere: Quum prius (v. 20.) dixerim, gratiam superabundare, ubi abundavit peccatum, an fors inde colligemus, permanendum esse in peccato, peccata peccatis accumulanda, ut amplius abundet et commendetur gratia Dei? — Nonnulli codices cum Vulgata loco conjunctivi (deliberativi): *ἐπιμένωμεν* legunt futurum: *ἐπιμενοῦμεν* (permanebimus); sensus remanet idem. — Hanc perversam cogitationem repellit, dicens:

V. 2. *„Absit"*, i. e. absit a piis mentibus haec impia cogitatio. — *„Quippe qui peccato sumus mortui, quomodo adhuc vivemus in eo"?* — Phrases Paulinae: vivere peccato, legi, justitiae, Deo, significant servitutem et obsequium, quod his impenditur, aut commercium (nexum), quod cum iis habetur; et e contrario: mori seu mortuum esse peccato, legi etc., est: ab horum servitute et obsequio penitus esse liberum et a commercio (nexu) cum illis alienum (Gal. 2, 19. Col. 2, 20,

1. Petr. 2, 24.). Apostolus vult ergo dicere: Quum a peccati commercio et servitute simus liberi, seu penitus soluti ab omni nexu cum peccato — quomodo nos iterum peccatis implicabimus, rursus peccato servitutem impendemus? — Incompatibile videtur apostolo: peccare et christianum esse.

V. 3. *„An ignoratis, nos, quicunque baptizati sumus in Christum Jesum, in mortem ejus esse baptizatos"?* — Sententiam prius (v. 2.) expressam, scil. quod christianus mortuus sit peccato, in sequentibus (v. 3. et 4.) illustrat atque probat ex ritu et significatione baptismi. In primaeva nimirum ecclesia plerumque baptismus conferebatur per trinam corporis immersionem, quam dein sequebatur emersio. Haec autem immersio et emersio, quae fiebat in baptismo, erat symbolum duorum effectuum principalium baptismi, scil. remissionis peccatorum, ergo mortis veteris hominis in nobis, — et regenerationis seu resurrectionis novi hominis. Uterque effectus hic fundatur in Christi morte et resurrectione; quia vetus homo in nobis moritur tantum propter mortem Christi, seu aliis verbis: remissio peccatorum est sequela mortis Christi; novus homo autem in nobis nascitur, seu nos regeneramur propter resurrectionem Christi (cf. 4, 25.) quia post resurrectionem, qua opus redemptionis absolutum fuit, quum per eam factus sit victor mortis (maxime conspicuae sequelae peccati) miserat Spiritum s., qui in ejus ecclesia homines regenerat et renovat, iisque vitam novam, gratiae, tribuit. Ideo etiam immersio et emersio, quae in baptismo fiebat, erat simul symbolum mortis et resurrectionis Christi. — Baptizati sumus in Christum Jesum. — *βαπτίζειν* (scil. *τίνα*) *εἰς τίνα* vel *εἰς τί* generatim significat: aquae immergere aliquem eum in finem, ut junctus, addictus, mancipatus sit ei, cujus nomen cum praepositione *εἰς* conjunctum est. [1]) Hinc *βαπτισθῆναι εἰς Χριστὸν* est: per baptismum Christo ut redemptori et domino addici, consecrari eique incorporari, inseri; per baptismum enim homo de perverso genere primi Adami excerpitur (*ἀπεκδύεται*, exuitur Col. 3, 9.) et in genus alterius (secundi) Adami (Christi) transfertur, Christi corpori mystico ut vivum membrum inseritur. — Ita etiam verba: *βαπτίζεσθαι εἰς θάνατον αὐτοῦ*, denotant baptismo Christo jungi, ut cum eo moriamur. Quod enim in Christo, capite et parente omnium fidelium, factum est, idipsum factum est in omnibus, qui per fidem et baptismum

---

[1]) Cf. Commentar. in evang. s. Matth. 28, 19.

facti sunt membra ejus. In Christi morte omnes, qui sunt ejus, revera mortui sunt secundum veterem hominem (coll. v. 6.), atque in ejus resurrectione omnes, qui sunt ejus, resurrexerunt secundum novum hominem. Christi mors et resurrectio debet spiritualiter in singulis hominibus, qui volunt aeternam consequi salutem, renovari (repeti). Qua de re perpulchre scribit s. Augustinus: „Quidquid gestum est in cruce Christi, in sepultura, in resurrectione tertia die, in ascensione in coelum et in sedere ad dexteram Patris, ita gestum est, ut his rebus, non mystice tantum dictis, sed etiam gestis, configuraretur vita christiana, quae hic geritur“ (Enchir. c. 25.). — Quodsi vero cum Christo mortui sumus, ideo etiam, quia Christus mortuus sepultus est, cum eo sepulti sumus, ut cum eo tanquam novi homines resurgamus. Ideo dicit.

V. 4. *„Consepulti igitur sumus cum eo per baptismum in mortem“.* Verba *εἰς θάνατον* possunt conjungi vel cum verbo *συνετάφημεν* (Estius), vel cum voce *βαπτίσματος*. In priori casu ad *θάνατον* supplendum est *τῆς ἁμαρτίας*, ita ut sensus sit: Sepulti sumus per baptismum cum Christo in mortem peccati (ut peccato moriamur); in altero casu ad *θάνατον* supplendum est: *τοῦ Χριστοῦ*, hoc sensu: Per baptismum, quo spiritualiter (secundum veterem hominem) cum Christo mortui sumus, una cum eo sumus sepulti, et haec sepultura repraesentatur per immersionem (*κατάδυσιν*) in baptismo. Haec altera explicatio praeferenda, quia stante priore adest pleonasmus. — Causa vero finalis mysticae mortis nostrae cum Christo est, ut ad novam vitam resurgamus, ideo dicit: *„Ut, sicut Christus suscitatus est e mortuis per gloriam Patris, ita etiam nos in novitate vitae ambulemus“.* Particula *ἵνα* indicat finem mortis et sepulturae. — *διὰ τῆς δόξης* non valet simpliciter idem ac: per potentiam (*διὰ τῆς δυνάμεως*), sed: per gloriosam operationem Patris, quia nimirum in Christi resurrectione Deus, qui eam operatus est, glorificatur (Estius). In novitate vitae i. e. in nova vita (*ἐν τῇ ζωῇ καινῇ*), quae est similis vitae Christi, nimirum mortui peccato et exercentes constanter opera justitiae. — Ambulemus. Quia in s. scriptura vita humana comparari solet itineri, verbum ambulare metaphorice denotat idem quod: conversari, vivere. —

V. 5. *„Si enim conjuncti sumus similitudine morti ejus, profecto etiam resurrectionis erimus“.* Verbis hisce s. apostolus comprobat sententiam ultimam versus praegressi, dum dicit, nos, si mortis Christi participes facti sumus, etiam resurrectionis

ejus participes futuros esse. — σύμφυτος (ex σὺν et φυτός, plantatus, satus) est proprie: una plantatus, una satus, et dicitur de plantis atque de cognatis. Metaphorice transfertur ad ea, quae arcte invicem sunt conjuncta (unita). Hoc significatu h. l. tantum in N. T. legitur. Construitur autem vel cum dativo, ut hic; vel etiam cum genitivo, uti in altera versus parte. Nonnulli ad vocem σύμφυτοι supplent τῷ Χριστῷ, et τῷ ὁμοιώματι sumunt ut dativum instrumenti, hoc sensu: Si Christo conjuncti sumus per similitudinem mortis ejus. Stante hac explicatione dein etiam ante τῆς ἀναστάσεως suppleri deberet: τῷ ὁμοιώματι. — Alii iterum σύμφυτοι connectunt cum ὁμοιώματι, hoc sensu: Si conjuncti sumus similitudini mortis ejus. Sed sensus hic haud aptus videtur. — Praeferenda est explicatio eorum (Estii), qui σύμφυτοι connectunt cum voce θανάτου, ita ut sensus sit: Si enim more surculorum, qui arbori inseruntur atque inde succum trahunt, insiti sumus morti Christi, profecto etiam resurrectionis Christi participes erimus et esse debemus; seu aliis verbis: Si in baptismo, simili modo uti Christus, secundum veterem hominem mortui sumus, etiam cum eo ut novi homines resurgemus et resurgere debemus, scil. ad novam vitam sanctitatis. Vox ἀνάστασις ob contextum (v. 4.), quia sermo est de morte spirituali (coll. v. 8.), intelligi debet de resurrectione spirituali, ad vitam sanctam, gratiae. — S. apostolus dicit: similitudine, quia nos in baptismo spiritualiter (mystice) morimur, dum Christus corporaliter mortuus est; hinc mors nostra morti ejus solummodo similis, non vero prorsus aequalis erat. Futurum ἐσόμεθα, erimus, non tantum exprimit tempus futurum, sed simul continet exhortationem, ut studeamus, participes fieri resurrectionis Christi.

V. 6. *„Hoc scientes, veterem nostrum hominem cum ... esse crucifixum“.* Hisce confirmat, quod modo dixerat, scil. nos studere debere, participes fieri resurrectionis Christi. — Hoc scientes, i. e. quum nos scire seu perpendere oporteat. — παλαιὸς ἄνθρωπος, vetus homo s. Paulo est homo ante ipsius regenerationem; ergo homo, qualis est per suam ab Adamo originem, nimirum peccato originali aut etiam aliis peccatis contaminatus, vitiata natura praeditus, dominio concupiscentiae subditus et ad peccandum pronus; huic oppositus est homo ex Christo, altero Adamo renatus, qui a s. Paulo vocatur novus homno (καινός ἄνθρωπος). — συνεσταυρώθη proprie: concrucifixus est, i. e. una cum Christo crucifixus

est. Nam si in baptismo conjuncti sumus morti ejus (quippe qui simili modo, uti Christus, secundum veterem hominem mortui sumus), tum etiam, quia haec Christi mors erat mors crucis, vetus homo unacum Christo crucifixus est. — Crucifixio haec hic denotat compressionem et exstinctionem pravorum desideriorum, malarum cupiditatum et passionum, quae hominem ad peccandum incitant, et etiam, si istas non comprimit et occidit, revera ad peccandum seducunt. — *„Ita ut aboleretur corpus peccati“*. Verba haec possunt sumi ut finis crucifixionis cum Christo (*ἵνα* = ut); vel vero ut explicatio, quomodo illa crucifixio fiat (*ἵνα* = ita ut). Altera explicatio praeferenda est. — *σῶμα τῆς ἁμαρτίας*, corpus peccati est corpus, quod peccati est, quod velut in manu et potestate est peccati, (tanquam domini), seu: corpus, cui peccatum dominatur et quod pro instrumento est peccato, i. e. malae concupiscentiae in eo habitanti. Hinc corpus peccati est idem, quod apostolus alias (Gal. 5, 24.) dicit: caro cum vitiis (passionibus) et concupiscentiis (*σάρξ σὺν τοῖς παθήμασι καὶ ταῖς ἐπιθυμίαις*). Apostolus h. l. vocem *σῶμα* adhibet loco vocis *σάρξ*, ut remaneat in imagine crucifixionis. — Hoc corpus peccati (seu haec mala concupiscentia) debet continuo per jejunia, vigilias, labores et poenitentias spontaneas comprimi et occidi, si volumus esse liberi a peccato. Ideo dicit: *„Ut amplius peccato non serviamus“*. Verbis his finis istius destructionis corporis peccati indicatur. Peccato servit, qui motionibus, affectibus et desideriis concupiscentiae obedit.

V. 7. *„Qui enim mortuus est, absolutus est a peccato“*. Sententiam, versu praegresso expressam, scil. quod ille, qui cum Christo crucifixus est, non amplius peccato servire possit, confirmat (*γὰρ*) quadam sententia generali. — *ἀποθανὼν* est hic de corporali morte intelligendum, non vero de ethica, quia dein tautologia esset. Formula: *δικαιοῦσθαι ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας* repetita est a judiciis forensibus, in quibus, qui absolvebantur, *δικαιοῦσθαι* dicebantur, i. e. liberari sive a crimine sibi imposito, sive a domino, volente sibi eos vindicare servos. Ita et h. l. *δικαιοῦσθαι ἀπὸ* idem ac: *ἐλευθεροῦσθαι*, liberari, (uti v. 18.). Considerat apostolus h. l. peccatum tanquam dominum, a quo homo, dum christianus fit per baptismum, ita liberatur, uti servus, dum moritur, liberatur ab imperio ejus, cujus antea mancipium fuerat. Vult itaque apostolus dicere: Sicut, qui mortuus est, non amplius peccat, ita etiam in eo, qui per baptismum unacum Christo crucifixus est, ac corpus peccati in se destruxit, de peccato sermo esse

non potest. Talis est sine ullo affectu erga peccatum, mortuus quoad istud.

V. 8. *„Si autem mortui sumus cum Christo, credimus, nos etiam cum eo esse victuros."* Versu hoc et sequenti s. apostolus progreditur in amplificatione eorum, quae v. 5. dicta erant. Dixerat scil. ibi: Si conjuncti sumus Christo, simili morte, etiam resurrectione ei junctos nos esse oportet; hanc assertionem v. 6. et 7. comprobat, et nunc v. 8. ita pergit: Imo non tantum hoc, sed confidimus etiam, nos vitam cum eo acturos esse. — *εἰ* h. l. idem ac: quandoquidem. — *πιστεύομεν* h. l. confidimus. Per *συζήσομεν* est intelligenda vita gratiae (sancta), et sensus est: Si mystice (ethice) cum Christo mortui et crucifixi sumus atque corpus peccati destruximus, tum confidere possumus, etiam nos, uti ille resuscitatus a morte in novam vitam, novam ab eo nobis communicatam vitam (gratiae) deinceps acturos atque in ea permansuros esse (uti v. sequenti dicit). — Vita enim christiani vere talis non est tantum nova vita cum Christo, sed Christus, cui per baptismum insitus est, talem christianum in suam trahit vitam eumque ad omne bonum inclinat, movet et ducit, ita ut cum apostolo dicere possit: „Cum Christo sum crucifixus; vivo autem non amplius ego, vivit in me Christus" (Gal. 2, 19.).

V. 9. *„Quippe qui scimus, Christum suscitatum e mortuis non amplius mori; mortem ei non amplius dominari."* Verbis his docet apostolus, non modo recedendum esse a peccatis, sed in nova vita (gratiae) continuo perseverandum. — Mors Christo non eodem modo dominata est, quo reliquis hominibus; nam mors in Christum jus nullum habebat, sed voluntarie et libere eam subivit. — Verbis versus sequentis s. apostolus sententiam modo (v. 9.) expressam clarius explicat (*γὰρ*).

V. 10. *„Quod attinet ad id, quod mortuus est, peccato semel mortuus est; quod vero attinet ad id, quod vivit, vivit Deo."* — Relativum *ὅ* utraque vice optime cum plerisque sumitur: quod attinet ad, seu: quantum attinet. — Alii autem utraque vice *ὅ* sumunt ut accusativum objecti, et intelligunt de morte et vita (uti Gal. 2, 20.), hoc modo: Quam enim mortem mortuus est, peccato mortuus est semel; quam vitam vivit, eam vivit Deo. Sensus idem manet. — *τῇ ἁμαρτίᾳ*, peccato, i. e. ad tollendum peccatum (*ὑπὲρ τῆς ἁμαρτίας*); nam s. literae constanter docent, Christum suo supplicio (seu morte) peccata hominum expiasse (1. Cor. 15, 3. Gal. 1, 4. Rom. 3, 24. 25. Hebr. 9, 28. 2. Petr. 2, 24). — *ἐφάπαξ*, semel;

nam ad destructionem peccati et mortis repetitio non erat necessaria, sed una oblatione in cruce peccatum ejusque potestatem destruxit (coll. Hebr. 9, 28; 10, 10. 14. 1. Petr. 3, 18.); nam sacrificium Christi sufficiens est pro redimendis hominibus omnium temporum, praeteritorum, praesentium et futurorum.

Vulgata ponit comma post vocem: peccato; sed ob antithesin: vivit Deo, melius est, si comma ponatur ante hanc vocem. — Vivit Deo, i. e. ad ejus gloriam et laudem, ut nunc sedens ad dexteram Patris mundum ad Deum reduceret.

V. 11. *„Ita et vos reputate vos ipsos mortuos quidem peccato, viventes autem Deo in Christo Jesu, Domino nostro.“* Verbis his applicat apostolus ea, quae prius dixit de morte et vita Christi, ita ut sensus sit: Ad Christi, capitis nostri, exemplum reputate vos per baptismum peccato mortuos; de caetero autem vos vivere oportet tantum ad gloriam Dei. Id vero tantum possumus, si ut viva membra in Christo permaneamus; ideo dicit: in Christo Jesu, i. e. si sumus in unione cum eo, seu ei incorporati.

V. 12. *„Ne ergo regnet peccatum in mortali vestro corpore.“* Perseverat apostolus in metaphora, qua jam finxit peccatum ut dominum et tyrannum, dominium suum in homines exercentem, et hortatur fideles, ut a peccati dominio liberati (per baptismum) ipsius tyrannidi sese non subdant amplius. — *ἁμαρτία* est, ut v. 6. peccatum in genere (in abstracto), quod, quamvis in justificatis non amplius ut culpa et dominans spiritui adest, tamen adhuc ut vis ad malum incitans et tentans (ut concupiscentia) perdurat. — Corpus dicitur mortale partim in antithesi cum spiritu, qui vitae aeternae jam particeps factus est (v. 11.); partim in antithesi cum corpore glorificato, cujus germen nobis in regeneratione inseritur et morti non subjectum est. — *„Ut obediatis concupiscentiis ejus“*, nimirum obediendo pravis motibus et desideriis, quae excitat in corpore nostro.

Lectio: *εἰς τὸ ὑπακούειν ταῖς ἐπιθυμίαις αὐτοῦ* ob testes praestantissimos (codices et versiones) praeferenda est lectioni: *εἰς τὸ ὑπακούειν αὐτῇ ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις αὐτοῦ.*

V. 13. *„Neque exhibeatis membra vestra, instrumenta injustitiae, peccato“;* i. e. neque exhibete membra corporis vestri peccato quasi instrumenta et arma ad exercenda opera injustitiae seu peccata. — *ὅπλον*, instrumentum; *τὰ ὅπλα*, arma; sed metaphorice ut h. l. instrumenta (Werkzeuge). — *„Sed exhibete vos ipsos Deo, tanquam ex mortuis viventes“;* i. e. sed date vos

ipsos totos, quanti estis (quoad mentem et voluntatem), in obsequium Deo, sicut facere decet eos, in quibus vetus homo mortuus et novus renatus est; seu: qui ex morte peccati ad novam vitam (gratiae) resuscitati sunt. — *„Et membra vestra, instrumenta justitiae Deo",* scil. exhibete; i. e. membra corporis vestri (quia vita interna Deo dicata in bona transit opera), exhibete Deo velut instrumenta, quibus justitiae opera exerceatis.

V. 14. *„Peccatum enim in vos non dominabitur."* Quum apostolus antea monuisset, ut a peccato se totos, animo et corpore, avertant atque Deo se tradant, nunc ad eos consolandos adjungit, se confidere, peccatum deinceps eis dominaturum non esse; — addens rationem: *„non enim sub lege estis",* scil. Mosaica, quae peccatum quidem ostendebat, sed virtutem, qua ejus mandata et prohibitiones implerentur, non dabat, — *„Sed sub gratia",* scil. estis, quae hominem interne liberum reddit, eique vim dat, voluntatem Dei libenter et hilariter implendi. — Quam rem apostolus fusius in duobus capitibus sequentibus illustrat et comprobat.

V. 15. *„Quid igitur: num peccemus, quia non sumus sub lege, sed sub gratia."* — Quum scil. apostolus proxime dixisset: non estis sub lege, sed sub gratia — poterant ejus adversarii ex hac legis libertate concludere, eum docere libertatem peccandi, quippe quum legis statuta ad eos non amplius pertineant. Ad quod respondet: *„Absit",* i. e. longe absit tam impia consequentia, cum potius ex dictis bene intellectis diversum sequatur, scil. non esse peccandum. Vulgata loco conjunctivi aor. (ἁμαρτήσωμεν) legit futurum (ἁμαρτήσομεν).

V. 16. *„Nescitisne, cui vos ipsi praebeatis servos ad obedientiam, ejus vos servos esse, cui obediatis, aut peccati ad mortem, aut obedientiae ad justitiam?"* Postquam s. apostolus istud consequens absurdum ex dictis simpliciter (verbis μὴ γένοιτο) repulerat, versu hoc et duobus sequentibus (17. et 18.) nova ratione probat, christiano non modo peccandum non esse, sed Deo fideliter serviendum, ita argumentando: Homo servit aut peccato aut justitiae (servitus est aut peccato exhibita aut Deo) (v. 16., qui continet propositionem majorem). — Atqui relate ad christianum electio jam facta est; ille per baptismum a peccati servitute liberatus est (v. 17., qui continet propositionem minorem); — ergo ille justitiae incumbere debet (v. 18., qui est conclusio). — Verbis: οὐκ οἴδατε (an nescitis) in memoriam revocat experientiam ex vita humana, quod scil. obedientia faciat servum. — Ad δοῦλοί ἐστε est sup-

plendum: ἐκείνου, et ante ἁμαρτίας et ὑπακοῆς autem: δοῦλοι. Loco ὑπακοῆς ob vocem ἁμαρτίας, cui opponitur tanquam domino, exspectatur τοῦ θεοῦ, et loco εἰς δικαιοσύνην ob antithesin cum verbis εἰς θάνατον exspectatur εἰς ζωὴν αἰώνιον. Sed apostolus poterat tamen ὑπακοήν, scil. θεοῦ (juxta v. 22.) — obedientiam erga Deum — opponere τῇ ἁμαρτίᾳ, quia omne peccatum est quaedam inobedientia (legis divinae transgressio coll. v. 23.). Si igitur apostolus per prosopopoeiam peccatum sistit ut dominum, poterat etiam obedientiam erga Deum per prosopopoeiam ut dominam, et homines ut servos hujus domini proponere. — Quod autem verba: εἰς δικαιοσύνην attinet, in istis vita aeterna (ζωὴ αἰώνιος) jam per se subintelligitur, quia justitiam seu vitae sanctimoniam vita aeterna consequitur. — Per vocem θάνατος est (coll. v. 23.) intelligenda mors spiritualis, aeterna; nam stipendium peccati mors. — Vult itaque apostolus dicere: Sine omni controversia verum est, quod homo fiat servus ejus, cui se tradit ad obediendum. Atqui homini electio data est, ut eligat inter inobedientiam et obedientiam erga Deum. Si primum facit, efficitur servus peccati, et haec servitus ducit eum ad mortem aeternam; si alterum, fit servus obedientiae erga Deum, et haec servitus ducit eum ad probitatem (vitae sanctitatem) et per eam ad vitam aeternam. — Relate ad christianum electio jam facta est; ideo dicit:

V. 17. „*Gratiae autem Deo* (sint), *fuisse vos servos peccati, obedivisse autem ex corde ei, in quam traditi estis, formae doctrinae.*“ — Quum apostolus in sua argumentatione progredi deberet, recordatio de conversione lectorum, mentem ejus ad gratias Deo agendas excitat; quare etiam ipsi suae argumentationi gratiarum actionem inserit. — Particula δὲ indicat propositionem minorem, hinc valet idem ac: atqui. — Verbum ἦτε h. l. absque dubio emphasin continet; nam s. Paulus non poterat Deo gratias agere pro servitute peccati, quam aliquando passi sunt, tanquam illud esset Dei beneficium; sed ideo gratias agit, quod non amplius sint servi peccati, quod desierit servitus peccati. — Alii ὅτι ἦτε resolvunt in participium et subintelligunt πότε (olim), ergo: ὄντες πότε δοῦλοι. Sensus idem est. — Sed apostolus non solum gratias agit Deo, quod servitus peccati desierit; sed etiam ideo, quod doctrinae Christi per gratiam divinam traditi sint. — εἰς τόν παρεδόθητε τύπον διδαχῆς positum est per attractionem pro: ὑπηκούσατε . . . τῷ τύπῳ διδαχῆς εἰς ὃν παρεδόθητε. — τύπος διδαχῆς est forma, exemplum,

protypum (Modell) doctrinae; διδαχὴ h. l. tota doctrina christiana. Doctrina christiana est ergo exemplum, protypum, ad quod nos toto animo componere debemus. — ὑπακούειν relate ad doctrinam christianam intelligi debet de ejus susceptione per fidem. — ἐκ καρδίας, ex corde, i. e. libere et intimo gaudio. — παρεδόθητε passive: traditi estis, scil. a Deo, per gratiam divinam; quo autem non tollitur propria lectorum libera cooperatio; nam dicit s. auctor: obedivistis. In regeneratione utrumque necessarium est, gratia divina et libera hominis cooperatio.

V. 18. *„Liberati autem a peccato, servi facti estis justitiae.“* Versus hic continet conclusionem. Apostolus vult dicere: Quia homo aut peccato servit aut Deo, sponte sequitur, liberatos a servitute peccati, translatos esse ad servitutem justitiae, qua Deo servitur.

V. 19. *„Humanum dico propter infirmitatem carnis vestrae.“* Permulti recentiorum interpretum verba ἀνθρώπινον λέγω, sumunt sensu: κατ' ἄνθρωπον λέγω, i. e. loquor more hominum, seu utor verbis repetitis a vita communi (uti 3, 5. aliasque); et ἀσθένεια τῆς σαρκὸς explicant de imbecillitate animi seu intellectus (in re religiosa) atque sententiam hanc ita intelligunt, ac si apostolus h. l. excusare vellet, quod dixerat: ἐδουλώθητε τῇ δικαιοσύνῃ, ita ut sensus esset: Quod dico, vos redactos esse in servitutem . ., loquor more hominum, ut id, qui tanquam carnales, imbecilles estis in rebus religiosis intelligendis, facilius capiatis. — Verba sequentia autem sumunt tanquam explicationem verborum ἐδουλώθητε τῇ δικαιοσύνῃ. — Sed verba ἀνθρώπινον λέγω sumere sensu: κατ' ἄνθρωπον λέγω, prorsus arbitrarium est; dein nec recte vox σάρξ explicatur de sola imbecillitate intellectus, quum illa totum hominem denotet, quatenus imbecillis et ad malum pronus est. Quapropter praeferenda est explicatio veterum (Chrysost., Theodoreti, Thomae, Estii), qui vocem ἀνθρώπινον explicant per: congruens imbecillitati humanae, seu humanis viribus accommodum, atque haec verba non ad praecedentia, sed ad sequentia referunt. — *„Sicut enim exhibuistis membra vestra impuritati et iniquitati serva ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra serva justitiae ad sanctificationem.“* — ἀκαθαρσία denotat externas sordes; dein sordes animi speciatim impuritatem, quae libidine venerea contrahitur (1, 24.); hic generatim peccata carnalia. — ἀνομία (ex α priv. et νόμος est legis contemtio, iniquitas, improbitas generatim. — Verba εἰς τὴν ἀνομίαν designant progressum ex uno peccato ad

alterum; prouti verba *εἰς ἁγιασμόν* progressum in sanctificatione totius vitae, internae et externae. — *ἀκαθαρσία* et *ἀνομία* spectantur hic per prosopopoeiam tanquam personae, membrorum corporis in servitutem ipsarum redactorum rectrices. — Vult itaque apostolus dicere: Rem non difficilem, sed humanis viribus accommodam, vobis, propono, si a vobis exigo, ut, sicut membra corporis vestri olim serva praebuistis impuritati omnique malo, ita ut quotidie pejores fieretis — ita nunc pari saltem studio praebeatis eadem membra serva justitiae, ita ut in dies magis magisque sanctificemini.

Ut adhortationem modo expressam tanto lubentius exciperent, ponit in sequentibus s. apostolus ob oculos sequelas seu fructus pristinae vitae eorum.

V. 20. *„Quum enim servi essetis peccati, liberi eratis a justitia."* Verbis his dat rationem (inde *γάρ*), cur aequum sit, ut faciant, ad quod eos prius adhortabatur. — *δικαιοσύνῃ* est dativus relationis; et apostolus vult dicere: Cum enim velut mancipia peccato serviretis, eratis a justitia alieni. — Qualis autem haec libertas fuerit, conspicitur ex fructibus ejus.

V. 21. *„Quem igitur fructum habuistis tunc, quorum nunc pudet vos?" καρπός*, fructus, h. l. intelligenda sunt opera, actiones. — *τότε*, tunc, i. e. quo tempore servi eratis peccati. — Si cum Vulgata signum interrogationis ponitur post *ἐπαισχύνεσθε*, tanquam responsum suppleri debet: nullum fructum habebatis; nam finis eorum mors. — Si autem cum Theodoreto et Theophylacto signum interrogationis ponitur post *τότε*, tum ante *ἐφ' οἷς* supplendum est: *τοιαῦτα* (talia), ut sensus sit: Quae opera egistis, quo tempore eratis servi peccati? Talia, quorum nunc vos pudet. — *„Nam finis eorum mors"*, scil. aeterna seu damnatio. *θάνατος* h. l., quia opponitur vitae aeternae (v. 22.) est idem ac *ἀπώλεια*, damnatio.

V. 22. *„Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem."* Miserrimo peccati servitutis exitui opponit duo, quae servitus justitiae adfert bona, quorum alterum sit sanctificatio, quod bonum praesentis vitae est; alterum vita aeterna, quod futurae. Vult s. apostolus dicere: Nunc vero liberati a peccati servitute, et servi Deo facti, capitis ex hac vestra servitute fructum, eum, ut in dies magis magisque sanctificemini. Praepositio *εἰς* hic dicitur de effectu (cf. v. 19.). — *„Finem vero, vitam aeternam"*, i. e. finis

vero seu praemium operum sanctorum est vita aeterna. — Addit rationem finis utriusque servitutis, dum dicit:

V. 23. *„Stipendia enim peccati, mors"*; i. e. nam merces, quam servis suis peccatum solvit, est mors aeterna. — *τὸ ὀψώνιον* serioribus scriptoribus denotat stipendium militare; etiam in plurali adhibebatur hoc significatu, quia milites partim nummos, partim victualia diversi generis accipiebant. Metaphorice, ut h. l. est idem ac merces. — *„Donum autem Dei, vita aeterna in Christo Jesu, Domino nostro"*; i. e. donum, quod Deus servis suis largitur, est vita aeterna, quam dat in unione et per merita Jesu Christi, Domini nostri. S. apostolus loco: merces, quam servis suis solvit Deus, dicit: donum, quia omnia opera bona procedunt a gratia, sine qua opera bona nulla facere posset. [1])

Caput VII.

Argumentum. Quod apostolus supra (6, 14.) affirmaverat, christianos non esse sub lege, hoc nunc it probatum (v. 1—6.), et probat hoc modo: Homo ad vitae dies tantum legi est subjectus (v. 1.); quam sententiam illustrat exemplo ex connubio desumto (v. 2. 3.). Christianus vero in baptismo secundum veterem hominem (mystice) cum Christo mortuus est (v. 4. 5.); ergo a legis dominio et observatione liberatus est (v. 6.).

V. 1. *„Aut ignoratis, fratres."* Particula ἢ (aut) respicit ad dicta 6, 14. „non enim sub lege estis, sed sub gratia; et apostolus vult dicere: Non negabitis, christianum non amplius esse sub lege, sed sub gratia. — De voce: *ἀδελφοὶ* cf. 1, 13. S. apostolus h. l., quum de significatione legis Mosaicae loqui vult, praeprimis ob oculos habet Judaeo-christianos. — *(„Ad eos enim, qui legem cognoscunt, loquor")*, i. e. qui legis Mosaicae gnari sunt. *νόμος* utraque vice notat universam legem Mosaicam. — *„Legem in hominem dominari, quamdiu vivat?"* scil. homo. Alii ad verbum ζῇ supplent *νόμος* (lex), hoc sensu: Legem in hominem dominari, quamdiu lex viget. Sed versus sequentes, praeprimis v. 4., postulant, ut ad ζῇ suppleatur *ἄνθρωπος*; dein etiam tautologia adesset, si *νόμος* suppletur.

V. 2. *„Nam mulier maritata, viventi viro lege obstricta est."* Quod prius (v. 1.) dixit, nunc illustrat exemplo mulieris nuptae. Comparat legem Mosaicam cum ipsius mandatis et interdictis

[1]) Cf. Concil. Trid. sess. 6. c. 16.

marito; Judaeum vero legi subjectum uxori. Lex et homo Judaeus erant matrimonio indissolubili copulati; defectio a lege erat adulterium. Quapropter saepe in A. T. Israëlitae, si a Deo ejusque lege defecerant, nominantur gens adultera, eorumque defectio a Jehova autem adulterium. — γὰρ h. l. est illustrativum. — ὕπανδρος (ex ὑπο et ἀνηρ) est vocabulum Graecis proprium ad designandam mulierem, quae in matrimonio vivit, et quae proin marito obsequium praestare tenetur; ergo ὕπανδρος γυνὴ est mulier maritata, nupta. — τῷ ζῶντι est idem quod prius: ἐφ᾽ ὅσον χρόνον ζῇ. — Lege, scil. conjugii obstricta est. Nam vox νόμος, quae apud s. Paulum saepe denotat integrum Pentateuchum, totam legem Mosaicam, h. l. speciatim notat legem conjugii, institutam in paradiso (Gen. 2, 24.): „Relinquet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae.“ Hac lege mulieri non erat jus concessum, maritum dimittendi; sed habebatur pro adultera, si maritum, quin ab eo libellum repudii accepisset, dimiserat et cum alio viro rem habuerat. Illam exceptionem, qua marito permissum erat, uxorem dato libello repudii dimittere, s. apostolus h. l. praetermittit.[1] — *„Si autem mortuus est vir, soluta est a lege viri“*, i. e. soluta est a lege conjugii, quae eam marito suo ligabat. — καταργέω, vi sua privo, abrogo, destruo; cum praepos. ἀπὸ est idem ac ἐλευθερόω, libero ut h. l.

V. 3. *„Itaque vivente viro adultera vocabitur, si alius viri facta fuerit.“* χρηματίζω (a χρῆμα res, negotium) est; negotium facio, rem aliquam tracto; dein responsa, oracula edo, divinitus moneo; postea apud seriores scriptores: utor nomine, vocor, appellor. — γίνεσθαι est euphemismus (i. e. res honestiori modo expressa), et denotat idem quod: alicujus fieri, tradere se potestati viri alterius, nubere. — *„Si autem mortuus est vir, libera est a lege“*, scil. ea, qua viro erat alligata. — *„Ita ut adultera non sit, quum alius viri facta fuerit.“*

V. 4. *„Itaque, fratres mei, etiam vos legi interfecti estis per Christi corpus.“* Versu hoc sequitur applicatio eorum, quae immediate prius (v. 1—3.) dixerat, et apostolus vult dicere: Itaque, fratres mei, sicut uxor, defuncto marito, liberata est a lege connubii, ita vos quoque, qui mortui estis secundum veterem hominem cum Christo, pariter facti estis liberi a dominio legis. — Juxta exemplum propositum apostolus dicere debuisset: Itaque fratres ... etiam lex vobis mortua est, ita ut alii viro, nimirum Christo,

---

[1] Cf. Commentar. in evang. s. Matth. 5, 31. 32; 19, 9.

vosmet tradere possitis. — Sed, quum apostolus dicere non posset, legem mortuam esse, quia lex (moralis) V. T. aeternum habet valorem, quoad essentiam suam non desinit, modo inverso dicit: vos legi mortui estis. — Apostolus autem non dicit simpliciter: mortui, sed interfecti estis, ut lectores memores reddat violentae mortis Christi. — *διὰ σώματος Χριστοῦ*, per corpus Christi, i. e. per mortem ejus secundum corpus, seu quam in corpore suo sustinuit, in qua et per quam lex illa vim obligandi perdidit. — Huic morti Christi nos christiani per baptismum incorporati, in baptismo cum Christo secundum veterem hominem (mystice) mortui sumus (coll. 6, 3. seq.). *„Ut facti sitis alterius"*, i. e. ut alteri conjuncti sitis, seu ut novum, multo nobilius contrahatis conjugium. — Verbis his docet apostolus, quem in finem christiani fuerint legi interfecti. — *„Ejus, qui e mortuis suscitatus est"*, i. e. ut Christo, qui ipse a mortuis resurrexit et sibi unitos novae vitae participes facit, copularemini. Si, uti s. apostolus in epistola ad Galatas (4, 5.) docet, finis mortis Christi erat, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, — utique redempti non possunt esse sui juris, sed ejusdem, qui eos redemit (1. Cor. 6, 19.). Ideo etiam in altera ad Corinthios epistola (5, 15.) scribit: „Pro omnibus mortuus est Christus, ut, et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est et resurrexit." Quapropter dicit nunc: *„Ut fructum feramus Deo"*, i. e. ut Christo, tanquam viro nostro, cui conjuncti sumus, ex semine gratiae ejus foecundati, bonorum operum fructus proferamus (Estius).

V. 5. *„Cum enim essemus in carne"*, i. e. cum nondum regenerati essemus. Versu hoc et sequenti explicat verba praegressa: ut fructum feramus Deo, dum ostendit, quomodo homini non regenerato lex dominetur atque in eo operetur, regeneratus vero ab ea liberatus, illi mortuus sit. — *εἶναι ἐν τῇ σαρκί* dicitur de conditione (statu), in qua sunt homines ut lapsi Adami progenies, antequam ex Deo renascantur; hic status est veteris et carnalis hominis. Hinc: esse in carne, idem est ac: non renatum, non regeneratum esse, seu: esse in statu veteris hominis, — et opponitur *τῷ εἶναι ἐν πνεύματι* (cf. v. 6. et 8, 8.), qua phrasi exprimitur conditio (status) hominis renati, regenerati. Homo scil. pro sua nativitate (origine ex Adamo) est *σαρκικός* (carnalis); inferior, infirma et ad peccandum prona natura (ex Adamo nascendo accepta), *σάρξ*, est ejus elementum vitale. Si autem homo ex Christo renascitur, fit *πνευματικός* — *πνεῦμα*, Spiritus sanctus operatur et agit in eo, — est ejus

elementum vitale. — *„Peccatorum cupiditates“*, i. e. cupiditates (desideria) ad peccata inducentes. πάθημα, passio, affectio, cupiditas; τῶν ἁμαρτιῶν est genitivus objecti, hoc sensu: cupiditates, quae ad peccata ducunt vel peccata procreant. — *„Quae per legem erant“*, i. e. quae cupiditates pravae occasione legis excitabantur. — *„Efficaces erant in membris nostris“*, i. e. vim suam exserebant per membra nostra, tanquam instrumenta peccati (cf. 6, 13.). Homo nimirum inde a lapsu Adami naturalem habet propensionem (inclinationem) ad ea, quae sunt vetita (nitimur in vetitum), ideo factum est, ut lex cum suis mandatis et prohibitionibus irritaret atque excitaret pravas cupiditates in homine; et quum nullam vim daret, illas cupiditates superandi, factum est, ut per pravam propensionem illam homo ad peccata magis magisque duceretur. — ἐνηργεῖτο imperf. med. ab ἐνεργέω, efficio; in medio: efficax sum, vim exsero. — *„Ut fructum ferremus morti“*, i. e. ut fructus ederemus mortiferos, i. e. peccata. — Ergo matrimonium hominis naturalis cum lege proferebat liberos mortis, i. e. peccata.

V. 6. *„Nunc vero soluti sumus a lege, mortui, in qua detinebamur.“* Versus hic continet antithesin. — κατηργήθημεν h. l., quia cum ἀπό construitur, est, ut v. 2., idem ac ἠλευθερώθημεν. — Participium ἀποθανόντες pertinet ad κατηργήθημεν, atque deberet esse ante hoc verbum. — ἐν ᾧ refertur ad τοῦ νόμου. — Expressio κατειχόμεθα (detinebamur) est desumpta a matrimonio, hoc modo: in qua lege detinebamur uti uxor. Vult ergo apostolus dicere: Nunc vero, cum per mortem, quam in baptismo subieramus, liberi simus penitus a lege, in qua velut in custodia conclusi servabamur, ne prorumperemus in manifesta crimina (Gal. 3, 17.). — Vulgata loco ἀποθανόντες legit τοῦ θανάτου (mortis), ita ut sensus sit: Nunc autem soluti sumus a lege mortis, i. e. a lege mortifera, seu: a lege, quae, quum cupiditates ad peccata excitet, ducit ad mortem spiritualem. — *„Ita ut serviamus in novitate Spiritus, et non in vetustate literae“*; ita ut serviamus Deo in novo statu (conditione), in quo nos Spiritus sanctus collocat, et non in veteri illo statu (conditione), in quo imperat litera, i. e. lex cum suis prohibitionibus et mandatis. — Ad δουλεύειν subintelligendum est τῷ θεῷ. — πνεῦμα est Spiritus sanctus, et genitivus πνεύματος est genitivus causae, i. e. Spiritus s., qui illum novum statum (conditionem) efficit. — καινότης est novus hominis status (conditio), in quo eum Spiritus s. collocat; — παλαιότης vero est status (conditio) hominis pristinus, in quo ei imperat

litera (γράμμα), i. e. lex cum suis prohibitionibus et mandatis. — γράμμα proprie litera, dein litera legis, quae homini, dum in veteri sua conditione fuit qua Judaeus, normae instar erat (3, 3.); hinc γράμμα h. l. idem ac νόμος. Lex autem vocatur γράμμα, quia erat solum externa norma vitae Judaeorum atque in ea erant motiva agendi mere externa. — Ceterum homo ex Christo regeneratus eatenus liberatus est a lege, quatenus illa praecipit et vetat, atque ita cum suis prohibitionibus et mandatis pravas cupiditates in homine irritat atque excitat; verus enim christianus est mortuus secundum veterem hominem, ille carnem suam cum passionibus et cupiditatibus crucifixit, et loco metus in eo habitat charitas, quae facit, ut sponte et cum gaudio omnia praecepta impleat.

Relatio legis ad lapsum genus humanum (7, 7—25).

Quum apostolus per decursum expositionis suae liberationem a peccato et liberationem a lege simul sumpsisset, et praeterea v. 5. dixisset, lege cupiditates ad peccata irritari atque excitari, utique facilis erat conclusio, ac si lex et peccatum unum idemque esset apostolo, ideoque lex in se mala. Ut itaque falsae deductioni huic occurrat, in sequentibus (v. 7—13.) explicat uberius relationem legis ad lapsum genus humanum. Docet nimirum: Lex in se non est mala, potius sancta; ast prohibitionibus suis ducit ad agnitionem peccati, facit, ut homo in ipso latentem concupiscentiam cognoscat, atque ita hominem sua indole ad peccandum pronum, ad peccatum irritat et excitat. Homo enim naturalis mente sua quidem approbat legem, bonum jubentem et malum prohibentem, sed, quum sit pronus ad peccandum, contra suam voluntatem meliorem per concupiscentiam rebellem malum agit. S. apostolus describit hic dissidium (dualismum) in natura humana. Sed ipse hic dualismus et hominis impotentia agnita redemtionis excitavit desiderium sicque ad recipiendum Salvatorem disposuit.

V. 7. *„Quid igitur dicemus?“*, nimirum ob antea (v. 5.) dicta. Cf. 6, 1. — *„Num lex peccatum?“* i. e. num lex, quia peccatorum cupiditates irritat ad peccatum, in se mala est? — *„Absit“*, i. e. id impossibile est; nam lex a Deo est, ideoque per se sancta. — μὴ γένοιτο (aor. 2. opt. med. a γίγνομαι) est sermo abominantis velut rem absurdam atque ideo impossibilem. — *„Ast peccatum*

non cognovi, nisi per legem." — Ab his verbis (usque ad v. 25.) incipit s. apostolus, prouti in vita sua expertus erat, in sua persona describere hominem (nondum justificatum), qualis fuerit ante legem Mosaicam, et qualis factus est post legem acceptam. Nam quod apostolus de se dicit, id valet plus minusve de singulis hominibus atque etiam de genere humano, ut magno toto. — Nonnulli (cum Theodoreto et Vulgata) ἀλλὰ vertunt per: sed; qua versione stante sententia haec contineret laudem legis, hoc sensu: Lex minime mala est, sed potius per eam patefit, quid sit pecccatum. Alii vero rectius ἀλλὰ vertunt per: ast, qua versione stante apostolus h. l. praegressae sententiae negativae opponit affirmativam. — νόμος est lex Mosaica. — Etiam gentilis habebat conscientiam peccati (quia habet legem naturalem scriptam in corde); sed exacte (perfecte) non cognoscitur peccatum, nisi per positivam legem; nam sine positiva lege conscientia peccati semper est obscura. — Veritatem dicti hujus confirmat, dum dicit: *„Nam etiam concupiscentiam non cognovissem, nisi lex diceret: Non concupisces"*; i. e. nam pravas cupiditates, ex quibus peccata oriuntur, malas esse non cognovissem, nisi lex suis mandatis et prohibitionibus illas vetaret. ἐπιθυμία generatim cupiditas mali (v. 8.). — Alii per vocem ἐπιθυμία intelligunt ipsam concupiscentiam malam (internam), quae ex peccato originali orta est, et per cupiditates pravas hominem ad peccata impellit. Sensus manet idem. — Verba: Non concupisces sunt ex secundo libro Mosis (20, 17.) desumpta; sed, quum apostolus non enumeret omnia objecta in decalogo consignata, per illa verba intelligi debent generatim omnes legis Mosaicae prohibitiones. Perpulchre dicit s. Augustinus: „Non concupisces, tanquam haec esset vox legis ab omni peccato prohibentis. Neque enim ullum peccatum nisi concupiscendo committitur."

V. 8. *„Impulsum vero nactum peccatum per praeceptum, operatum est in me omnem concupiscentiam"*; i. e. concupiscentia, in me latens, per legem, quatenus praecipit vel prohibet, occasionem et impulsum accipiens, in me excitavit et protulit omne genus malarum cupiditatum. ἁμαρτία est mala concupiscentia, quae, uti Concilium Tridentinum (sess. 2.) dicit, peccatum appellatur, quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat. — ἀφορμή, occasio (Anlass), impulsus (Anregung, Antrieb); hic loci utraque notio conjungenda (v. 11.). — ἐντολή sunt singula praecepta, dum νόμος est complexus totius legis Mosaicae. —

Verba: διὰ τῆς ἐντολῆς nonnulli (Estius) connectunt cum verbo κατειργάσατο (operatum est); sed melius (juxta s. Thomam) conjungitur cum voce ἀφορμὴν, quia ita peculiaris operatio legis clarissime designatur. — *„Nam sine lege peccatum mortuum"* (scil. erat); i. e. nam, ubi lex positiva non adest, ibi concupiscentia in me latens, quum non habeat, quo excitetur, vim suam non exserit, ac veluti mortua jacet. — Notum est illud O v i d i i: „Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata." — Ergo peccatum (mala concupiscentia) erat jam a n t e legem in homine latens, sed erat quasi mortuum, inefficax, quia, quum lex cum suis praeceptis et prohibitionibus ei non esset opposita, vim suam per pravas cupiditates non exercebat. — νεκρὸς proprie m o r t u u s, dein tropice: i n e f f i c a x, ut h. l. — Verbis versus 9. usque ad 11. ab apostolo eadem sententia pronunciatur, quam versu praecedente, sed tantum a m p l i f i c a t a et o r n a t i o r e sermone expressa exhibetur. Describit scil. conditionem (statum) generis humani a n t e et p o s t legem. Facit vero id in s u a persona, quia vita u n i v e r s i g e n e r i s h u m a n i repraesentatur et repetitur in vita s i n g u l o r u m hominum. Sicut quilibet homo, ita etiam genus humanum ut magnum totum, habet aetatem i n f a n t i a e, tempus, quo non est sui conscium, et tale tempus erat tempus a n t e legem. Peccatum, concupiscentia erat quasi sopita et mortua, quia nulla lex istud dissidium internum in homine excitaverat. Cum autem lex data esset, genus humanum aetatem ingressum est a d o l e s c e n t i a e, tempus, quo homo sui conscius fit, et pravae cupiditates in eo excitantur, eumque violentius oppugnare incipiunt, ut istis obediat atque satisfaciat.

V. 9. *„Ego autem vivebam aliquando sine lege."* — Verbis his designat apostolus in sua persona primam periodum (tempus) vitae singulorum hominum, uti et totius generis humani, qua homo nec s u i, nec l e g i s conscius est. — Apostolus vult dicere: Quum essem infans, nullam habui legis cognitionem, et peccatum, seu concupiscentia in me latens, erat quasi sopita et mortua, istud dissidium internum inter mentem ed concupiscentiam nondum sentiebam. *„Sed, cum venisset mandatum, peccatum revixit."* — Verbis his designat s. apostolus a l t e r a m periodum, quando homo, sui conscius factus, etiam legis cognoscendae capax est. Apostolus vult dicere: Quum autem sui conscius factus essem, lex de non concupiscendo in notitiam meam venisset, concupiscentia, quae hucusque in me tanquam mortua latebat, excitata est.

V. 10. *„Ego vero mortuus sum"*, i. e. ego vero, quia cupiditatibus pravis, quas concupiscentia in me excitavit, obedivi, propter transgressionem legis mortuus sum morte animae (coll. 6, 23.). — Si jam sententiae inde a v. 8—10. expressae inter se comparentur, sequentes adsunt antitheses: peccatum mortuum et: ego vivebam; dein: peccatum revixit et: ego mortuus sum. — *„Et ita expertus sum, mandatum, quod ad vitam, hoc ad mortem"*; i. e. et ita expertus sum, legem, quae a Deo data erat, ut hominem perduceret ad veram vitam, scil. sanctitatis et olim beatitatis (coll. Matth. 19, 16, 17.), esse ad mortem. — *καὶ* h. l. est consecutive sumendum: et ita, seu hoc modo. — *εὑρίσκομαι*, invenior, dein tropice: experior, usu cognosco. Ad *τὴν ζωὴν* supplendum est vel *οὖσα* vel *δοθεῖσα*, et ad *εἰς θάνατον* subintelligendum *οὖσα*. — Quod contrarium factum sit, causa hujus non est lex, sed concupiscentia in homine habitans. Id in sequentibus explicat (*γάρ*).

V. 11. *„Nam peccatum occasionem* (impulsum) *nactum per mandatum, decepit me, et per illud occidit"*; i. e. nam mala concupiscentia, data prohibitione occasionem et impulsum sumens, per falsa ratiocinia, ad instar serpentis in paradiso, me decepit et ad opus vetitum seducendo occidit me morte spirituali (seu animae).

V. 12. *„Itaque lex quidem sancta, et mandatum sanctum, et justum et bonum."* — Hoc ex supra dictis concludit apostolus contra objectionem v. 7. factam, et sensus est: Cum ergo lex homini data fuerit, ut ipse vitam (veram) haberet, innata autem illi concupiscentia mala ipsum occasione legis in peccata impulerit, profecto consequitur, legi nihil esse cum peccato commune, sed eam esse sanctam, et praeceptum ejus esse sanctum, justum et bonum. — Praedicata *ἅγιος*, *δικαῖος* et *ἀγαθός* sunt synonyma; id apparet inde, quod haec praedicata addita sint non voci *νόμος*, sed voci *ἐντολή*, ita ut vox *ἅγιος* prima vice pro omnibus tribus vocabulis sequentibus posita sit. Attamen potest lex haec sancta dici, quia omne, quod praecipit, rectum et mundum; potest justa dici, quia transgressores suos ad poenam condemnat; et bona, quia illis, qui eam servant, vitam largitur veram (imo et aeternam). — Ceterum *ἅγιος* directe opponitur *τῇ ἁμαρτίᾳ* v. 7.

V. 13. *„Quod igitur bonum* (erat), *mors mihi factum est?"* — *τὸ ἀγαθὸν* (bonum) abstractum positum pro lege (*νόμος*), quam versu praegresso bonam dixerat. — *θάνατος* pro *εἰς θάνατον*, i. e. causa mortis. Sensus est: An lex, per se bona, facta est mihi causa mortis? seu: mihi peperit mortem? — *„Absit"*, i. e. hoc impossibile et absurdum. — *„Sed peccatum"*, scil. mihi factum est mors,

seu: concupiscentia mala, lege bona male usa, mortem mihi peperit; nam ex praecedentibus supplendum est ad verba *ἀλλα ἁμαρτία — ἐμοὶ ἐγένετο θάνατος*. — *„Ut appareat peccatum.“* Vox *ἁμαρτία* sine articulo h. l. posita, est praedicatum; subjectum vero est *ἡ ἁμαρτία* ex praecedente sententia, ita ut integra sententia ita esset: *ἵνα ἡ ἁμαρτία φανῇ ἁμαρτία*, ut peccatum appareat peccatum, i. e. ut illa concupiscentia mala, tanquam ingens peccatrix manifestaretur. — *„Quum per bonum mortem mihi operatur.“* Verbis his inest explicatio verborum praecedentium. — *διὰ τοῦ ἀγαθοῦ; τὸ ἀγαθον* est, sicut prius, positum pro voce *νόμος;* et sensus est: Quum per legem, quae in se bona est, mortem attulerit. Ita versum hunc explicant graeci Patres. — Vulgata autem et nonnulli Patres latini (Aug.) post verba *ἀλλὰ ἡ ἁμαρτία* non supplent verba ex praecedente sententia (*ἐμοὶ ἐγένετο θάνατος*), sed participium *κατεργαζομένη* tanquam verbum finitum sumentes, verba *ἀλλὰ ἡ ἁμαρτία* conjungunt in unam sententiam cum verbis *διὰ τοῦ ἀγαθοῦ . . . κατεργαζομένη*, et ita vertunt: „sed peccatum . . . per bonum operatum est mihi mortem“, ita ut sensus esset: Sed peccatum (concupiscentia mala) . . . occasione legis in se bonae, attulit mihi mortem. — In essentia quidem sensus non est diversus; sed tamen prior explicatio praeferenda est, quia hac explicatione cogitatus apostoli clarius perfectiusque exprimitur, qui ostendere volebat perversam peccati vim in homine latentis, ut ex istius clara cognitione etiam homo summam redemptionis necessitatem intelligeret. — *„Ut fiat supra modum peccans peccatum per mandatum.“* Sententia haec est gradatio prioris sententiae huic coordinatae: *ἵνα φανῇ . .* — *καθ' ὑπερβολὴν* proprie: secundum excellentiam, vehementiam; h. l. habet vim adverbii, et idem valet ac *σφοδρά*, vehementer, vel *μάλιστα*, maxime. — *ἁμαρτωλός*, peccato deditus, ergo peccans, malus, impius. — *γένηται* h. l. idem ac supra *φανῇ*. — Apostolus scil. per prosopopoeiam loquitur de peccato (de concupiscentia) velut de persona quadam h. l., uti in superioribus, dum ei tribuit operari, mortuum esse, reviviscere, seducere et occidere. Sensus est: Ut illa concupiscentia mala tanquam insignis peccatrix (seu maxime peccans) manifesta fieret occasione praecepti; seu: ut maxima concupiscentiae malae perversitas manifesta fieret.

V. 14. *„Scimus enim, legem esse spiritualem.“* — Quod in praecedenti versu dixerat: causa mortis mihi exstitit non lex, sed peccatum, i. e. mala concupiscentia in me latens, id nunc probat

(*γάρ*) tum ex communi fidelium consensu, affirmando, legem esse spiritualem, tum etiam ostendendo, vitiatam esse hominis naturam. — Lex h. l. dicitur spiritualis, quatenus originem habet ex divino Spiritu (*πνεῦμα*), ex Deo (v. 22.), et quatenus est expressio divinae voluntatis simulque norma nostri spiritus (Gal. 5, 16.). — *οἴδαμεν* scimus, i. e. omnibus fidelibus (christianis) notum, omnibus fidelibus constat. — *„Ego vero carnalis sum."* — Datur quaestio inter interpretes, utrum s. Paulus in sua persona statum hominis sub lege constituti, nondum justificati (regenerati), an sub gratia constituti, justificati (regenerati) describat.

Apostolum in sua persona describere hominis statum sub lege constituti seu nondum regenerati, docent fere omnes interpretes graeci, uti etiam Augustinus primum senserat. — Sententiam alteram, scil. apostolum loqui de homine sub gratia constituto seu regenerato, quam etiam s. Augustinus in scriptis posterioribus docuit, tenent permulti interpretes usque ad Estium et Cornelium a Lapide. — Quodsi ipsae expressiones, quibus internum dissidium in homine describit, considerentur, elucet, apostolum vix ob oculos habuisse hominem jam regeneratum (justificatum); hic enim, uti dixerat (6, 3.), cum Christo secundum veterem hominem mortuus et sepultus est. De regenerato (justificato) haud poterat apostolus simpliciter dicere, quod v. 19. dicit, scilicet, quod bonum, quod vult, non faciat; malum vero, quod non vult, operetur. — Praeprimis autem priori sententiae favent versus 24. et 25., ubi apostolus, descripto tristi dissidio interno, exclamat: Infelix ego homo! quis me liberabit ex hoc misero statu?; ad quod respondet: Jesus Christus est, qui me jam liberaverat. Quapropter etiam in sequentibus *σάρξ* opponitur *τῷ νοΐ* (menti) seu *τῷ ἔσω ἀνθρώπῳ* (homini interiori), non autem opponitur, uti in epistola ad Galatas (5, 17.), in qua loquitur de homine sub gratia constituto (seu regenerato), *τῷ πνεύματι*, de quo in iis tantum, qui per fidem et baptismum regenerati sunt, sermo esse potest; in regenerato enim *ὁ νοῦς*, a Spiritu s. collustratus et rectus, fit *πνεῦμα*. — Quia autem etiam in hominibus justificatis (regeneratis) istud dissidium inter carnem et spiritum perdurat, quum concupiscentia cum suis cupiditatibus etiam in homine regenerato spiritum oppugnet, potest dici, apostolum ex parte etiam ad hunc statum hominis justificati respexisse. Quapropter etiam ecclesia in persona omnium fidelium orat,

dicens: „Ut nos Unigeniti tui nova per carnem nativitas liberet, quos sub peccati jugo vetusta servitus tenet.“ — Loco σαρκικός plures codices et Patres graeci legunt σάρκινος, quod proprie est: carneus (fleischern), i. e. ex carne constans (2. Cor. 3, 3.). Sed, quum nondum liquidum sit, σάρκινός idem esse ac σαρκικός, statuendum est, h. l., quia s. Paulus in omnibus aliis locis vocem σαρκικός adhibet, etiam σαρκικος scriptum fuisse, et solum per librarios literam κ cum ν permutatam fuisse. — σαρκικός, carnalis est ille, in quem caro cum suis appetitibus dominatur, seu qui vivit secundum carnem et ea sequitur, quae sensuum appetitui placent. — *„Venditus sub peccatum“*, i. e. instar venumdati servi subjectus dominio malae concupiscentiae (coll. v. 8—11.). Hisce verbis explicat praegressum σαρκικός; sed ex his verbis simul elucet, apostolum loqui in persona peccatoris (nondum regenerati); nam homini sub gratia constituto non dominatur peccatum (seu concupiscentia mala). — πεπραμένος a πιπράσκω (perf. act. πέπρακα) vendo. — Quum apud veteres etiam homines venderentur in servitutem, transfertur verbum hoc etiam ad eos, qui servi fiunt cupiditatum, mancipia peccati, ita ut idem valeat ac δουλεύειν; ita h. l. venditus sub peccatum valet idem ac: servus sum peccati (δοῦλος εἰμι τῆς ἁμαρτίας). — Quidam inde, quia apostolus ab hoc versu et deinceps semper utitur tempore praesenti, cum in praecedentibus, ubi de conditione sua sub lege locutus fuerat, tempore praeterito usus esset, concludunt, jam hanc temporis mutationem ostendere, apostolum mutato tempore de alio statu, gratiae scil. loqui, cum prius de homine sub lege constituto locutus fuisset. Ast hoc argumentum parvi ponderis est; nam apostolus status illos considerat praeteritos, et eos tanquam praesentes prae oculos habet, hinc etiam illos tanquam praesentes describit. — Ex verbis hujus versus simul apparet, legem, quam apostolus spiritualem vocat, non esse causam mortis, sed ipsum hominem, subditum dominio peccati, i. e. concupiscentiae malae.

V. 15. *„Quod enim operor, non cognosco.“* Ab hoc versu usque ad v. 17. probat veritatem alterius membri v. 14., scil. se venditum esse in servitutem peccati. — οὐ γινώσκω, non cognosco, scil. clare; nam nulla hominis actio fit prorsus absque cognitione. Sensus est: Nam, quae perpetro, opera mala, non clare intelligo, quia mens mea per concupiscentiam obfuscata est. — In sequentibus jam apostolus exponit, quomodo talis agendi ratio sine clara cognitione adesse possit. — *„Non enim,*

quod volo, hoc ago; sed, quod odi, hoc facio.“ — Subjectum in verbis τοῦτο πράσσω et τοῦτο ποιῶ est animalis pars hominis, quam apostolus v. 17. simpliciter vocat peccatum (i. e. concupiscentia); subjectum autem verborum ὁ θέλω et ὁ μισῶ est mens, ὁ νοῦς (v. 23.), seu homo interior, ὁ ἔσω ἄνθρωπος (v. 22.). — Ceterum istud velle et non velle est imperfectum, est mera velleitas. — ὁ θέλω juxta v. 19. est idem ac τὸ ἀγαθὸν et ὁ μισῶ idem ac τὸ κακόν; quapropter sensus idem manet, si cum Vulgata legitur: Quod volo bonum . . . quod odi malum. — Hoc dissidium internum in hominis natura jam gentilibus notum erat; uti illud Ovidii: „Video meliora proboque, deteriora sequor.“

Quum peccator secundum legem insitam a natura (2, 14. 15.) capax sit cognoscendi boni malique; et quum vires liberi arbitrii ejus non penitus defecerint propter peccatum, utique talem voluntatem imperfectam (velleitatem) circa bonum habere potest, quod sat luculenter probat ipsa experientia.

V. 16. *„Si autem, quod nolo, hoc facio, consentio legi, esse bonam.“* — Ex superiori jam sententia infert apostolus, legem esse bonam, ita argumentans: Si homo non vult, quod facit, id ideo non vult, quia istud non approbat; istud autem idcirco non approbat, quia contra legem est; hinc legem bonam esse confirmat, quando facit, quod mente sua non vult. Ergo mens ejus consentit legi, quamvis contra legem agat. — Apostolus dicit: consentio legi, quia lex ipsa de se dicit, se esse bonam (Deut. 4, 8. aliasque).

V. 17. *„Jam vero non amplius ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.“* — Verbis his infert alterum apostolus ex altera sententia v. 15., atque vult dicere: Jam vero ex dictis sequitur, quod non ego, i. e. mens mea malum agat, sed peccatum in me habitans, i. e. mala concupiscentia mihi insita (postremo autem peccatum originale, per quod istud dissidium in natura humana ortum est). — νυνὶ δὲ non est particula temporis (nunc, praesenti tempore), sed est colligentis; jam vero (nun aber). — Attamen per omnes has sententias (v. 15—17.) edictas, liberum in homine arbitrium ante legem vel sub lege constituto non tollitur; peccatum enim generatim et in quovis casu speciali dominium eo nanciscitur, si homo illud ei permittit, quod autem fit vel per ejus incuriam, vel inde, quod non statim ab initio energice concupiscentiam malam impugnaverit.

V. 18. *„Scio enim, non habitare in me, hoc est, in carne mea, bonum."* — Quod prius dixerat, scil. peccatum (concupiscentiam) in homine habitans esse, quod malum facit, quod ipse non vult, id in sequentibus versibus (18—20.) fusius exponit. — *οἶδα γάρ*, scio enim, i. e. novi per experientiam — *οὐκ οἰκεῖ . . ἀγαθόν* est negativa expressio pro: *οἰκεῖ ἐν ἐμοὶ ἡ ἁμαρτία*. *ἀγαθόν*, bonum, scil. a mente mea cognitum et concupitum, quamvis voluntate imperfecta. — *τοῦτ' ἔστιν ἐν τῇ σαρκί μου*, hoc est in carne mea, i. e., in parte (naturae meae) animali, sensuali, quae est sedes concupiscentiae, continuo ad malum inclinantis atque excitantis. Hisce verbis restringit verba *ἐν ἐμοί*, atque docet, non totum hominem (totam personalitatem) esse peccatum; nam pars rationalis in homine vult bonum, quamvis ista voluntas sit imperfecta, mera velleitas; in parte hominis animali (sensuali) nulla est inclinatio ad bonum, non est quidquam, quod ad bonum faciendum inducat. Quod probat, dum dicit: *„Nam velle adest mihi; sed operari bonum, non invenio."* — Ad verbum *θέλειν* ex prioribus jam subintelligendum est *ἀγαθόν*. — *παράκειμαι* proprie: adjaceo, dein tropice: adsum, praesto sum. Permulti codices in fine versus tantum habent *οὐ*, dum alii et versiones nonnullae cum Vulgata legunt *οὐχ εὑρίσκω*, non invenio, i. e. non adest mihi, non mihi praesto est. — *οὐχ εὑρίσκω* idem ac: *οὐ παράκειται μοι*. — *τὸ καλὸν* idem ac *ἀγαθόν*. Sensus ergo est: Nam velle bonum, mihi praesto est; sed ut illud, quod velim bonum, etiam exsequar, non adest mihi. — Quod h. l. s. apostolus edicit, jam Christus effatus est: „Spiritus quidem promptus est, caro vero infirma" (Matth. 26, 41).

V. 19. *„Non enim, quod volo, facio bonum, sed quod nolo malum, hoc ago;*

V. 20, *„Si autem, quod nolo ego, hoc facio, non amplius ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum."* Verbis v. v. 19. et 20. repetit dicta v. v. 15. et 17., additis v. 19. illis duobus verbis (*καλὸν* et *κακὸν*), quod Vulgata jam v. 15. facit.

V. 21. *„Invenio igitur legem, volenti mihi facere bonum, malum mihi adesse."* — Apostolus h. l. concludit ex disputatis inde a v. 14. — Versus hujus variae sunt constructiones et expositiones, quae plerumque inde ortae sunt, quod interpretes vocem *νόμος* de lege Mosaica intellexerint. Omnes hae expositiones difficulter et violenter aptantur verbis et contextui. Difficultates vero hae omnes evanescunt, si *νόμος* sumitur sensu latiori: norma, lex generatim, quum scil. apostolus hac sententia relationem

partis rationalis et sensualis (animalis) in homine, supra expositam, ad certam normam reducere vellet. Quod vox *νόμος* hoc significatu latiori sumi possit, dubium non est; nam statim v. 23. loquitur de alia lege in membris. Vox *ὅτι* est trajecta, et *ἐμοὶ* gravitatis causa repetitum. — Vult itaque apostolus dicere: Itaque, cum volo aliquod facere bonum, invenio in me legem, vim (inclinationem) aliquam, huic meae voluntati bonae contrariam, quae me ad malum impellit, scil. concupiscentiam (coll. v. 23.).

V. 22. *„Delector enim lege Dei secundum interiorem hominem."* Versu hoc et sequenti clarioribus verbis dissidium illud, quod in antegresso versiculo indicaverat, exponit atque probat (*γάρ*). Sententia haec est simul gradatio dicti v. 16. (*σύμφημι*), hic *συνήδομαι*. — *νόμος τοῦ θεοῦ* est h. l. lex Dei in abstracto, generatim, complectens omnem modum manifestationis istius (scil. legis divinae). — *ὁ ἔσω ἄνθρωπος* est homo interior, rationalis, qui est (coll. v. 23.) idem ac mens, quae delectatur bono, lege Dei. Sensus est: Delectatur lege Dei mens mea, mihique dictat, eam esse observandam.

V. 23. *„Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae, et captivum me reddentem legi peccati, quae est in membris meis."* — Verbis his exponit, quod v. 21. dixerat: *εὑρίσκω τὸν νόμον . . . τὸ κακὸν παράκειται* (et v. 14. *πεπραμένος ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν*). — *βλέπω* est idem ac v. 21. *εὑρίσκω*. — *ὁ νόμος ἕτερος ἐν τοῖς μέλεσί μου* est idem ac *νόμος τῆς ἁμαρτίας*, nimirum concupiscentia mala, quae in membris, i. e. in carne seu in parte hominis animali (sensuali) sedem suam habet et dominium exercet. — *ἐν τοῖς μέλεσί μου* est idem ac (v. 18.) *ἐν τῇ σαρκί μου*; cf. v. 18. dicta. — *νόμος τοῦ νοός* est dictamen mentis, i. e. conscientia, quae homini dictat, legem Dei esse observandam. — *ἀντιστρατεύομαι* proprie: exercitum duco contra aliquem; dein repugno, adversor. — *αἰχμαλωτίζω* (*αἰχμάλωτος* captivus) captivum facio; dein in servitutem redigo; phrasis desumta est de bello et pugna. — Sensus est: Sed experior, adesse in carne mea, in parte mea animali aliam vim, concupiscentiam, quae se opponit atque adversatur dictamini mentis meae (i. e. conscientiae), et me quasi captivum sibi ipsi reddit.

V. 24. *„Miserum me hominem! quis me liberabit de corpore mortis hujus?"* — Verba haec sunt exclamatio gementis sub jugo et servitute peccati, et anhelantis ad libertatem. — *ἄνθρωπος* opponitur voci: *ἐγώ*; hinc loquitur apostolus in persona omnium hominum, quia omnes sunt subjecti servituti

peccati in hac vita, damnationi et morti autem in altera, quin suis viribus ex hac misera sorte se possent liberare. Hic vero jam apparet necessitas gratiae in Christo; lex enim liberare non potest. — *τούτου* pertinet ad *θανάτου; σῶμα τοῦ θανάτου* est idem ac supra (6, 6.) *σῶμα τῆς ἁμαρτίας*, scil. corpus, cui peccatum et per peccatum mors (spiritualis et aeterna) dominatur; nam *θάνατος* ob contextum est mors spiritualis et aeterna.

V. 25. *„Gratias ago Deo per Jesum Christum, Dominum nostrum.“* Adest hic varietas lectionis. Textus receptus, quem in versione expressimus, habet: *εὐχαριστῶ τῷ θεῷ;* longe major textus monumentorum numerus habet lectionem: *χάρις τῷ θεῷ* (gratiae Deo); reliquae vero lectiones, uti *ἡ χάρις τοῦ θεοῦ* (sicut Vulgata habet), ortae sunt, ut verbis his apta exprimeretur responsio ad verba v. 24. — Priores duae lectiones sunt optimae et relate ad sensum non differunt; juxta illas ab apostolo non datur quidem hic (v. 25.) responsum ad superiorem exclamationem; quis me liberabit de corpore mortis hujus? — uti id fit, si Vulgatae lectio teneatur, cujus sensus est: Gratia Dei est, quae per Jesum Christum me liberabit a corpore mortis hujus; — sed expressa est ab apostolo gratiarum actio ob acceptam per Christum liberationem a sorte misera hominis veteris, quem prius in sua persona descripserat, quasi diceret: Gratias ago Deo meo, ego, novus homo (seu christianus), quod me per Jesum Christum liberavit e miserabili illa captivitate, qua nondum regeneratus detinebar. — *„Igitur ego ipse mente quidem servio legi Dei; carne autem legi peccati.“* — Concludit (*ἄρα, οὖν*) totam superiorem disputationem (7—25.). — Pronomen *αὐτὸς* clarius designat subjectum *ἐγὼ*, de quo prius sermo erat; quasi diceret: Ego qua talis, ego pro mea parte, i. e. ego solus, sine mediatore Christo. — *νόμος τοῦ θεοῦ* uti v. 22.; et verba: *ἐγὼ νοΐ δουλεύω νομῷ θεοῦ* quoad sensum idem valent ac supra (v. 23.): Delector legi Dei secundum interiorem hominem. — *τῇ σαρκὶ*, carne, i. e. parte mea sensuali (animali); — legi peccati, i. e. concupiscentiae malae.

Quodsi totam cogitatuum seriem inde a v. 14. usque ad finem breviter proponere volumus, sequens est: Ante peccatum erat in homine, uti ipse in harmonia exstitit cum Deo, perfecta harmonia. Quod homo ut bonum cognoverat, id etiam volebat; *τὸ* cognoscere et *τὸ* velle erat in intima harmonia; et hisce principalibus animae viribus (rationi et volun-

tati) perfecte erant subditae vires (animae) inferiores atque corpus (corporis appetitus et desideria). Commisso autem peccato primo non tantum hominis harmonia cum Deo destructa est, sed etiam ipsa in homine harmonia cessavit; inter τὸ cognoscere et τὸ velle ortum est dissidium, atque etiam vires animae inferiores et pars hominis animalis (sensualis) rationi et voluntati hominis non amplius obediebant. Ab hoc tempore homo non amplius volebat, quod ut bonum cognoverat. Redemptor, qui mox post lapsum promissus erat, iterum istud vinculum inter τὸ cognoscere et τὸ velle in conscientia restituit, quae (conscientia) hominem impellit, ut bonum, quod cognoscit, etiam velit. Sed, ut bonum, quod cognoscit, etiam perficiat, impedit eum pars ejus animalis (sensualis), concupiscentia, quae suos proprios motus inordinatos contra ordinem rationis sequitur. Sic loco unitatis originariae in homine adest internum dissidium, et loco pacis prioris est in eo perpetua pugna. Ast per summam corruptionem, in quam genus humanum in gentilismo cecidit, periculum imminebat, ne conscientia hujus dissidii interni magis magisque interiret; vox conscientiae magis ac magis infirmius sonabat. Ideo data erat lex veteris Testamenti, ut in homine conscientiam istius dissidii interni et culpae conservaret, atque in eo desiderium redemptionis excitaret, eumque ad recipiendam gratiam redemtionis in Christo praepararet. In regeneratione ex Christo hoc dissidium in homine saltem quoad ideam tollitur, quatenus exterior, vetus homo cum pravis cupiditatibus suis in baptismo cum Christo moritur, atque homini interiori per gratiam sanctificantem vis tribuitur, appetitus carnis vincendi. Sed, quamdiu corporalis vita hac in terra durat, permanet etiam in justificato (in regenerato) illa pugna; regeneratus morte, qua semel cum Christo in baptismo mortuus est, debet quotidie mori per quotidianam crucifixionem suae carnis, prouti etiam germen regenerationis, quod in baptismo nobis insitum est, in fine dierum, in universali resurrectione, ad perfectam maturitatem perveniet (Bisp.).

Caput VIII.

Libertas in Christo per Spiritum sanctum.

Argumentum. Praegresso capite ostenderat apostolus, nos omnes duplici servituti subjectos esse, scil. peccati et mortis; nunc vero capite 8. exponit, nos ab ista servitute, hinc etiam

a damnatione liberatos fuisse in Christo Jesu. Christus nimirum liberavit nos e potestate peccati, quum offerendo suo corpore immaculato in sacrificium, peccatum deleret, nobisque donaret Spiritum sanctum, per quem nobis tribuitur virtus, legem Dei adimplendi. — Christus liberavit nos e potestate mortis; nam Spiritus s., quem nobis donavit, est vera animae vita, simulque sponsio firma, olim etiam corpora nostra (ut secundum animam et corpus regenerati simus) vivificatum iri. Ideo etiam vitam agere debemus non secundum carnem (concupiscentiam malam), sed secundum spiritum (per Spiritum sanctum, directum et confortatum); et si ita (secundum spiritum) vixerimus, sumus filii Dei, et aliquando erimus haeredes Dei, cohaeredes autem Christi. Sed ut cohaeredes Christi atque consortes gloriae ejus esse possimus, debemus, uti Christus, tribulationes atque afflictiones constanti animo perferre, ad quod faciendum nos excitare debet magnitudo praemii futurae felicitatis. Ad futuram corporis glorificationem sperandam nos excitat gemebundum desiderium, quo mundana creatura universa liberationem sui a servitute corruptionis exspectat, cui desiderio gemebundo etiam cor nostrum consentit. Nam etiam nos, quamvis secundum spiritum (animam) redemptionis et salutis in Christo compotes facti simus, nondum fruimur consummata illa salute (perfecta adoptione filiorum Dei), quum corpus nostrum adhuc redemptione indigeat. Consummatam redemptionem habemus nunc solum in spe; attamen interim eam expectantes, adversa quaeque patienter ferre debemus, qua in re Spiritus sanctus adjutor nobis adest, qui in nobis et pro nobis a Deo petit. Praeter Spiritus sancti auxilium ad omnia adversa patienter toleranda debet nos excitare firmissima persuasio, quod Deum vere diligentibus omnia cedant in bonum. Quam disputationem apostolus concludit egregio epilogo.

V. 1. *„Nulla igitur nunc sententia condemnatoria iis, qui sunt in Christo Jesu.“* — Nexus versus hujus cum praegressis est: Prius (7, 24.) interrogaverat apostolus, quis eum liberaturus sit ab illo dissidio interno, quod ducit ad peccatum et per peccatum ad mortem, atque ideo etiam ad damnationem? et per gratiarum actionem indirecte respondit: Deus est, qui per Christum nos liberavit. Inde jam concludit: Itaque, si verum est, quod Deus nos per Christum liberaverit, nunc pro iis, qui sunt in Christo, nulla datur condemnatio, sententia condemnatoria (s. Thom.). —

νῦν, nunc; voce hac indicat apostolus, se velle de novo statu loqui, diverso ab illo, quem capite praegresso (7—25.) descripserat, i. e. de statu hominis novi, regenerati. — *κατάκριμα*, condemnatio, sententia condemnatoria; *οἱ ἐν Χριστῷ* sunt illi, qui per regenerationem Christo inserti, incorporati sunt, uti palmites viti, et ab eo continuam vim vitalem hauriunt. In his, utpote Christo intime unitis, vivit Christus (Gal. 2, 20.) atque Spiritus ejus operatur, ita ut in iis nil adsit, quod damnationi obnoxium esset. — In nonnullis codicibus post vocem *Ἰησοῦ* adhuc legitur: *μὴ κατὰ σάρκα περιπατοῦσιν ἀλλὰ κατὰ πνεῦμα.* — Sed, quum haec verba in permultis optimis codicibus (B. C. D. F. G.) et in pluribus versionibus (etiam in Vulgata deest pars altera: *ἀλλὰ κατὰ πνεῦμα*) non adsint, videntur glossema esse, ortum ex v. 4.

V. 2. *„Lex enim Spiritus vitae in Christo Jesu liberavit me a lege peccati et mortis."* Verbis his dat causam, cur nil damnationis sit in christianis vere talibus. — Quid sit lex Spiritus vitae, facile intelligitur ex opposito: lex peccati et mortis. Sicut per legem peccati et mortis intelligitur vis concupiscentiae malae, quae homini nondum regenerato dominatur, atque in eo mortem corporalem et spiritualem operatur, ita verba: lex Spiritus vitae denotant vim seu vivificantem Spiritus sancti efficaciam, aut, uti dicere possumus, gratiam sanctificantem, quae liberat a peccato et morte (spirituali atque aeterna) ac vitam veram in nobis operatur. — Verba *ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ* pertinent non ad *τῆς ζωῆς* (quia dein articulus *τῆς* esse deberet ante *ἐν Χριστῷ*), sed ad verbum *ἠλευθέρωσέ* (liberavit): in Christo Jesu, in unione cum ipso, liberatur homo a vi peccati et mortis; tum enim, si homo Christo intime unitus, ei incorporatus est, Christus in eo vivit, penetrat atque vivificat eum Spiritus Christi et liberat a potestate peccati. — Dicit: liberavit me, quia liberatio illa in regeneratione jam facta est. Nam sicut in capite praegresso in sua persona descripserat statum hominis nondum regenerati, ita hic statum novi, regenerati depingit iterum in sua persona.

V. 3. *„Impossibile enim legi — eo quod infirma erat propter carnem — Deus, postquam Filium suum misit in similitudine carnis peccati, et quidem propter peccatum, — condemnavit peccatum in carne."* — Versu hoc et sequenti clare exponit, quomodo et ad quem finem facta sit in Christo liberatio a potestate (dominio) peccati. — *τὸ ἀδύνατον* h. l. sumendum est substantive, atque idem valet ac: *ἀδυναμία*, impotentia, imbecillitas, simulque

est appositio ad principalem sententiam sequentem: ὁ Θεὸς ... κατέκρινε. Haec legis impotentia sita erat in eo, quod non posset hominem liberare a dominatu peccati seu concupiscentiae, quum tantum juberet aut vetaret, quin vim daret ad Dei voluntatem perficiendam. — νόμος est lex Mosaica. — ἐν ᾧ, eo quod, quia; cf. 5, 12. — διὰ τῆς σαρκὸς; verbis his redditur ratio, quare lex illud praestare non posset, quia sensualis (animalis) in homine natura, concupiscentia mala (σάρξ), ex peccato orta, in legem rebellis, ejus adimpletionem impediebat. — Ad πέμψας subintelligendum est εἰς τὸν κόσμον (in mundum). In hac autem missione Filii Dei in mundum (uti Gal. 4, 4.) totum redemptionis opus, praeprimis oblatio ejus in cruce, simul subintelligenda est. — τὸν ἑαυτοῦ υἱὸν est idem ac v. 32. ἴδιον υἱὸν, suum, proprium Filium, quae verba unitatem naturae Filii cum Patre indicant, et qui a Joanne (1, 18.) ὁ υἱὸς ὁ μονογενής, Filius unigenitus, dicitur. — σὰρξ τῆς ἁμαρτίας, caro peccati, i. e., caro, in qua peccatum habitat (coll. 7, 18. et 6, 6. σῶμα ἁμαρτίας). — ὁμοίωμα, similitudo, quae vox non tantum ad vocem σάρξ referenda est, uti Gnostici et Manichaei fecerunt, qui inde concludebant, Christum non veram carnem, verum corpus, sed tantummodo fictitium corpus (Scheinleib) habuisse; sed ὁμοίωμα potissimum pertinet ad τῆς ἁμαρτίας. Si apostolus diceret solum: ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς, doceret id, quod Gnostici et Manichaei docebant; Christus enim non apparuit in similitudine carnis, sed habebat veram carnem, verum corpus. — Sed iterum non poterat solummodo dicere: ἐν σαρκὶ ἁμαρτίας, quia dein Christum peccato commaculatum docuisset. Dum autem dicit: in similitudine carnis peccati, docet, quod Christus habuisset corpus, corpori nostro (quia mortalis natus est, ac miserias et mortem passus), peccato commaculato, quidem simile, sed peccato non commaculatum. Nostra nimirum caro (corpus) propter generationem naturalem commaculata est peccato, dum Christi caro (corpus) per supernaturalem Spiritus sancti operationem ex immaculata Virgine Maria producta, peccato infecta non erat. — καὶ περὶ ἁμαρτίας. Verba haec a catholicis interpretibus varie sumuntur et explicantur. Nonnulli, inter quos Estius, (s. Chrysost., Theodoretum secuti), uti et Vulgata, verba haec connectunt cum verbo κατέκρινε, atque in his verbis assumunt prosopopoeiam, quatenus apostolus loquitur de peccato, quasi de tyranno, quem de possessione regni, quod invaserat, ejecit Christus, ita ut esset sensus: Condemnavit peccatum

tanquam reum iniquitatis (peccati), quod injuste insurrexerit contra Christum, mortemque innocenti et insonti intulerit, idcirco dominio suo peccatum est privatum et juste damnatum. — Ipsi expositioni huic quidem nil est obmovendum; ast obstant ei difficultates multae grammaticales. Primum, stante hac constructione et expositione, participio πέμψας eripitur verbum finitum, et sic anomalia constructionis augetur; nam tum debet suppleri ante ὁ θεὸς verbum ποίησε; particula καὶ dein prorsus superflua apparet. — Quapropter alii (cum Joanne Damasceno et Theophylacto) verba: καὶ περὶ ἁμαρτίας connectunt cum praegresso participio πέμψας, ita ut illa finem exprimerent, ob quem Deus Filium suum miserit, et praepos. περὶ vertunt per: propter (uti Joan. 10, 33.), ita ut sensus esset: Deus misit Filium suum peccati abolendi, exstinguendi causa, seu: ut peccatum devinceret, ut dominium peccati destrueret (Joan. 12, 31; 16, 11.). Hic loci ab apostolo electum est verbum κατακρίνω relate ad vocem κατάκριμα (v. 1.); et quia in hoc verbo causa pro effectu posita est, significat hoc verbum juxta sensum idem quod καταργεῖν, destruere (scil. dominium peccati). — Nonnulli horum interpretum τὴν ἁμαρτίαν conjungunt cum verbis ἐν τῇ σαρκὶ, atque hunc statuunt sensum: Damnavit peccatum seu concupiscentiam in carne (in parte sensuali) habitantem et dominium suum exercentem, quatenus dominium ejus abolevit; sed tum deberet esse: τὴν ἐν τῇ σαρκὶ. — Quare alii verba: ἐν τῇ σαρκὶ conjungunt cum verbo κατέκρινε, et per vocem σάρξ intelligunt corpus Christi suspensum et mortificatum in cruce. Per carnem, corpus Christi immaculatum, quod pro peccato in sacrificium obtulit, peccatum erat damnatum et destructum atque dominium ejus abolitum (cf. Hebr. 9, 26.). Nam, sicut Christi mors erat mors omnium, qui ex eo vere regenerati sunt; ita etiam ejus de peccato victoria erat victoria omnium ex eo regeneratorum. Peccatum quidem ut vis ad malum incitans et tentans (ut concupiscentia) etiam in regeneratis adhuc perdurat, sed dominium ejus ablatum est.

V. 4. „*Ut statutum legis impleretur in nobis.*“ Hisce docet, quem in finem (ἵνα) Deus peccatum in carne Christi condemnaverit seu dominium ejus destruxerit. Finis erat, dicit, ut nos legem (moralem) adimpleremus.. — δικαίωμα est h. l. (ut 2, 26.) statutum; dicit in singulari numero, quia collective positum est, uti τὸ ἔργον (2, 15.), ita ut designet complexum omnium statutorum seu mandatorum legis moralis. — Verbum πληροῦσθαι designat totalem, plenam adimpletionem. — Christus victoriam

de peccato reportavit; eandem et nos de peccato adipisci debemus; id vero fit plena legis adimpletione. — ἐν ἡμῖν, in nobis, quo docet, veram legis adimpletionem esse internam, et non solum externam. — Dicit consulto in passivo: impleretur, quia adimpletio legis non est tam opus hominis, quam potius gratiae divinae. — *„Qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum Spiritum"*; i. e. qui vitam instituimus non secundum dictamen carnis seu secundum desideria concupiscentiae malae, sed secundum dictamen Spiritus sancti in nobis inhabitantis. — κατὰ σάρκα est idem ac: κατὰ νόμον τῆς σαρκὸς seu τῆς ἁμαρτίας (7, 23.), secundum dictamen seu desideria concupiscentiae malae.

V. 5. *„Qui enim secundum carnem sunt, student eis, quae carnis sunt; qui vero secundum Spiritum sunt, eis, quae sunt Spiritus."* Hisce verbis ulterius explicat duplicem vivendi rationem, carnalem et spiritualem. — γὰρ h. l. est, ut v. 3., particula explicativa: scilicet, nimirum. — οἱ κατὰ σάρκα ὄντες sunt illi, in quibus caro, pars in homine animalis, concupiscentia, est dominans principium; et οἱ κατὰ πνεῦμα sunt illi, in quibus Spiritus sanctus est principium dominans. — φρονέω h. l. denotat: studeo (trachten). — τὰ τῆς σαρκὸς sunt ea, ad quae concupiscentia inclinat, quae concupiscentiae placent; τὰ τοῦ πνεύματος vero sunt ea, quae sunt consentanea Spiritui sancto, — sublimiora, divina.

V. 6. *„Studium enim carnis, mors, studium vero Spiritus, vita et pax."* Verbis his assignat causam, cur spirituales studeant iis, quae sunt Spiritus (i. e. sublimioribus, coelestibus, divinis), quia studia et desideria carnis afferunt mortem spiritualem et aeternam, dum ii, qui student iis, quae sunt Spiritui sancto consentanea, nanciscuntur vitam veram, spiritualem (gratiae) et aeternam (gloriae), atque pacem, quae oritur ex unione cum Deo (Joan. 14, 27.). — Ad θάνατος et εἰρήνη supplendum est verbum: ἐστι; et per θάνατος est intelligenda mors spiritualis et aeterna, uti per ζωὴ vita spiritualis (vita gratiae) et aeterna. — Vox φρόνημα, studium (das Trachten) cum voce σὰρξ conjuncta idem valet ac ἐπιθυμία, desiderium.

V. 7. *„Quoniam studium carnis inimicitia contra Deum."* Verbis his ratio redditur, cur studium carnis ad mortem perducat; ratio est, quia studium carnis est inimicitia contra Deum, qui fons est omnis verae, sublimioris vitae (seu est Deo inimicum). — ἔχθρα-ας, inimicitia; sed h. l. vices gerit adjectivi, uti ἁμαρτία (7, 7.). — *„Legi enim Dei non se subjicit."* Sententia hac reddit rationem prioris. — Attamen studium carnis non tantum non

se subjicit legi Dei, sed etiam ei est rebellis, ei repugnat. — *νόμος τοῦ θεοῦ* est lex Dei in abstracto (uti 7, 22.), complectens omnem modum manifestationis legis hujus. — *„Nec enim potest“*, scil. legi Dei se subjicere, quia in oppositum tendunt studium carnis et lex Dei. Pars enim in homine animalis (sensualis) post lapsum protoparentis sequitur suam, propriam legem, suos appetitus et desideria, concupiscentiam oculorum, concupiscentiam carnis et superbiam vitae; lex Dei autem praecipit oppositum: suimet abnegationem, mortificationem, paupertatem spiritus (humilitatem). — Quum haec repugnantia contra legem Dei, haec inimicitia in Deum efficiat, ut homines Deo placere non possint, ideo concludit apostolus suam argumentationem, dum dicit:

V. 8. *„Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt.“* Deo enim placere tantum illi possunt, qui sunt *ἐν πνεύματι*, ei similes atque voluntatem ejus faciunt. — *ἐν σαρκὶ εἶναι*, et (v. 9.) *ἐν πνεύματι εἶναι* est idem ac versu 5. *οἱ κατὰ σάρκα — κατὰ πνεῦμα ὄντες*, cum hoc tantummodo discrimine, quod in verbis *ἐν σαρκὶ, ἐν πνεύματι ὄντες*, voces *σάρξ* et *πνεῦμα* considerentur magis tanquam vitae elementum, in quo vivunt et agunt, unde suam vim vitalem hauriunt; dum v. 5. *σάρξ* et *πνεῦμα* considerantur magis tanquam vitae norma, juxta quam homines vivunt et agunt.

V. 9. *„Vos autem non estis in carne, sed in spiritu.“* Nunc antithetice applicat ad christianos (Romanos) id, quod modo (v. 8.) dixerat, et vult dicere: Vos vero jam baptizati et per Spiritum sanctum renati, non estis tales, quibus caro, concupiscentia mala cum suis desideriis et cupiditatibus dominatur, sed estis tales, quibus spiritus, a Spiritu sancto illustratus, confortatus et directus, dominatur. — Per *πνεῦμα* h. l., uti ex versu 10. clare elucet, ubi *πνεῦμα* opponitur *τῷ σώματι*, est proxime intelligendus spiritus humanus, ast non in se solum, sed quatenus a Spiritu sancto renovatur, collustratur, confortatur et dirigitur, ab ipso quasi animatur et penetratur. Nom sine divino Spiritu (*πνεῦμα*) juxta doctrinam s. Pauli homo est tantum *Ψυχή* (substantia spiritualis), corpus vivificans, sensualiter percipiens, sentiens et cupiens, — *Ψυχικὸς* — et *σάρξ*, corpus materiale, *σαρκικός*. Si Spiritus sanctus spiritum hominis animat, renovat, collustrat et dirigit, mens (*νοῦς*) hominis fit *πνεῦμα*, atque ipse *πνευματικός*. Quapropter s. apostolus hoc posito addit: *„Si quidem Spiritus Dei habitat in vobis.“* Haec Spiritus sancti in christianis (justis) inhabitatio a multis theologis explicatur eatenus, quatenus Spiritus s. habitat in

christianis per charitatem, aut per fidem charitate formatam. Sed inhabitatio haec solum esset ἐνοίκησις κατ' ἐνέργειαν, dum fere omnes Patres antiqui (Irenaeus, Cyrill. Alex., Basil., Epiphan., Athanas., Chrysost., Ambros., Aug., Greg. Naz.), celeberrimi ecclesiae doctores (s. Leo, Thomas Aq., Bonaventura) ac scholastici,[1]) necnon interpretes, cum antiqui[2]) tum recentiores,[3]) docent ἐνοίκησιν κατ' ουσίαν, substantialem, atque in hoc praecipuam N. F. praerogativam prae V. F. conspiciunt, quod in N. F. Spiritus s. οὐσιωδῶς, in substantia, detur. Hanc ob causam dicuntur a s. Paulo corpora christianorum templum Dei, i. e., Spiritus s. sensu proprio (1. Cor. 3, 16; 6, 19.), et a s. Petro (2. Pet. 1, 4.) christiani — consortes divinae naturae, prouti ipse Christus animam justi dicit mansionem et sedem Dei, templum ac thronum Dei, imo et sanctissimae Trinitatis (Joan. 14, 23.). Inde etiam intelligitur, cur christiani vocati sint πνευματόφοροι, et cur in inscriptionibus, nuper repertis in catacumbis, anima christiana vocetur Spiritus sanctus, aut Spiritus Domini.[4]) — *„Si vero aliquis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus."* Spiritum Dei hic s. apostolus nominat Spiritum Christi. Ex hoc versu, quia apostolus Spiritum sanctum mox Spiritum Dei, mox Spiritum Christi dicit, deducunt recte Patres, Christum esse Deum, et Spiritum s. procedere a Patre Filioque. — Juxta apostoli verba solum ille est verum ac vivum Christi membrum, quem Spiritus ejus vivificat atque inhabitat; qui hunc Spiritum non habet, positus est extra communionem cum Christo, ad eum non pertinet, non est vere christianus; est veluti aridus palmes in vite, veluti mortuum membrum in corpore. Qui vero Spiritum Christi habet, ille habet etiam ipsum Christum; nam Christus et ejus Spiritus quoad essentiam seu naturam divinam unum sunt (ubi est divina natura, ibi quoque sunt tres personae divinae). Ideo prosequitur s. apostolus:

V. 10. *„Si autem Christus in vobis"*, nimirum cum Spiritu s. et per Spiritum s. (Joan. 14, 20.). — *„Corpus quidem mortuum propter peccatum."* — νεκρὸν, mortuum, i. e. morti obnoxium ac

---

[1]) Suarez, Vasquez et reliqui fere omnes.

[2]) Cornel. a Lap., Menoch., Tirin., Bernardin. a Piconio.

[3]) Windischmann im Galat. Brief S. 100, Reithmayr, Bisp., Beelen, Reischl in h. l. — Conf. Kleutgen. Theologie der Vorzeit II. B. S. 361 — 394., qui hanc rem fuse et exquisite pertractat.

[4]) Cf. Die römischen Katakomben von P. Maurus Wolter, im Broschüren-Verein, 2. Jahrgang, Nr. 9. et 10.

mortis necessitati subditum est corpus propter peccatum originale. Apostolus autem h. l. corpus propter originale peccatum morti obnoxium per prolepsin vocavit mortuum (νεκρὸν) ob antithesin, quae adest inter νεκρὸν et ζωή. Corpus enim post peccatum Adami in se gerit germen mortis, ita ut perpetuo tendat ad mortem; vera corporis vita incipiet post resurrectionem. Illi interpretes, qui (cum Origene) verba νεκρὸν δι' ἁμαρτίαν explicant per: mortuum peccato (νενεκρωμένον τῇ ἁμαρτίᾳ), i. e. cum suis membris non amplius serviens peccato — verbis vim inferunt. — Similiter errant, qui νεκρὸν vertunt per: mortale; id enim notat θνητός. — *„Spiritus autem vita propter justificationem."* — Per πνεῦμα h. l., ubi opponitur τῷ σώματι, est iterum intelligendus spiritus hominis, et quidem eatenus, quatenus eum Spiritus Christi (seu Spiritus sanctus) implet, vivificat, corroborat et dirigit. — ζωή, vita; apostolus non dicit ζῇ, aut ζῶν, vivit (uti Vulgata habet), sed ζωή (vita), quia in voce ζωή major vis est, scil. spiritus hominis justificatus, totus vita est, quia Christum, qui est ipsissima vita, et Spiritum ipsius in se habet; unde patet, per ζωὴν intelligendam esse vitam gratiae, seu vitam hominis justificati. — διὰ δικαιοσύνην, propter justificationem, quam nimirum efficit Christus in nobis habitans per Spiritum suum.

Corpus autem non semper mortuum erit; sed veram vitam, quam spiritus noster propter inhabitationem Spiritus Christi in nobis vivit, olim etiam corpora nostra participabunt, ita ut totus homo secundum spiritum et corpus per Spiritum sanctum, qui est in se vita, omnia animans, vegetans et vivificans, nove vivificetur. Ideo prosequitur s. apostolus:

V. 11. *„Si vero Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum e mortuis, habitat in vobis, is, qui suscitavit Christum e mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum suum in vobis."* — Verba: Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum e mortuis — sunt periphrasis Spiritus — Dei Patris, atque sententia: si Spiritus Dei Patris habitat in vobis, quoad sensum non est diversa a verbis praegressis: Si Christus in vobis est. Si enim Christus in nobis est, habitat in nobis Spiritus ejus; Spiritus autem ejus est simul Spiritus Patris. — Spiritus s. est mediator regenerationis hominis ex Christo; ille ut principium vivificans se demittit in cor hominis, et dum charitatem in istud diffundit, istud charitatis vinculum inter Deum et hominem, quod per peccatum disruptum erat, iterum restituit. Sed nostra ex Christo regeneratio non tantum est regeneratio spiritus (animae),

illa debet complecti etiam nostra corpora mortalia; et sponsio (arrha), quasi pignus hujus resurrectionis corporis data est christiano in Spiritu sancto, qui in eo habitat. — Hic est sensus verborum s. apostoli, si cum Vulgata, multis Patribus atque interpretibus (juxta codd. D. E. F. G. I. K.) legimus διὰ τὸ ἐνοικοῦν αὐτοῦ πνεῦμα. — Plures Patres graeci (juxta codd. A. B. C.) legunt: διὰ τοῦ ἐνοικοῦντος αὐτοῦ πνεύματος (per inhabitantem Spiritum suum in vobis), quam lectionem etiam Tischendorfius tenet. — Juxta hanc lectionem Spiritus sanctus repraesentatur ut causa efficiens (seu mediator), per quam illa corporum vivificatio perficietur: repraesentatur ut interna, etiam corpora renovans, vis; qua explicatione divinitas Spiritus sancti clarius expressa esset. Si vero legimus Accusativum διὰ τὸ ... πνεῦμα, propter..., Spiritus sanctus est tantum sponsio (arrha) nostrae resurrectionis corporalis. — Quia hic cogitatus posterior saepe in epistolis s. Pauli occurrit (2. Cor. 5, 5. Ephes. 1, 14.), prior vero, scilicet, quod vivificatio corporis futura sit per Spiritum sanctum, non in illis legitur, lectio cum Accusativo praeferenda est. Ceterum in substantia sensus non divergit, sive una, sive altera teneatur lectio. — Vera enim vita, quae in nostro spiritu (anima) per inhabitationem Spiritus sancti efficitur, se simul extendit ad nostram naturam corporalem (ad corpus); etiam haec jam in hac terra nove vivificatur, quatenus in baptismo, per quem corpori Christi mystico inserimur, corpori nostro inseritur germen vitae gloriosae, quod in universali resurrectione ad perfectam perveniet maturitatem. — Sicut igitur Christus, primitiae dormientium (1. Cor. 15, 20.), i. e. primus mortuorum, qui a morte ad vitam immortalem surrexerunt, a Deo Patre ad vitam immortalem et gloriosam resuscitatus est, quia natura ejus humana hypostatice cum divina natura conjuncta erat, — ita etiam nos ad vitam immortalem et gloriosam resuscitabimur, quia Spiritus sanctus non quidem hypostatice, attamen substantialiter in nobis habitat. — Jesus Christus, qui, ut Deus de Deo, propria virtute (Joan. 2, 19; 10, 18.) a mortuis resurrexit ad vitam immortalem et gloriosam, h. l. ut homo ad illam vitam resuscitatus dicitur a Deo Patre, et quidem per appropriationem, quia, quamvis omnia opera ad extra tribus personis sint communia, potentiae (et providentiae) opera in s. scriptura adscribuntur Patri, quale est mortui ad vitam resuscitatio. — Ceterum ex tota apostoli disputatione elucet, renovationem corporis, ejus ad vitam gloriosam resurrectionem, dependere a spiritus renovatione et immutatione per Spiritum s.,

atque illos tantum cum corporibus gloriosis resurrecturos esse, quorum spiritus ante mortem vivi fuerint vita gratiae.

V. 12. *„Itaque, fratres, debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus.“* Versu hoc et sequentibus forma illativa (ἄρα οὖν) colligit ex praecedentibus exhortationem, non amplius secundum carnem (malam concupiscentiam), sed secundum spiritum esse vivendum. — σάρξ (caro) h. l., sicut cap. 6. peccatum, sistitur velut persona, domina, cui homo obstrictus est. — ὀφειλέ — της (ab ὀφείλω debeo), debitor, qui alteri aliquid praestare tenetur: metaphorice cum dativo personae (ut 1, 14.) aut rei, ut h. l. denotat: obligatus, obstrictus esse alicui. — τοῦ κατὰ σάρκα ζῆν pendet a substantivo ὀφειλέται. — Particula οὐ ante τῇ σαρκὶ indicat oppositum, scilicet; sed Spiritui, ut secundum Spiritum vivamus, — quod autem apostolo in cogitatu remanserat. — In regeneratione scil. dominium, quod concupiscentia mala (σάρξ) in hominem non regeneratum exercet, tollitur, quia voluntas hominis, per Spiritum s. confortata, incitamentis et sollicitationibus concupiscentiae malae resistere potest. Regeneratus ergo non amplius servitutem exhibet carni, concupiscentiae malae, sed sponte et hilariter obsequitur Spiritui s., in eo habitanti. — Vult itaque apostolus dicere: Itaque, fratres, quum (coll. v. 10. et 11.) tam praestantia per Spiritum s. in nobis efficiantur, profecto consequitur, nos non esse obstrictos ad servitutem carnis (concupiscentiae malae), ut pravis ejus desideriis obsequamur, sed Spiritui s. servitutem debemus, ut ad ejus instinctum vitam nostram instituamus.

V. 13. *„Si enim secundum carnem vivitis, moriemini; si autem spiritu facta carnis interficitis, vivetis.“* — Verbis his reddit rationem, cur pravis desideriis non sit obsequendum — πράξεις τοῦ σώματος sunt πράξεις τῆς σαρκὸς, sunt actiones, opera, ad quae caro hominem impellit. — πνεῦμα h. l. est spiritus hominis, a Spiritu s. animatus, confortatus et directus. — θανατόω interficio, dein supprimo. — Adsunt simul in hoc versu oxymora: si vivitis — moriemini; — si interficitis — vivetis. — Apostolus vult dicere: Nam si vivitis pravis concupiscentiae desideriis obsequendo, moriemini morte spirituali nunc, et morte aeterna in futuro; si autem spiritu, per Spiritum s. confortato et directo, malas actiones, ad quas caro impellit, supprimitis et velut necatis, vivetis nunc vita gratiae, et olim vita aeternum beata.

V. 14. *„Quicunque enim Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei.“* S. apostolus probat nunc, quod prius (v. 13.) dixerat: vivetis,

et quidem ex adoptione, qua facti sunt filii Dei, quae adoptio autem iterum fundatur in inhabitatione Spiritus sancti. Dicit enim: Quicunque Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei; ergo illi tantum sunt filii Dei, in quibus principium agens non amplius est caro aut peccatum, sed Spiritus sanctus, qui in regeneratis habitat, atque eos ad omne opus bonum prompte exsequendum impellit, inclinat et movet. Argumentatio apostoli haec est: Quicunque ab inhabitante in se Spiritu sancto aguntur (ut certo aguntur, qui opera carnis supprimunt), hi sunt filii Dei (v. 14.); qui autem filii sunt, hoc ipso et haeredes erunt, scil. vitae aeternae (v. 17.); ergo, si opera carnis supprimitis, potituri estis vita aeternum beata. Sed apostoli argumentatio quodammodo abrumpitur per ea, quae v. v. 15. et 16. continentur (Beelen). — Dum apostolus h. l. dicit: aguntur, eo non excluditur libertas voluntatis humanae; homo enim non cogitur, sed voluntas ejus per Spiritum sanctum inhabitantem sanctificata, ad omne opus bonum prompte exsequendum determinatur, inclinatur et movetur; ad opera autem bona hominis voluntas determinatur, inclinatur et movetur, quatenus ipse vult. Hinc recte scribit s. Augustinus: Dicit mihi aliquis: ergo agimur, et non agimus. Respondeo: Imo et agis et ageris; et tunc bene agis, si a bono agaris. Spiritus enim Dei, qui te agit, agentibus adjutor est. Ipsum nomen adjutoris praescribit tibi, quia et tu ipse aliquid agis." — Quod expressionem: filii Dei attinet, jam in V. T. sensu latiori filii Dei dicuntur reges, magistratus et omnino omnes, qui Dei locum inter homines tenere credebantur (ps. 81, 6. Jerem. 31, 20.), imo populus Israël nominatur filius Dei (Exod. 4, 22. Jes. 1, 2.); sed hi omnes ita dicuntur sensu improprio, quum in V. T. homines constituti essent in relatione servorum ad Dominum, Deum. In N. T. facta est vera filiatio divina seu adoptio filiorum Dei, quia in N. T. homo positus est in relatione filii ad patrem, atque charitas est vinculum, quod hominem cum Deo conjungit. Quum scil. Christus, verus et consubstantialis Filius Dei, nostram naturam humanam per incarnationem assumpsisset, homo et ita membrum generis humani factus esset, simul omnes, per fidem et baptismum ipsi unitos (incorporatos), ut fratres suos assumpsit. Haec unio cum Christo (seu Deo triuno), haec interior renovatio et regeneratio attribuitur per appropriationem Spiritui sancto, quia generatim dona gratiae Spiritui sancto attribuuntur, qui est dilectio, quam, uti dicit s.

Hieronymus, habet Filius in Patre, Pater in Filio; seu aliis verbis: Spiritus sanctus, qui est charitatis vinculum inter Patrem et Filium, est etiam charitatis vinculum inter Patrem et hominem redemptum per Filium. Tum solum, si Spiritus sanctus substantialiter (per suam naturam divinam) in nobis habitat, sumus vere filii Dei et fratres Christi, utpote in justificatione consortes effecti divinae naturae, seu (uti 5, 5. diximus) secundum similitudinem quandam participantes naturam divinam. Quod Christus natura erat, scilicet Filius Dei, sumus nos gratia adoptionis per Spiritum sanctum, qui in justificatione unacum gratia sanctificante ipsam naturam suam divinam seu se ipsum substantialiter animae infundit (communicat), atque hoc ipso nos facit filios Dei et fratres Christi. Ideo etiam hunc Spiritum sanctum versu sequenti dicit πνεῦμα υἱοθεσίας.

V. 15. *„Non enim accepistis Spiritum servitutis iterum ad timorem, sed accepistis Spiritum adoptionis, in quo clamamus: Abba, o pater!“* S. apostolus nunc probat, christianos esse filios Dei, et quidem ex eo, quia christiani (scil. adulti), qui Spiritum sanctum in baptismo acceperunt, sibi conscii sunt, se accepisse non Spiritum servitutis, sed Spiritum adoptionis. πνεῦμα δουλείας est Spiritus sanctus, qui ipsum accipientes facit servos, eis animum servilem injicit; et πνεῦμα υἱοθεσίας est Spiritus sanctus, qui ipsum accipientes constituit filios Dei adoptivos (et filialem amoris affectum eis injicit). πάλιν, iterum, debet conjungi cum verbis εἰς φόβον, iterum ad timorem, i. e., ad timendum, sicut nimirum lex Mosaica olim Judaeos effecit servos. Lex enim Mosaica praecipiebat vetabatque tantum atque varias poenas statuebat delinquentibus; per se autem nulla praebebat gratiae auxilia ad Dei mandata servanda; itaque per se lex illa subditos suos faciebat servos, qui timore poenarum a violatione praeceptorum deterrerentur. In novo autem Testamento confertur Spiritus sanctus, quo effecti filii Dei adoptivi, non servili poenarum timore, sed filiali amore Deum timemus atque diligimus. Si in A. T. homines justificabantur et vires accipiebant ad Dei praecepta implenda, id factum est non vi legis, sed per fidem in Christum venturum (Beelen). — ἐν ᾧ κράζομεν, in quo clamamus, i. e., quo Spiritu sancto agente, magno animi affectu et filiali cum fiducia clamamus ad Deum: Abba, pater. — Verbis ἐν ᾧ significatur causa movens, scilicet non nos sumus ex se, qui clamamus, sed Spiritus s. nobis suggerit istam linguam, ipseque nos movet,

ut clamemus: Abba, pater. — Haec duo vocabula, idem significantia, apostolus non ita conjunxit, ac si alterum (pater) mera esset interpretatio vocabuli syrochaldaici; sed causa istius conjunctionis prorsus alia est. Voce Abba orabat Christus, unigenitus Dei Filius, in diebus carnis suae (Hebr. 5, 7.), i. e. tempore suae vitae terrestris, ad Patrem suum (Marc. 14, 36.); voce Abba etiam discipulos suos docuit orare (Matth. 6, 9.). Quum jam Spiritus ejus habitet in cordibus christianorum, quos fratres suos appellat, etiam nos, ut veritatem adoptionis nostrae declaremus, sicut ipse nos docuit, ejus lingua similique animi affectu et filiali cum fiducia ad ejus Patrem, tanquam ad nostrum patrem, clamamus: Abba, ut tali modo ipsa vox, qua Christus ad Patrem orabat, sonet per omnia tempora. — ὁ πατήρ est nominativus cum articulo pro vocativo (cf. Matth. 11, 26. Luc. 18, 11.). — Verbum κράζειν exprimit, appellationem istam fieri vehementi animi affectu.

V. 16. *„Ipse Spiritus spiritui nostro contestatur, nos esse liberos Dei.“* Priori versu dixerat apostolus, lectores christianos accepisse Spiritum adoptionis, atque hoc Spiritu movente et excitante impelli, Deum appellare patrem. Sicut jam hic impulsus interior, Deum appellandi patrem, testimonium est, nos esse liberos (filios) Dei, ita idipsum testatur Spiritus s. spiritui nostro. Verbum συμμαρτυρεῖν h. l. non habet significationem verbi simplicis (μαρτυρεῖν): testari, testimonium reddere, uti Vulgata vertit, sed notat: unacum testari, ita ut sensus sit: Ad testimonium spiritus nostri accedit testimonium Spiritus sancti. Testimonium hoc, quamvis in se certissimum sit, tamen nemini eorum, quibus illud datur, ita certo cognitum est, ut absque speciali revelatione hinc certitudine fidei (unfehlbar) colligere possit aut debeat, se esse justificatum; nam nullus, ut docet Concilium Tridentinum (sess. 6. c. 9.), scire valet, certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum. Vulgata habet: Ipse enim Spiritus etc., qua lectione stante sententia haec contineret rationem, cur antea dixerit: sed accepistis Spiritum adoptionis, hoc modo: Accepistis Spiritum adoptionis; nam ipse Spiritus s. id nobis testatur. — Sed hanc particulam: enim (γάρ) perpauci testes habent.

V. 17. *„Si autem liberi, etiam haeredes, haeredes quidem Dei.“* Verba haec sunt justa certaque conclusio ex v. 14. Ratiocinatur apostolus ex analogia juris humani (ex titulo liberorum): Si enim Patris coelestis sumus liberi, ergo et illius

haeredes, quia haereditas patris debetur liberis, aut revera talibus (naturalibus), aut adoptivis, et tales sumus nos christiani. — Ad *καὶ κληρονόμοι* subintelligendum est: *ἐσμεν* (sumus); nam qua veri liberi (filii) Dei jam sumus haeredes Dei, quamvis de facto nondum possideamus istam haereditatem; *κληρονόμος* (4, 13.) dicitur is, qui ex jure aut possessor boni cujusdam est, aut erit, ideoque, quamvis de facto nondum sit in possessione, tamen a lege qua talis existimatur. — *κληρονόμοι θεοῦ; θεοῦ* est genitivus originis. Quae sit haereditas nostra, docet v. 18., scil. *δόξα θεοῦ*, possessio regni coelestis, nostra glorificatio seu beatitas aeterna secundum spiritum et corpus. — *„Cohaeredes autem Christi."* Christus, tanquam naturalis Filius Dei (etiam secundum naturam humanam propter hypostaticam divinae et humanae naturae in eo unionem), est naturalis haeres regni Dei Patris (Hebr. 1, 2). Quatenus vero Christus per suam incarnationem nos in fratres suos assumpsit, nos simul suos cohaeredes fecit. Ast solum eatenus consortes erimus futuri regni coelestis, quatenus erimus fratres Christi, quatenus per fidem et charitatem ipsi unimur. Christus autem per suam passionem et mortem sibi ut homini meruit gloriam coelestem atque ad dexteram Patris exaltationem (Luc. 24, 26. Phil. 2, 5—11.). Si itaque volumus esse cohaeredes Christi, comparticipes ipsius gloriae, debemus et nos cum Christo adversitates hujus vitae patienti animo ferre. Ideo dicit apostolus: *„Siquidem cum eo patimur, ut etiam cum eo glorificemur."* Dicit: cum eo, nimirum ut ejus membra, tali animo, aequo et constanti, quo Christus suam passionem tulit. — Ex hisce verbis simul patet, christiano licitum esse, in edendis bonis operibus et perferendis adversitatibus respicere beatitatem aeternam, quod Calvinus et postea Quietistae illicitum declarabant.

V. 18. *„Existimo enim, non esse dignas afflictiones hujus temporis ad gloriam, quae revelabitur in nobis."* Hisce verbis s. apostolus dat rationem, cur cum Christo nos pati oporteat, ob oculos ponendo magnitudinem futurae gloriae. — *λογίζομαι* proprie: existimo; sed h. l. (ut 3, 28.) denotat certam apostoli persuasionem, ergo valet idem ac: certo scio, persuasum habeo. — *ἄξιος* dignus, h. l. significatu improprio: comparabilis (cum). Versatur h. l. apostolo praeter magnitudinem afflictionum et gloriae etiam brevis et aeterna duratio unius alteriusque (2. Cor. 4, 17.). — *ἀποκαλύπτεσθαι* h. l. est idem ac: *φανεροῦσθαι*, patefieri. Gloria haec (*δόξα*) patefiet in nobis,

quando divina omnipotentia renovabuntur et transformabuntur corpora nostra, quod fiet tempore adventus Christi ad judicium; quare cum hac manifestatione (ἀποκάλυψις) simul intelligendus est adventus Christi ad judicium (παρουσία).

V. 19. *„Nam exspectatio creaturae revelationem filiorum Dei exspectat."* — Quod ad nexum hujus versus cum praecedenti attinet, a diversis diversimode statuitur. Nonnulli (cum s. Chrysost., Theophyl., s. Thoma) putant, hoc versu illustrari magnitudinem futurae gloriae filiorum Dei, quae nimirum tanta est, ut et ipsa creatura, rationis expers, eam participatura sit. — Praeferenda vero est sententia eorum, qui statuunt, apostolum hoc versu dare rationem pracedentium, cur futurum sit, ut illa gloria certissime in nobis reveletur, quia tota natura, tota creatura, rationis expers, istam gloriam sollicite exspectat, ut deinceps (coll. v. 21.) et ipsa gloriae particeps fiat; nam non glorificabitur creatura, nisi glorificatis filiis Dei. — Per vocem κτίσις, quia distinguitur (v. 23.) a creatura humana, h. l. nec intelligi possunt christiani (Aug.), nec Judaei, aut gentiles, nondum conversi, qui ab apostolo κόσμος, nunquam vero κτίσις vocantur; nec angeli, quum hi nec vanitati subjecti sint (v. 20.), nec liberandi a servitute corruptionis (v. 21.), — sed intelligenda est creatura, rationis expers, tota rerum universitas, tota rerum natura (die ganze leblose und lebendige Natur) in antithesi cum homine. (Ita jam Irenaeus et recentiores). — Hanc totam rerum naturam apostolus per prosopopoeiam fingit velut personam, quae magno desiderio exspectat gloriam filiorum Dei, ut et ipsa gloriae illius particeps fiat. — ἀποκαραδοκία (ex ἀπὸ, καρὰ, caput, et δοκέω seu δοκεύω, observo, ergo ἀποκαραδοκέω erecto capite prospicio) h. l. significat sollicitam, intensam et constantem exspectationem. — Revelationem filiorum Dei, i. e. illud temporis momentum, quo illi, qui his in terris secundum spiritum jam sunt filii Dei, etiam externe, secundum corpus, qua tales apparebunt, qua haeredes Dei et regni ejus, ornati gloria Christi et transfigurati in splendore Dei. — De tali renovatione et glorificatione totius rerum universitatis, creaturae rationis expertis, seu naturae, jam loquuntur prophetae V. T., uti Jesaias, qui (65, 17.) dicit: „Ecce ego creo coelos novos et terram novam, et non erunt in memoria priora, et non ascendent super cor." Ita etiam loquitur psalmista (101, 27.). Similiter etiam in N. T. illa renovatio totius naturae directe descripta legitur (Act. 3, 21. Matth. 19, 28.), cum sit ibi sermo de

ἀποκαταστάσει πάντων (de restitutione omnium, totius universi) et de παλιγγενεσίᾳ (regeneratione). Praeprimis vero de hac re loquitur s. Petrus in altera epistola (3, 13. seq.), ubi docet, coelos et terram, qua parte conflagrabunt igne, perituros esse; qua parte autem ab igne non consumentur (scil. quoad substantiam), in melius mutatum iri, quae mutatio secundum scripturam vocatur renovatio mundi.

V. 20. *„Vanitati enim creatura subjecta est, non sponte, sed propter eum, qui subjecit sub spe."* — Verba haec continent causam, cur creatura, rationis expers, sollicite exspectet revelationem filiorum Dei, quia vanitati subjecta est. — Quid sit ματαιότης h. l., explicatur v. 21. per correlatum: δουλεία τῆς φθορᾶς (servitus corruptionis). Tota natura continuae mutationi et corruptioni obnoxia est (Ecclesiastes 1, 2. 14.). Per verbum ὑπετάγη repraesentatur ματαιότης ut domina, κτίσις vero ut serva. — οὐχ ἑκοῦσα, non sponte, i. e. invita. Dum dicit: invita, indicat veram causam istius exspectationis anxiae. Subjecta est corruptioni, morti, invita; hinc continuo aspirat, ut ab hac servitute liberaretur. Quod natura, seu creatura rationis expers, invita sit morti subjecta, inde patet, quia creaturae sensibiles renituntur corruptioni, morti, illamque fugere student (quippe quum naturaliter res quaeque appetat stabiliter conservari). Quum rerum natura a Deo bona esset creata et unaquaeque res naturaliter suam appetat perfectionem, illa dissensio interior, pugna in natura non poterat esse ab initio. Huic pugnae interiori, continuae immutationi, defectioni ac corruptioni rerum natura erat subjecta, ait apostolus, propter eum, qui subjecit (eam). — Nonnulli per τὸν ὑποτάξαντα intelligunt Deum, qui tanquam Dominus omnium creaturarum, etiam naturam, creaturam rationis expertem, propter hominis peccatum corruptioni subjecit. Hi interpretes ob oculos habent verba illa, quae Deus post peccatum commissum ad Adamum dixit: „Maledicta terra in opere tuo; in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitae tuae" (Gen. 3, 17.). Quibus verbis Deus rerum naturam maledicto subjecit, quam homo, quum cum ea quoad corpus conjunctus ejusque dominus ac rex esset constitutus, suae inobedientiae hinc et maledicti consortem fecit; atque ab hoc tempore natura ingemiscit et rebellis facta est in hominem, qui rebellis factus est in Deum, Dominum suum. Quod maledictum ejusque sequelae tamdiu durabunt, donec redemptio humani generis consummata fuerit, quod fiet, quando corpora hominum, corruptioni erepta, ad vitam aeterne gloriosam resurgent.

— Alii vero cum s. Chrysostomo per τὸν ὑποτάξαντα intelligunt Adamum aut hominem generatim, ita ut sensus sit: Propter hominem subjecta est corruptioni (scil. rerum natura), homo erat, qui illam miseriae hujus consortem fecerat. Quae explicatio melior videtur, quamvis sensus quoad substantiam non differat a priori. Tota rerum natura ante lapsum subjecta erat homini, quasi domino et regi suo, erat quasi latius ampliusque vestimentum spiritus humani, prouti corpus erat propius ipsius vestimentum. Natura ipsa, utpote ratione ac libero arbitrio destituta et ideo studii veri ac honesti incapax, non poterat in se et per se perfectionem suam nancisci, sed tantum in homine, propter quem a Deo creata erat et cum quo (homine) quoad naturam physicam in nexu existebat. Si homo Deo obedientem se praestitisset, corpus ejus et cum eo tota rerum natura consors facta fuisset gloriae immortalis. Ast homo rebellis factus est in Deum per peccatum, et ita dissidium est ortum inter spiritum hominis ejusque corpus et rerum naturam. Corpus et rerum natura dominio spiritus nolebant amplius subjici, sed suas ibant vias, et cum essent destinata, ut participarent immortalitatem spiritus, morti et corruptioni obnoxia evaserunt. Attamen corpus et rerum natura in se gerunt germen immortalitatis et glorificationis, et quando in genere humano redemptio secundum spiritum consummabitur, illud immortale glorificationis (renovationis) germen ad maturitatem perveniet. Homo igitur est, qui rerum naturam illi corruptioni subjecerat. Sed haec subjectio non in perpetuum durabit; nam facta est certa spe liberationis, quae continget in universali resurrectione. — Verba ἐπ' ἐλπίδι pertinent ad ὑπετάγη, non autem ad ὑποτάξαντα, ideoque verba intermedia parenthetice legenda.

V. 21. *„Fore, ut et ipsa creatura liberetur a servitute corruptionis in libertatem gloriae liberorum Dei.“* — καὶ αὐτή, et ipsa, nimirum ita, uti liberi (filii) Dei. Inde patet falsitas expositionis, qui v. 19. per vocem κτίσις hominem intelligunt. — In verbis: ἀπὸ τῆς δουλείας τῆς φθορᾶς est τῆς φθορᾶς genitivus appositionis, hoc sensu: a servitute, quae consistit in corruptione. Rerum natura continuo per res (formas, Gebilde), quas producit, ad istam libertatem aspirat, sed omnes res, quas producit, iterum morti, corruptioni obnoxiae sunt; dum ergo frustra ex se id nancisci studet, quod solum in spiritu hominis invenire potest, id efficit ejus servitutem; dum vero ingemiscit et desiderat, ostendit, conditionem ejus praesentem

non esse naturalem, primitivam. — εἰς τὴν ἐλευθερίαν τῆς δόξης . . θεοῦ; adest hic constructio praegnans, quae, si resolvitur sententia, ita esset: liberabitur et collocabitur (καταστα-θήσεται) in libertatem. — ἐλευθερία τῆς δόξης est oppositum τῇ δουλείᾳ τῆς φθορᾶς, atque denotat libertatem, quae consistit in gloria liberorum Dei, seu: cum qua conjuncta est gloria liberorum Dei. — τῆς δόξης est genitivus appositionis.

V. 22. *„Scimus enim, omnem creaturam congemiscere et condolere usque adhuc.“* — Versu hoc respicit apostolus ad servitutem corruptionis, cui creatura subjecta est (v. 21.), et a qua liberabitur. — Scimus, scil. ex consideratione naturae et e revelatione, praesentem naturae statum non respondere ideae divinae. Dum dicit in numero plurali: scimus, innuit, opinionem ipsius circa rerum naturam esse etiam lectorum suorum. — συστενάζειν et συνωδίνειν; verbis his compositis significatur, gemitum et dolorem esse communem omnium mundi partium (τῆς πάσης κτίσεως). — συνωδίνω est proprie: una dolores partus sentio, una doleo in partu; dein generatim: dolores sentio, doleo. Metaphora desumpta a muliere parturiente (quae gemit ob partus dolores, expectans ab onere liberari), consulto electa est ad significandum dolorem naturae, quae in se gerit germen vitae immortalis, gloriosae, et simili modo, uti mulier, parturiens, magno dolore nititur ad prolem in lucem edendam, laborat, ut illud renovationis (glorificationis) germen ex se progigneret. Sed illa (natura) non potest prius ad partum pervenire, donec homo etiam secundum corpus renovabitur, donec corporalis regeneratio ejus, quae in baptismo initium sumpsit, in gloriosa resurrectione perficietur, consummabitur. — Usque adhuc, i. e. ab illo tempore, quo vanitati subjecta fuerat (v. 20.), usque in hanc horam.

V. 23. *„Non solum autem, sed et ipsi nos, primitias Spiritus habentes, et ipsi* (nos) *in nobismetipsis gemimus.“* — Inter plures lectiones hujus loci praeferenda est illa, quae ἡμεῖς habet ante αὐτοὶ τὴν ἀπαρχὴν, uti habent codd. D. F. G. et Vulgata. — Adest in hoc versu gradatio, atque ad οὐ μόνον ex v. 22. supplendum est: πᾶσα ἡ κτίσις συστενάζει καὶ συνωδίνει — non solum rerum natura ingemiscit et dolet, sed etiam nos. Per verba: αὐτοὶ et: καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ sunt intelligendi omnes christiani. — Verba: τὴν ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος ἔχοντες continent causam gradationis. — ἀπαρχὴ τοῦ πνεύματος; πνεύματος non est genitivus subjecti (Chrysost.), hoc sensu: primitiae, i. e. dona prima, quae dat Spiritus sanctus; nec est genitivus appositionis: primitiae in

Spiritu s. constantes, seu: Spiritus s. tanquam primitiae; sed est genitivus partitivus: primordia donorum, seu prima dona Spiritus sancti, nobis scil. collata in justificatione, quae est prior pars redemtionis. Hinc quoad sensum verba *ἀπαρχὴ τοῦ πνεύματος* non differunt a verbis: *ἀῤῥαβὼν τοῦ πνεύματος* (2. Cor. 1, 22. Ephes. 1, 14.), quibus Spiritus sanctus veluti arrha (Handgeld) aut pignus (Unterpfand) plenae haereditatis promissae designatur, quae aderit, quando et corpus glorificationis aeternae consors erit. — *ἐν ἑαυτοῖς*, in nobismetipsis, i. e. ex intimo corde; quae verba indicant intimum animi dolorem. — *„Adoptionem exspectantes, redemptionem corporis nostri."* — Versu 15. dixerat apostolus, nos christianos secundum spiritum jam esse liberos (filios) Dei; h. l. autem dicit, nos adoptionem illam exspectare; sed ideo nulla est pugna inter utramque apostoli sententiam. Nam *υἱοθεσία* h. l., uti ex additis verbis: redemptionem corporis nostri, patet, significat perfectam consummationem hujus adoptionis, quae fiet per ipsius corporis glorificationem (renovationem); nam tunc, quando etiam corpus gloriae coelestis, seu glorificationis consors erit, totus homo secundum corpus et spiritum redemptionis consors fiet. — Redemptionem corporis nostri, scil. a mortalitate et fragilitate.

V. 24. *„Spe enim salvati sumus."* Verbis his rationem dat, cur dixerit, christianos exspectare adoptionem. — *τῇ ἐλπίδι* est dativus restrictionis; redemptio nostra nondum consummata est, quia corpus nostrum illius nondum consors factum est. Ergo perfectam, consummatam redemptionem nondum re, sed spe tantum habemus. Quapropter in verbo *ἐσώθημεν* cogitandum est juxta contextum de perfecta, consummata salute, quae includit glorificationem nostrorum corporum. — Aoristus *ἐσώθημεν* refertur ad tempus, quo per baptismum ipsis facta est spes consummatae redemptionis, seu salutis. — *„Spes vero, quae videtur, non est spes; nam, quod videt quis, cur etiam speret?"* — *ἐλπίς* vice prima metonymice denotat ipsam rem spei; et verbum *βλέπειν* utraque vice significat: possidere, frui (2. Cor. 5, 7.). — Vult ergo apostolus dicere: Spes tantum est rei futurae; nam nulla est spes rei, quae jam possidetur. — Si itaque nos jam perfectam, consummatam, adoptionem nacti essemus, nulla jam restaret causa sperandi, seu spes christiana sublata esset, quod autem esse non potest.

V. 25. *„Si autem, quod non videmus, speramus, per patientiam exspectamus."* Hisce verbis s. apostolus concludit superiorem

(v. 24.) argumentationem, et vult dicere: Si ergo spes christiana semper consistit, atque illa pro sua natura est spes rei, quam nondum tenemus (scil. adoptionis perfectae), profecto consequitur, nos patienter eam exspectare oportere (cf. v. 17.).

V. 26. *„Eodem modo et Spiritus adjuvat infirmitatem nostram.“* — Quod ad nexum sententiae hujus attinet, praeferenda est expositio eorum, qui (Estius) statuunt, apostolum hic respicere ad verba immediate praegressa: per patientiam exspectamus, ita tamen, ut apostolus voce *ὡσαύτως* respiciat ad v. 16., et verbum *συναντιλαμβάνεται* h. l. respondere verbo *συμμαρτυρεῖ* v. 16., tanquam dicat: Nostram glorificationem futuram patienter exspectemus. Nam sicut Spiritus sanctus contestatur spiritui nostro, quod simus liberi (filii) Dei, ita idem Spiritus nos infirmos coadjuvat, quum in nobis et pro nobis oret. — *τὸ πνεῦμα* est, uti v. 16., Spiritus sanctus. — *συναντιλαμβάνομαι* (ex *σύν* et *ἀντιλαμβάνομαι*, adjuvo, succurro); praepositio *σύν* indicat, accessum auxilii; primum nos operam demus oportet, dein nobis succurrit Spiritus sanctus. — Lectio *τῇ ἀσθενείᾳ* ob praestantissimos codices (A. B. C. aliosque) et Vulgatam praeferenda est lectioni in plurali: *ταῖς ἀσθενείαις*. — *„Nam quid precemur, sicut oportet, nescimus.“* Verbis his explicat, qualem infirmitatem ob oculos habeat. Infirmitas scil. nostra consistit in eo, quod nesciamus, quid nobis in diversis vitae conditionibus expediat (utile sit), et proinde ignoramus, quid a Deo petere debeamus; dein nec sciamus, quomodo petere oporteat ea ipsa, quae recte alioquin petuntur. Quam saepe aliquid petimus, quod, si Deus concederet, nobis noceret; et iterum, quam saepe petimus, ut Deus hoc illudve a nobis avertat, quod tamen nobis prodest! Ita ipse s. Paulus nescivit, quid oraret, quando ter Dominum rogavit, ut auferretur ab eo stimulus carnis, angelus Satanae, donec audivit: Sufficit tibi gratia mea; quo responso accepto desistebat ab illa petitione, quam non Spiritus s., sed ejus caro et sanguis ipsi suggessit (2. Cor. 12, 7. seq.) — Lectio *προσευξώμεθα* (aor. 1. med. conj.) praeferenda est lectioni in futuro med. *προσευξόμεθα*. Verbis *τί προσευξώμεθα* designatur objectum petitionis, seu id, quod precando petere debeamus; et per *καθὸ δεῖ*, quod v. 27. explicatur verbis: *κατὰ θεόν*, indicatur, quomodo nos precari oporteat. — *„Sed ipse Spiritus pro nobis supplicat gemitibus ineffabilibus.“* Verbis his explicat, in quo istud Spiritus sancti adjutorium consistat. — *ὑπερεντυγχάνει* (quod solum h. l. legitur) est idem ac: *ἐντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν*, scil. *τῷ θεῷ*; *ἐντυγχάνειν* est proprie: incidere in aliquem (auf Jemanden

treffen), adire aliquem, ut ab eo tibi aliquid expetas; unde preces facere, precari, supplicare aliquem (τινί vel τινός), deprecari pro aliquo (ὑπὲρ τινός). — Verba ὑπὲρ ἡμῶν sunt critice dubia, quum in antiquissimis codicibus desint; sed sunt etiam ob praepositionem ὑπὲρ in verbo ὑπερεντυγχάνει superflua. — Haec Spiritus sancti supplicatio non fit verbis, homini precanti suggestis, aut cogitationibus, menti illius injectis; sed fit per tacita suspiria, a Spiritu sancto precanti mota. Suspiria illa dicuntur ineffabilia (tacita), quia nec ore verbis externis, nec mente verbis internis efferuntur, adeoque talia sunt, ut gemens ipse nesciat, quid per suos gemitus a Deo postulet. Is ergo, qui hosce gemitus edit, nescit, quidnam sit id, quod Spiritus s. per hos gemitus ipsi a Deo petit (Beelen). De tali supernaturali oratione (precatione), quae in ecclesia primitiva saepe inter alia dona, praeprimis cum dono linguis peregrinis loquendi, a Spiritu sancto fidelibus infusa erat, loquuntur mystici Tauler, s. Joannes a Cruce, s. Theresia (cf. Bisp.).

V. 27. *„Qui autem scrutatur corda, scit, quid sit studium Spiritus."* — ἐρευνῶν ab ἐρευνάω, scrutor. In verbis: ὁ ἐρευνῶν τὰς καρδίας est circumscriptio Dei omniscientis, qui alias (Act. 1, 24; 15, 8.) appellatur καρδιογνώστης (cordium scrutator). φρόνημα est, uti v. 6. et 7., studium (das Trachten, das Begehren); τὸ φρόνημα τοῦ πνεύματος est id, quod Spiritus sanctus desiderat, est desiderium, per illos gemitus ineffabiles expressum. — *„Quod secundum Deum supplicet pro sanctis."* Nonnulli interpretes particulam ὅτι sumunt causaliter: quia; si ita accipitur, verbum οἶδε sumendum est emphatice: exaudit. Melius vero ὅτι accipitur declarative: quod (dass). — Verba κατὰ θεὸν, quae respondent antegressis καθὸ δεῖ, valent idem ac: secundum Dei voluntatem, seu cum s. Thoma: divino beneplacito convenienter. Conf. dicta v. 26. (καθὸ δεῖ). — Pro sanctis, i. e. pro christianis; nam in his (utique justis) solum inhabitat Spiritus sanctus (coll. v. 9.); hisce solum Spiritus sanctus est occultus adjutor et deprecator. Quodsi etiam nos ipsi ea nesciamus, quae in tali precatione supernaturali petimus, Deus tamen optime novit nostrum desiderium, novit ea, quae petimus, esse juxta ipsius voluntatem, quia in tali statu non tam nos, quam potius Spiritus sanctus in nobis petit. Talem vero petitionem Deus semper exaudit.

V. 28. *„Scimus autem, diligentibus Deum omnia cooperari in bonum."* Supra (v. 18.) s. apostolus ut motivum primum ad compatiendum designaverat magnitudinem futuri praemii; deinde

vero (v. 26.) tanquam secundum motivum auxilium Spiritus sancti; nunc versu hoc addit tertium, quod est certa scientia, persuasio, omnia, quantumvis ardua videantur et aspera, iis, qui sunt christiani vere tales (seu amici Dei), simul operari ad eorum salutem (scil. aeternam). — Dum dicit pluraliter: scimus, exprimit cogitatum omnibus christianis communem, quasi diceret: Est res nobis christianis omnibus nota. — Verba ὁ θεὸς post συνεργεῖ, quae nonnulli codices (A. B.) cum s. Augustino habent, sunt spuria, inde orta, quia nonnulli putabant, πάντα ob v. 27. et v. 29. esse casum accusativi, atque ideo Deum ut subjectum cogitandum. — Verbis: τοῖς ἀγαπῶσιν τὸν θεὸν designantur christiani vere tales, justi, amici Dei, iisque (verbis) simul conditio exprimitur, qua stante tantum omnia nobis ad salutem cooperantur, nimirum quamdiu manemus Deum diligentes. εἰς ἀγαθὸν, ad bonum, i. e. ad salutem aeternam. — *„Iis, qui secundum propositum vocati sunt."* Hisce verbis docet, quibusnam Deum diligentibus cuncta ad salutem aeternam cedant, iis scilicet, qui secundum propositum vocati sunt. — Vulgata habet: vocati sunt sancti. Sed vox: sancti non legitur nec in Graeco, nec in Syriaco. Quum in N. T. sancti sint ipsi christiani (coll. 1, 7.), sensus non mutatur, sive vox haec (sancti) addatur, sive dematur. — κλητοὶ (a καλέω, voco), vocati sensu latissimo sunt omnes, qui per praeconium evangelii ad amplectendam religionem, seu fidem christianam et ad bona N. T., nominatim ad justificationem, invitantur (Matth. 22, 14.); sensu autem strictiori sunt illi, qui huic invitationi per susceptam fidem obsequuntur. Hic loci intelligendi sunt fideles (christiani), seu tales, qui illam divinam vocationem re ipsa secuti sunt. Id docet jam addita vox: propositum; patet vero id etiam ex contextu. Nam illi vocati (κλητοὶ) modo dicti sunt diligentes Deum, et mox (v. 33.) iidem vocantur electi (ἐκλεκτοί), quo nomine alias etiam s. apostolus vocatos (τοὺς κλητοὺς) designat (Col. 3, 12. Tit. 1, 1.). — πρόθεσις h. l. non est humanae cujuspiam voluntatis propositum, uti nonnulli interpretes graeci (Cyrillus Hieros., Theodoretus, Chrysostomus, Origenes, Damascenus, Oecumenius et Theophylactus) volunt, sed est propositum divinae voluntatis, seu decretum Dei; nec tamen illud, quo (uti cum s. Augustino nonnulli putant) homines certo numero quosdam, non ex praevisis meritis, sed ex sola absolutaque sua voluntate Deus ad coelestem gloriam elegisset; — sed h. l. (uti 9, 11. Ephes. 1, 11.; 3, 11. 2. Tim. 1, 9.) intelligendum est Dei decretum

(seu misericors Dei voluntas), quo ab aeterno statuit, homines peccato perditos, ex mera sua bonitate et clementia, sine ullo eorum merito aut jure, vocare ad gratiam evangelii, seu ad fidem christianam et ad bona N. T., nominatim ad justificationem; quod decretum aeternum in tempore exsequitur.

V. 29. *„Quia quos praescivit, etiam praedestinavit, conformes fieri imagini Filii sui."* Versu hoc et sequenti causam dat, cur diligentibus Deum omnia cooperentur ad salutem, quia, quum eis omnia adversa non fortuito et absque Dei consilio accidant, illa eisdem nonnisi adminicula salutis esse poterunt, quam salutem, in eis incoeptam, etiam perficiet; nam hi sunt illi, quos Deus praescivit etc. — Praepositione *πρό*, quae per se notat: ante, in utroque verbo: *προέγνω* et *προώρισε* respicitur ad aeternitatem (1. Cor. 2, 7. Ephes. 1, 4. 1. Petr. 1, 20.). — *προέγνω* (a *προγινώσκω*) varie explicatur. Illi, qui absolutam praedestinationem ad gloriam (i. e. praedestinationem ad gloriam ante praevisa merita) propugnant, verbum hoc sumunt significatu: ante eligere, ante diligere (praediligere). Sed in omnibus locis istis, ad quae provocant (Rom. 11, 2. 1. Petr. 1, 2. 20. Act. 2, 23.) verbum *προγινώσκω* et substantivum *πρόγνωσις*, ordinarium habet significatum: praescio, praescientia; sicut etiam in aliis locis (1. Cor. 8, 3. Gal. 4, 9. 2. Tim. 2, 19.) simplex verbum *γινώσκειν* nullam aliam habet significationem, quam: scire, intelligere. Tenenda est igitur ordinaria verbi hujus significatio: praescio, ante cognosco. Dum ergo apostolus dicit: quos praescivit, vult dicere: Quos Deus ab aeterno praescivit ut vocatos, i. e. tales, qui vocanti essent obtemperaturi eumque dilecturi. — „Etiam praedestinavit"; i. e. hos (*τούτους*, quod ex antecedenti relativo *οὕς* supplendum est), hac supposita praescientia, etiam praedestinavit ad conformitatem cum Christo.[1]) — Illi interpretes autem, qui verbum *προέγνω* sumunt significatu: ante eligere, seu ante diligere, etiam h. l. verbum *προώρισε* (praedestinavit) explicant de absoluta praedestinatione ad gloriam (ante praevisa merita), hoc sensu: Quos ab aeterno praedilexit, seu amicos elegit, eosdem etiam praedestinavit conformes fieri Christo, Filio ipsius, seu certo fixoque decreto ab aeterno statuit, eos ad conformitatem cum Filio ipsius aliquando perducere. — Sed verbum *προώρισε* h. l. non esse intelligendum de praedestinatione absoluta ante praevisa merita, sed de hypothetica

---

[1]) Conf. Franzelin (Card.) Tractat. de Deo uno p. 703 seq.

post praevisa merita, docet contextus orationis et scopus apostoli. Ad ea nimirum, quae v. 29. usque ad v. 31. leguntur, dicenda, permotus est apostolus ob ea, quae supra (v. 17.) dixerat: „Si tamen compatimur, ut et conglorificemur"; quibus verbis significaverat, sub quanam conditione liceat justificatis sperare, fore ut aliquando essent Christi gloriae cohaeredes. Hinc apostoli propositum ibi est, lectores adhortandi ad compatiendum; et ut efficacius istud faciat, motiva adducit, quorum primum desumptum est a magnitudine futuri praemii (v. 18.), alterum a Spiritus sancti auxilio (v. 26.), tertium vero ab eo, quod ipsae quoque afflictiones diligentibus Deum cedant ad utilitatem et salutem (v. 28.). Quum ergo apostolus totus in eo sit, ut lectores suos adhortetur ad faciendum id, quo pervenire possint ad gloriam coelestem, haud poterat hic docere, rem omnem pendere a voluntate Dei absoluta, hoc est, tali, cujus causa minime pendeat a praevisis justificatorum meritis. Quodsi vero res ita se habeat, dicere debemus, dari praedestinationem ad gloriam, sed non absolutam ante praevisa merita, sed hypotheticam post praevisa merita, ea nimirum, quae sibi post gratuitam justificationem, justificati, auxiliante eos divina gratia, comparant, faciendo opera bona.[1]) — Verbis *συμμόρφους . . . υἱοῦ αὐτοῦ* exprimitur, ad quid illos ab aeterno destinaverit. Quid vero sit conformes fieri imagini Filii Dei, intelligitur, si locus hic comparetur cum loco epistolae ad Philippenses (3, 21.), ubi s. apostolus dicit: „Qui reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae"; unde elucet, per verba: *εἰκόνος τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ* esse intelligendam gloriosam humanitatem Christi, seu corpus ejus gloriosum; et verba: *συμμόρφους τῆς εἰκόνος τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ* denotare glorificationem corporis nostri, seu nostram resurrectionem gloriosam, qua facta redemptionis opus consummabitur, atque homo secundum spiritum et corpus redemptionis consors fiet. — *„Ut sit ipse primogenitus inter multos fratres."* Verbis his exprimitur finis, ob quem Deus illos vocatos ad eam cum Filio suo conformitatem praedestinaverit, scil. ideo, ut is haberet multos fratres, gloriae suae cohaeredes, inter quos ipse primatum teneret tanquam primogenitus; ergo praedestinavit illos ob gloriam Christi, seu Dei. Gloria Dei est igitur ultimus finis futurae gloriae coelestis; ratio ejus est

---

[1]) Beelen Commentar. in h. l.

aeternum divinae voluntatis decretum; decretum hoc illos tantummodo respicit, quos Deus ab aeterno praescivit, ipsi vocanti obtemperaturos; unde elucet, hominis culpam esse, si salutis consors non fit; minime autem inde consequitur, Deum ex meritis operum hominis obstringi ad gratiam dandam; nam, ubi agitur de bonis supernaturalibus, nullo modo merita operum propriorum homini jus dant ad illa bona; hinc post praevisa merita, sed propter Dei misericordiam est salus nostra. Sensus ergo v. 29. est: Nam quos ab aeterno praescivit, ipsi vocanti obtemperaturos, illos etiam ab aeterno praedestinavit ad coelestem glorificationem, seu ad gloriosam resurrectionem, ideo ut Christus, qui etiam ut homo propter hypostaticam divinae et humanae naturae in eo unionem est naturalis Filius Dei et haeres, multos habeat fratres, suae gloriae coelestis cohaeredes, inter quos ipse primatum tenet tanquam primogenitus. — πρωτότοκος. Christus ut Deus est unigenitus (μονογενής), ut homo vero est primogenitus Dei Filius, quatenus nimirum ceu naturalis Filius et haeres Dei, superat illos, qui per eum, Dominum et parentem novi generis humani, ad dignitatem filiorum Dei adoptivorum sunt evecti; et quatenus primus generis nostri intravit in gloriam aeternam (coelestem).

V. 30. *„Quos autem praedestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et justificavit; quos autem justificavit, hos et glorificavit."*

Antea (v. 29.) dixerat apostolus, Deum ab aeterno praedestinasse; nunc vero (v. 30.) exponit, quid ob hanc praedestinationem in tempore praestet. Dicit enim: Omnes, quos ab aeterno praedestinavit ad consortium gloriae Filii sui (v. 17.), illos quoque in tempore vocavit, scil. ad fidem; et quos vocavit, illos quoque per hanc fidem justificavit; quos autem justificavit, illos quoque glorificavit, nimirum dando eis gloriam coelestem. — Primus actus, quo praedestinatio aeterna in tempore apparet, est κλῆσις, vocatio Dei, exterior per praeconium evangelii, et interior per gratiam ad fidem; alter actus est justificatio; nam, qui vocationi obediverunt, scil. fidem suscipiendo, illos per hanc fidem justificationis gratiae participes reddidit. — Tertius actus est glorificatio (δόξα); nam quos justificavit, illos et glorificavit. Verbum δοξάζω in nexu suo cum v. 29. et versibus praegressis (10—17.) intelligendum est de futura gloria coelesti, de glorificatione corporis unacum beatitate aeterna (coll. v. 29.); hinc idem notat, quod antea (v. 29.): conformari imagini Filii Dei. — In

tota hac deductione utitur s. apostolus tempore praeterito (vocavit, justificavit, glorificavit) loco praesentis, ut certitudinem atque infallibilitatem istius decreti divini significet juxta morem prophetarum; nam in aeternis Dei decretis praesentia et futura sunt veluti praeterita. — S. apostolus ergo dicit, praedestinatos, ad fidem vocatum, justificatum et glorificatum iri; omne hoc in illis implebitur, quia aeternum Dei decretum non potest mutari atque irritum reddi. Quodsi tamen justificati pereant, illi non sunt praedestinati ad beatitatem aeternam; non sunt vero ad hanc beatitatem praedestinati, quia Deus ab aeterno praevidit, eos cum gratia non usque ad finem cooperaturos esse.

V. 31. *„Quid igitur dicemus ad haec?“* — Verbis his apostolus lectores suos invitat ad concludendum ex praemissis (uti infra 9, 30.), atque vult dicere: Quum tanta sit cura Dei circa nostram (gratis justificatorum) salutem, quid inde colligere possumus? Id scilicet: *„Si Deus pro nobis, quis contra nos?“* Vult dicere: Si Deus omnipotens pro nobis stat, cum sit nemo Deo potentior, quis adversarius contra nos ita insurgat, ut salutem nostram impediat? Eodem sensu loquitur Christus: „Et non rapiet oves meas quisquam de manu mea. Pater meus, qui illas mihi dedit, major omnibus est.“ (Joan. 10, 28.). Sic apostolus probavit, quod supra (v. 28.) affirmaverat, scilicet omnia in bonum cooperari diligentibus Deum.

V. 32. *„Qui quidem proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum.“* — Verbis his confirmat apostolus conclusionem antegressam (v. 31.): Deus est, qui stat pro nobis — argumentando a summo Dei erga homines amore, quippequi proprio Filio suo non pepercerit eorum salutis causa. Est argumentatio a majori ad minus. *ἰδίου* h. l. est emphatice sumendum, i. e. Filio suo naturali, quo, cum sit unius ejusdemque cum Deo Patre substantiae (naturae), nil majus, nec suae substantiae suoque cordi propinquius quid habet. — Ad *παρέδωκεν* supplendum est (ut 4, 25.) *εἰς θάνατον.* — *ὑπὲρ ἡμῶν πάντων,* pro nobis omnibus. Christus nimirum quoad intentionem (voluntatem) pro omnibus traditus est (coll. 1. Tim. 2, 4. 1. Joan. 2, 1.), ut omnes salutem consequantur. — *„Quomodo non etiam cum eo omnia nobis donabit?“* Argumentatur apostolus a majori ad minus: Si Deus Filium suum naturalem, ergo summum et sibi carissimum, salutis nostrae causa tradidit in mortem, certe credendum est, eum cum illo omnia nobis donaturum esse, quae necessaria sunt nobis ad perficiendam salutem nostram. — *χαρί-*

σεται in futuro, quia sermo est de futura gloria. Vulgata loco futuri habet perfectum: donavit, quod vel per futurum exponendum est, aut intelligenda donatio in proposito et voluntate (Estius). — *τὰ πάντα*, omnia, quae scil. ad salutem necessaria sunt.

Nunc v. 33. et sequentibus apostolus sententiam v. 31. enunciatam, quis contra nos, reassumit eamque hic distinctius exponit.

V. 33. *„Quis accusabit electos Dei? Deus, qui justificat?“*

V. 34. *„Quis est, qui condemnet? Christus, qui mortuus est, imo etiam, qui surrexit, qui etiam est ad dexteram Dei, qui etiam deprecatur pro nobis?“* Omnes pericopae debent (cum Vulgata, s. Augustino et Ambrosio) interrogative legi, qua interpungendi ratione oratio tota solemniter triumphans apparet, et per ironiam in altera interrogatione (v. 34.) sitam, vividior redditur. — *ἐγκαλεῖν* alias construitur cum dativo, h. l. cum *κατὰ*, et denotat accusare, in jus vocare. — *ἐκλεκτοί* h. l. sunt iidem, quos v. 28. vocavit *οἱ κατὰ πρόθεσιν κλητοί;* ergo illi, qui electi sunt ad fidem et gratiam christianismi, seu ad justificationem per fidem (a Lap.). — *δικαιόω* h. l. est: justum facio, scil. remittendis peccatis et interna sanctificatione. Cf. 1, 17. — *κατακρίνω* est gradatio verbi *ἐγκαλεῖν*; dein sequitur quadruplex gradatio, in cujus singulis membris specialis relatio ad christianorum salutem simul expressa est. — Ad *ἀποθανών* (1. gradatio) supplendum est: *ὑπὲρ ἡμῶν*, pro nobis, i. e. qui mortuus est, ut culpam peccatorum nostrorum deleret, et nos a sententia condemnatoria (*κατάκριμα* 3, 25.) liberaret. — *καὶ ἐγερθείς* (2. gradatio), qui surrexit; sub qua voce s. Paulus simul comprehendit ascensionem Christi in coelum, atque illam excipientem missionem Spiritus sancti (Act. 2, 23. seq.). — *καὶ ἐστὶ ἐν δεξίᾳ τοῦ θεοῦ* (3. gradatio), i. e. qui regnat cum Deo, seu majestatis et potestatis divinae est particeps. Phrasis: esse, seu sedere ad dexteram Dei, desumpta est ex psalmo 109. (Vulg.), qui est psalmus Messianus, et symbolice idem significat ac: regnare cum Deo, seu: majestatis et potestatis divinae particeps esse. Deprompta autem est haec imago a regibus orientis, quorum vel filii, vel alii potentiae ipsorum participes, a dextris et sinistris adsidere eis, medium throni locum occupantibus, solebant. — *ἐντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν*, qui deprecatur pro nobis (4. gradatio), i. e. qui ut aeternus sacerdos (Hebr. 7, 25.) deprecatur pro nobis in coelis apud Deum Patrem, dum, uti ait s. Thomas, assumptam pro

nobis humanitatem (passionem et mortem in quinque corporis ejus gloriosi vulnerum vestigiis semper conspicuam) Patri semper repraesentat, et sanctissima anima sua nos salutis compotes fieri desiderat. — De verbo ἐντυγχάνω cf. dicta v. 26.

V. 35. *„Quis nos separabit a charitate Christi?“* Particula: ergo, quam habet Vulgata, non legitur in Graeco. S. apostolus scribit τίς (quis), non autem τί (quid), quamvis enumeraturus esset res, non personas; verosimiliter propter conformitatem v. 31. 32. 34.; hinc in voce τίς latet simul τί. — *ἀγάπη τοῦ Χριστοῦ.* Genitivus *τοῦ Χριστοῦ* est genitivus subjectivus, i. e. charitas Christi erga nos, et non genitivus objectivus, i. e. charitas nostra erga Christum. Id postulat nexus antecedentium et sequentium; nam v. 32. locutus est de charitate Dei Patris, qua nos dilexit; v. 34. autem varia momenta enumerat, in quibus Christus suam erga nos charitatem demonstravit. Et v. 39. iterum loquitur de charitate Dei, quae est in Christo Jesu. Cum jam charitas Dei et Christi sit una eademque, in his omnibus locis sermo est de charitate, qua Christus nos dilexit. Attamen, dum apostolus de charitate Christi erga nos loquitur, simul etiam cogitat de charitate nostra erga Christum, tanquam conditione subjectiva, sub qua nos a Christo diligimur; apostolus enim nostro versu vult hoc dicere: Nulla afflictio nullaque angustia potest nos permovere ad defectionem a Christo (et Deo), et ita nobis ipsius erga nos charitatem adimere. — *„Num afflictio? num angustia? num persecutio? num fames? num nuditas? num periculum? num gladius?“* — In enumerandis hisce rebus s. apostolus propria sua fata adversa ob oculos habet (coll. 1. Cor. 4, 11. seq. 2. Cor. 6, 4. seq. 11, 23. seq.). — *θλίψις* (a θλίβω premo) est propie: pressio, compressio; metaphorice: oppressio, afflictio. — *στενοχωρία* (ex στενός angustus et χώρα regio) proprie: angustia loci; dein angustia, anxietas animi, ut h. l. — *μάχαιρα,* gladius; h. l. per metonymiam denotat: mortem per gladium, aut mortem generatim.

V. 36. *„Sicut scriptum est“,* scil. (juxta Vulg.) in psalmo 43. (v. 23.). — Ut confirmaret, christianis persecutionem per gladium revera imminere, allegat locum ex psalmo 43. tanquam prophetiam continuatam. — *„Propter te in mortis pericula conjicimur totum diem, habemur sicut oves mactationis“.* — In psalmo hoc est sermo de magnis afflictionibus et persecutionibus, quibus populus Israël ob suam in Jehovam fidem ab oppressoribus suis exponebatur. Quod tunc temporis populo Israël contigit, idipsum

plenissime in christianis impletur. — *θανατούμεθα* (ex *θάνατος* mors) verti deberet per: interficimur (wir werden getödtet); quum vero adsit *ὅλην τὴν ἡμέραν*, melius vertitur per: in mortis pericula conjicimur (wir schweben in Todesgefahr). — *ὡς πρόβατα σφαγῆς*, sicut oves mactationis, i. e. habemur et tractamur sicut oves mactationi destinatae. Quae fata adversa praeprimis competunt in christianos primitivae ecclesiae.

V. 37. *„Sed in his omnibus longe superiores sumus."* — *ἐν τούτοις πᾶσιν* refertur ad omnia illa, quae duobus versibus praegressis enumerata sunt. — Praepositio *ὑπὲρ* in *ὑπερνικῶμεν* tribuit verbo significatum superlativi: multum seu plenissime superiores sumus (bei weitem, gänzlich überwinden), scil. istis omnibus afflictionibus et periculis. — *„Per eum, qui dilexit nos"*, scil. per Christum, qui nos prius dilexit et nobis suum amorem inseruit. „Amor onus, scribit Thomas Kempensis, sine onere portat, et omne amarum dulce ac sapidum efficit." — Vulgata habet: propter eum; sensu eodem manente, scil. per auxilium Christi, qui dilexit nos.

V. 38. *„Persuasum enim habeo, neque mortem, neque vitam, neque angelos, neque principatus, neque instantia, neque futura, neque potestates";*

V. 39. *„Neque excelsum, neque profundum, neque aliam quamvis creaturam, posse nos separare a charitate Dei, quae est in Christo Jesu, Domino nostro."* Id, quod modo (v. 37.) dixerat apostolus: „in his omnibus multum superiores sumus", hic confirmat (*γὰρ*) ex sua persuasione, dicens, in tota rerum universitate nil esse, quod nos posset separare a charitate Dei. — In vocibus *θάνατος* et *ζωή*, uti in sequentibus membris, inest prosopopoeia. — *θάνατος* h. l. est apostolo mors corporalis, cogitata tanquam violenta cum suis terroribus; et *ζωή* est vita temporalis cum suis bonis et voluptatibus. Quoad sensum voces hae idem valent ac, quod postea (14, 8.) dicit: „Sive vivimus, sive morimur, Domini sumus." — In sequentibus adest quaedam varietas lectionis. Nonnulli testes (etiam Vulgata) post *οὔτε ἀρχαί* legunt: *οὔτε ἐξουσίαι* (potestates); et multa textus monumenta *οὔτε δυνάμεις*, quod communiter post *οὔτε ἀρχαί* legitur, post *οὔτε μέλλοντα* habent. Praeferenda est lectio, quae solum habet: *οὔτε ἄγγελοι, οὔτε ἀρχαί*; et per angelos, quia vox haec h. l. absque epitheto occurrit, intelligendi sunt angeli boni; per *ἀρχας* autem (uti per *ἐξουσίας* et *δυνάμεις*, si legantur) mali angeli; nam hae voces absque epitheto adhibentur etiam alias (Ephes. 6, 12. Col.

2, 15.) de malis angelis, quorum, uti bonorum, varii dantur ordines. — Dum autem apostolus dicit, etiam bonos angelos nos non posse separare a charitate Dei, hypothesin statuit impossibilem, quomodo in epistola ad Galatas (1, 18.) dicit anathema angelo de coelo, si annunciet evangelium, contrarium illi, quod ipse apostolus annunciaverat. — Expressiones sequentes: nec instantia, nec futura, designant metonymice omnia, quae in tempore fiunt, sicut excelsum et profundum metonymice denotant omnia, quae in spatio continentur. Per verba: nec alia quaevis creatura designat apostolus omnia (praeter hic enumerata) creata. — ἀγάπη τοῦ θεοῦ est charitas Dei erga nos, quam Deus nobis in Christo, salutis nostrae mediatore, exhibuit, et per Spiritum suum in corda nostra effudit. Quae charitas, quum sit supra omnem temporis differentiam et omne spatium, quia aeterna, sublime fertur ad ipsum Deum, e quo emanavit. Nonnulli codices post μέλλοντα legunt οὔτε δυνάμεις, quae verba Vulgata reddit: neque fortitudo; si legantur, intelligenda est potentia et robur principum hujus mundi.

Pars III.

Judaeorum exclusio a populo Dei et a bonis promissis N. T. (c. 9—11.).

Pars, quae nunc a capite 9. usque ad c. 11. inclusive sequitur, constituit ultimam partem totius tractationis de justificatione tam Judaeorum, quam gentilium, per fidem Jesu Christi. Declarationem justificationis per fidem Christi apostolus jam initio epistolae hujus (1, 16. 17.) proposuerat, eamque dein (3, 20 — 4, 25.) expoliavit, interpositis aliis (c. 5 — 8.) ad ampliorem explicationem novae oeconomiae (scil. gratiae) per redemptorem Jesum Christum. Quum autem Judaei ex sua generatione carnali a patriarchis et ex operibus legis sibi privilegia et jura tribuerent, apostolus capite 9. (quod jam c. 3. et 4. declaraverat), fusius probat gratuitam esse gratiam fidei et justificationis per fidem, quum Deus suam gratiam nulli hominum debeat. Capite autem 10. docet, causam rejectionis, seu exclusionis Judaeorum ab adoptione in populum Dei N. T. et a bonis ei promissis, esse eorum incredulitatem; et tandem capite 11. ad Judaeorum dolorem leniendum docet, hanc eorum rejectionem solum esse partialem, neque perpetuam, quia, quando plenitudo gentium in ecclesiam intraverit, omnis Judaeorum populus ad Christum convertetur.

Caput IX.

Argumentum. Postquam s. apostolus dolorem suum ob rejectionem partis longe maximae populi Judaici, nec non magnitudinem sui amoris erga fratres Judaeos significaverat (v. 1—5.), docet, ob hanc rejectionem promissiones divinas non irritas factas esse, quia adoptio in populum electum novi Testamenti et justificatio non est ex jure aliquo generationis carnalis vel operum humanorum, sed est beneficium gratuitum nullo jure debitum. Veritatem hanc probat exemplis vocationis Isaac et Jacob, qui gratuita electione constituti sunt patriarchae (progenitores) populi electi V. T. (6—13.). Inde autem sequitur, in Deo nullam esse injustitiam, quia, quum sit liberrimus gratiarum et beneficiorum suorum dispensator, beneficia sua indebita hominibus ex mera misericordia confert, quod ulterius verbis s. scripturae confirmat (14—29.), uti id jam prius probaverat exemplis typicis (Isaaci et Jacobi).

V. 1. *„Veritatem dico in Christo, non mentior."* Ut apostolus de sinceritate et veracitate sua Judaeo-christianos lectores, qui propter doctrinam ejus, Judaismo oppositam, dubitare poterant, certissimos redderet, istam h. l. primum modo positivo et dein negativo, dicens: non mentior, expressit. Verba: in Christo multi interpretes de juramento explicant: teste Christo, seu: per Christum juro. Sed, quum hic non adsit verbum ὀμνύω (juro), explicatio haec non potest ex usu loquendi probari. Hinc verba: in Christo explicanda sunt de conjunctione spirituali cum Christo, de viva communione et unione cum Christo, ita ut apostolus his verbis nil aliud dicere velit, quam: rem veram dico ut christianus. Nam apostolus pro certo habet, christianum ut talem, quum sit membrum corporis Christi mystici, a veritate recedere non posse, ideo addit: non mentior, i. e. sincere loquor. — *„Una mecum testante conscientia mea"*; i. e. quod in sequentibus veritatem dico, testem simul mihi adduco conscientiam meam. συμμαρτυρούσης; vide dicta 8, 16. — *„In Spiritu sancto."* Etiam haec verba nonnulli de formula juramenti explicant: teste Spiritu sancto, eaque connectunt cum verbis: non mentior, sed absque sufficienti causa; nam verba haec pertinent potius ad verba συμμαρτυρούσης συνειδήσεως, ita ut sensus sit: Testem simul mihi adduco conscientiam meam, a Spiritu sancto directam et informatam. Verbis: in Spiritu

s., indicat apostolus, conscientiam ipsius, quam testem adducit, non errare, utpote quum sit a Spiritu s. directa et informata. „Quia interdum conscientia errat, dicit s. Thomas, nisi per Spiritum sanctum rectificetur, subdit: in Spiritu sancto.“

V. 2. *Tristitiam mihi esse magnam et continuum dolorem cordi meo.*“ Post vocem ἁγίῳ ponendum est comma, et ὅτι reddendum per: quod, quia inservit ad indicandum, quid sit id, quod tanta asseveratione affirmat. Veram doloris causam s. apostolus h. l. non exprimit; satis tamen indirecte intelligitur ex sequentibus, quod nimirum partis longe maximae Judaeorum rejectio tristitiae ejus et doloris sit causa.

V. 3. „*Optarem enim ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis.*“ Verbis his exprimit magnum suum erga Judaeos amorem. ηὐχόμην est imperfectum indicativi (ab εὔχομαι opto) optabam; attamen non est explicandum sensu: optabam prius (antequam christianus factus sum), sed est hypothetice sumendum: optarem, ita ut sit intelligendum: si fieri posset. Respondet igitur Latinorum; vellem, et Germanorum: ich wollte wohl, atque significat, impletionem voti esse impossibilem. — ἀνάθεμα in usu loquendi classico non differt ab ἀνάθημα, quae scriptura vocis attica est. Utraque vox derivatur ab ἀνα et θέω seu τίθημι (sursum pono) et proprie notat: rem sursum positam, suspensam; speciatim: donum in honorem Dei suspensum, donarium Deo consecratum, parieti vel columnae templi appensum, uti aurum, argentum, clypeus, phiala aliaque. Hoc sensu vox haec occurrit apud Lucam (21, 5.). Septuaginta versores vocem ἀνάθεμα constanter adhibent pro Hebraeorum: cherem (a charam, occidit, delevit), quod in A. T. proxime denotat exsecrationem, quae in personas aut res proferebatur (1. Reg. 20, 42.); dein ita dicebantur ipsae res aut personae, exsecrationi et exitio devotae (Lev. 27, 28. 29. Jos. 6, 17.). Posteriori autem tempore apud Rabbinos ipsa poena ejectionis a synagoga seu excommunicationis, quae loco poenae capitalis inducta est, appellata est cherem (conf. commentar. in evang. s. Joannis 9, 22.); et hanc significationem ejectionis ab ecclesia seu excommunicationis vox ἀνάθεμα habet etiam in lingua ecclesiae christianae. Hic loci (uti 1. Cor. 12, 3; 16, 22. Gal. 1, 8. 9.) vox haec sumenda est significatu: aeterno exitio sacratus seu devotus, quod docent verba: a Christo, scil. separatus; nam ex separatione a Christo prodit exitium aeternum (ἀπώλεια). „Non enim, scribit s. Augu-

stinus, nisi cum diabolo est, qui non est cum Christo.“ Quapropter recte Origenes et s. Chrysostomus ἀνάθεμα εἶναι explicant per: a salute separari; aut s. Thomas: „separari a fruitione Christi, quae est in gloria.“ Apostolus igitur vellet, si fieri posset, exsecrandus, exitio aeterno devotus, deditus esse, si eo fratres suos, Judaeos, ad salutem in Christo adducere posset. — Ceterum hic non est quaerendum, num tale votum licitum sit, nec ne; prolata enim sunt verba haec heroico charitatis excessu; verba autem, quae charitas effatur, non esse ad latum unguem premenda, docet perpulchre Thomas Kempensis: „Amor modum saepe nescit, sed super omnem modum fervescit“ (lib. de imit. 3. 5, 4.). S. Paulus optime sciebat, se edicere rem impossibilem (Deus enim non ordinavit, ut privatio beatitudinis meae sit medium et procuratio salutis alienae); sed tamen ita loquitur, quia omnia reliqua haud apta ei videbantur ad magnitudinem sui in populum Judaicum amoris exprimendam. Analogicum dictum legitur in libro Exodi (32, 31.), ubi Moses pro populo Israël, peccatis inquinato, oravit: „Aut dimitte eis hanc noxam (peccata); aut, si non facis, dele me de libro tuo“, i. e. ex libro viventium in coelo. Simili modo loquuntur in excessu charitatis in Deum multae personae vitae mysticae deditae, dicentes, se Deum amaturas esse, etiam tunc, si eas aeternae damnationi addiceret. — *„Cognatis meis secundum carnem“,* i. e. qui per generationem carnalem nati sunt ab eodem patre Israële (Jacobo), sicut ego. Verba igitur haec sunt explicatio verborum: pro fratribus meis. — Ast charitas et propensio apostoli in populum Judaicum non solum nititur naturali vinculo consanguinitatis, sed etiam et praeprimis praerogativis, quae huic populo datae erant, et quas v. 4. et 5. enumerat.

V. 4. *„Quippe qui sunt Israëlitae.“* Prima praerogativa, ob quam apostolus populum Judaeorum diligit, est, quia illi originem ducunt ab illo insigni et honorando, a Deo dilecto patriarcha Jacob, qui, quia cum Deo luctatus est (Gen. 32, 28.), ab ipso Deo, i. e. Filio Dei, quem ille vir, cum quo Jacob luctabatur, repraesentabat, acceperat nomen Israël (compositum ex hebr. sara, luctatus est, et El, Deus). Nomen itaque Israëlitarum erat honorificum (coll. 2. Cor. 11, 22.). Vult igitur apostolus dicere: Vos Judaeo-christianos summe diligo; non solum, quia consanguinei mei estis, sed etiam, quia nobilissimam originem ab illo patriarcha trahitis, quem Deus praeprimis dilexit eique nomen

symbolicum: Israël dedit. — „*Quorum* (est) *adoptio*.“ Nominatur hic altera praerogativa. *υἱοθεσία*, adoptio (filiatio); h. l. non eam intelligit adoptionem filiorum, de qua locutus est capite praegresso (8, 14. 15.), quae christianis propria est; sed eam significat adoptionem, qua, praeteritis populis aliis, Deus populum Israël, quem Deus ipse filium suum primogenitum dicit (Exod. 4, 22.), sibi in peculium elegerat, eumque singulari amore et cura prosecutus erat, atque eximia in eum beneficia contulerat. Sed adoptio haec V. T. typus erat adoptionis verae N. T., eo factae, quod Christus factus sit frater noster. — „*Et gloria*.“ Nominatur hic tertia praerogativa. — *δόξα*, gloria, h. l. est visibilis et gratiosa praesentia Dei, Israëlitis olim se manifestans in nubis et ignis columna inde ab exitu ex Aegypto (Exod. 14, 19.) in itinere per desertum (Exod. 13, 21. 22.), in nube lucida super montem Sinai (Exod. 24, 16. 17.), et arcam foederis in tabernaculo (Exod. 40, 33. 34.), et in templo Salomonis (1. Reg. 8, 10. 11. 2. Chron. 7, 1. Ezech. 43, 2 — 7; 44, 4.), quae in V. T. frequenter nominatur gloria Jehovae, et quae a Targumistis et Talmudistis aetate posteriori: Schechina, habitatio, cohabitatio divina, dicebatur. Praerogativa hac, ut scil. ipse Deus in populo suo habitaret, nullus alius gaudebat populus. — „*Et foedera*.“ Est quarta praerogativa. — *διαθῆκαι*. Per hanc vocem intelligendum est foedus a Deo cum Abrahamo initum (Gen. c. 12.), cum Isaaco et Jacobo repetitum (Gen. c. 26. et c. 28.), atque serius mediatore Mose cum populo Israëlitico renovatum (Exod. c. 19. et c. 24.), unde pluralis: foedera. Si vero, uti nonnulli codices habent, legitur numerus singularis: *διαθήκη*, cogitandum est de illo foedere, quod Deus in Abrahamo cum populo Israël inivit. — „*Et legislatio*.“ Quinta praerogativa. *νομοθεσία*, legislatio, i. e. quibus solemniter a Deo per Mosen data est lex in monte Sinai (cf. ps. 147, 20.). — „*Et cultus*.“ Sexta praerogativa. *λατρεία* est omnis cultus sacer Judaeorum ab ipso Jehova institutus et constitutus (cum sacrificiis et omnibus ceteris cerimoniis). — „*Et promissiones*.“ Est septima praerogativa. Per promissiones sunt intelligendae promissiones de Messia, quas Deus Abrahamo et serius per prophetas populo Israël fecerat.

V. 5. „*Quorum patres*“, scil. sunt, i. e. quorum progenitores sunt Abraham, Isaac et Jacob, illi viri, qui virtutibus fulgebant, et qui a Deo pro se et posteris splendidas acceperant promissiones. Haec est octava praerogativa. — „*Et e quibus Christus* (est) *secundum carnem*.“ Haec est ultima et summa populi Judaici

praerogativa, quum ipse Christus ex hoc populo prognatus sit secundum humanam suam naturam, quatenus Maria, mater ejus, filia erat populi hujus. — *κατὰ σάρκα*; cf. dicta 1, 3. Sed verba haec simul innuunt, Christum aliam etiam habuisse naturam, ex Judaeis non prognatam (scil. divinam). — *„Qui est supra omnia Deus, celebrandus in saecula. Amen."* Ante omnia observandum est, lectionem nostram, teste Calmeto, habere omnes codices, graecos latinosque, epistolarum Pauli, nec non graecos omnes latinosque Patres. Quod vero ad ipsa praesentis loci verba attinet, pro diversa interpungendi ratione varie explicantur. — Irenaeus (adv. haer. III. 16. n. 3.), Tertullianus (contr. Prax. n. 13. 15.), Hippolytus (contra haer. Noëtum n. 6.), Origenes (commentar. l. 7. ad h. l.), Hilarius (de Trinit. l. VIII. 37.), Athanasius (contra Arianos in Oratione I., Epist. ad Epictetum contr. haeret.), Basilius (ad Eunomium l. IV. c. 2.), Gregorius Nyss. (contr. Eunom. in Oratione 10.), Ambrosius (de Fide lib. I. c. 9.), Augustinus (de Trinit. II. 13., contra Faustum c. 3. 6.), Hieronymus (Epist. ad Algas.) — ponunt comma post vocem *σάρκα*, atque integram doxologiam referunt ad Christum, ita ut haec doxologia antithesis esset cum verbis *τὸ κατὰ σάρκα*, hoc sensu: E quibus (scilicet Israëlitis) Christus secundum humanam naturam originem ducit, qui est Deus super omnia, laudandus seu celebrandus in aeternum. — Si verba haec ita explicantur, praesens locus est praeclarissimum Christi divinitatis testimonium (locus classicus). Quapropter etiam antiqui Patres: Athanasius, Hilarius, Ambrosius, Cyrillus Alex. et alii hoc loco passim usi sunt contra Arianos.

Alii vero interpretes, Erasmum secuti, post vocem *σάρκα*, vel post verba *ἐπὶ πάντων* ponunt punctum, ita ut verba haec doxologiam Dei Patris continerent, qualis (doxologia) saepius in Pauli epistolis legitur (Rom. 1, 25; 16, 25—27. 2. Cor. 1, 3; 11, 31. Gal. 1, 4. 5. Ephes. 1, 3.), ita ut sensus esset: E quibus Christus secundum humanam naturam originem ducit. Qui est super omnia Deus, laudetur seu celebretur in aeternum! — Vel: E quibus Christus secundum humanam naturam originem ducit, qui est super omnia. Laudetur seu celebretur Deus in aeternum!

Quod praesentis loci verba ita sint interpungenda, uti habet Vulgata et nos in versione expressimus, eaque ad Christum referenda, sequentia postulant:

1. Usus loquendi; nam in omnibus doxologiis in Deum Patrem, quae in N. T. leguntur, vox *εὐλογητὸς* semper posita

legitur ante vocem ὁ θεὸς (uti Luc. 1, 68. 2. Cor. 1, 3. Ephes. 1, 3. 1. Petr. 1, 3.).

2. Postulat id structura grammaticalis. Si enim illa verba doxologiam in Deum Patrem continerent, s. apostolus non illo ordine, quo leguntur, verba sua posuisset, sed scripsisset: εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας ὁ ὢν ἐπὶ πάντων θεός, uti fecit in altera ad Corinthios epistola (1, 3.) et in epistola ad Ephesios (1, 3.); aut saltem adjecta particula δὲ lectores attentos reddidisset, verba illa ad Christum non esse referenda.

3. Poscit id etiam contextus. Quum nimirum in antegressis s. Paulus de Deo Patre non loqueretur, sed de Christo et de populi Israëlitici praerogativis, nulla apparet ratio, cur apostolus h. l. doxologiam in Deum Patrem dicere voluisset. E contra vero prorsus conveniens est, ut apostolus, quum antea diceret, Christum secundum humanam naturam prognatum esse ex populo Judaico, nunc conditionem quandam carnali origini oppositam exprimeret; quod fecisset, si verba illa ad Christum referantur, quibus divina Christi natura praedicatur.

4. Explicationem nostram commendat ipsa traditio, quia, uti supra notatum fuerat, antiqui Patres et scriptores praesentis loci verba ita interpungunt eaque ad Christum referunt. Atqui regula hermeneuticae est, ut in locis dogmaticis sententiae eo modo separentur aut conjungantur, quo ab antiquis Patribus factum est; nam hi, vel ab apostolis vel ab immediatis eorum discipulis edocti, certe scire debebant, qua ratione in locis saltem gravioribus sacri libri, absque distinctionis signis editi, sint interpungendi.

Nostrae interpungendi rationi atque explicationi adversarii objiciunt, doxologias, qualem praesens Pauli locus continet, nusquam de Christo adhiberi, nec uspiam Christum a Paulo Deum vocari. — Sed utrumque id falsissimum est. Nam et similes doxologiae in Christum leguntur apud s. Paulum in 2. ad Timotheum epistola (4, 18.), in epistola ad Hebraeos (13, 21.): „Cui gloria in saecula saeculorum. Amen.“ (Conferatur etiam Rom. 16, 27.) — Leguntur porro tales doxologiae in utraque Petri epistola (1. Petr. 4, 11. 2. Petr. 3, 18.) et in Apocalypsi (1, 6.). — Ita etiam falsissimum est, si adversarii dicunt, Christum a Paulo nuspiam Deum vocari. Nam in illa Pauli oratione, quae legitur in Actibus Apost. (20, 28.), apostolus Christum aperte vocat Deum, qui suo sanguine ecclesiam sibi acquisivit; et in epistola ad Titum (2, 13.) Christus a

Paulo vocatur magnus Deus. Addi possunt porro loca epistolae ad Philippenses (2, 6.), ubi Christus in forma Dei esse dicitur; epistolae ad Colossenses (2, 9.), ubi in Christo plenitudo divinitatis inhabitare perhibetur, atque epistolae ad Ephesios (5, 5.), ubi s. apostolus dicit, fornicatorem, aut immundum, aut avarum nullam habere haereditatem in regno Christi et Dei, i. e. in regno Christi, qui simul Deus est (nam in textu graeco deest articulus τοῦ). — Sed, etiamsi nusquam Christus a Paulo Deus vocaretur, id haud nostram everteret sententiam, causam vero adversariorum juvaret. Quum s. Paulus Christo talia tribuat, quae soli Deo conveniunt, non minus aperte eum Deum praedicasset, quam si ipsum hoc nomen Dei eidem tribuisset. Dicit enim, in Christo omnia esse creata (Col. 1, 16. 17.), ipsum esse ante omnia, i. e. aeternum, atque in eo omnia constare, i. e. omnia per eum conservari, quae omnia soli Deo propria sunt.[1]) De vocibus εὐλογητὸς, αἰὼν et ἀμὴν vid. 1, 28. — Postquam apostolus dolorem suum ob rejectionem partis longe maximae Judaeorum, non obstantibus multis magnisque eorum praerogativis, manifestaverat, aggreditur nunc partis dogmaticae hujus epistolae thema principale, ostendens, adoptionem in populum electum N. T. et justitiam coram Deo (seu justificationem) non esse ex jure aliquo generationis carnalis vel operum humanorum, sed esse beneficium Dei gratuitum, nullo jure debitum. Id probat exemplis Isaaci et Jacobi, qui gratuita vocatione (electione) constituti sunt patriarchae (progenitores) populi electi V. T.

V. 6. *„Non autem ac si irritum factum esset verbum Dei."* οὐχ ὅτι ita resolvendum est: οὐ τοῖον δὲ λέγω, οἷον ὅτι: non tale autem dico, quale est, quod exciderit verbum Dei. — ἐκπίπτειν, excidere, irritum fieri, quod adhibetur de vaticiniis, quae non implentur. — Verbum Dei h. l. sunt promissiones, de quibus v. 4. sermo erat. Vult igitur apostolus dicere: Sed, dum doleo ob rejectionem partis longe maximae Judaeorum, non dicere volo, quod eo promissiones Dei, populo huic factae, irritae factae sint. — *„Non enim omnes, qui ex Israël, hi Israël."* Verbis his s. apostolus rationem reddit, cur promissiones Dei non ideo sint irritae factae, dum dicit: Non omnes, qui carnali propagatione ex Israël (i. e. ex Jacobo), patriarcha, orti sunt, pertinere ad

---

[1]) Conf. Beelen in h. l. et Joh. Bade: Christotheologie. Paderborn, 1870 pag. 222—225. 489.

Israël promissionum, ad filios Abrahae, patris credentium (4, 16.), seu esse Israëlitas, ad quos illae Dei promissiones spectant. — *οἱ ἐξ Ἰσραήλ*, qui ex Israël, i. e. qui ex Jacobo patriarcha, carnaliter prognati sunt. — *οὗτοι Ἰσραήλ*, ii Israëlitae, i. e. ii pertinent ad Israël promissionum, ad filios Abrahae, patris credentium.

V. 7. *„Neque, qui sunt semen Abrahae, omnes liberi“* (seu filii). Vult dicere: Neque etiam omnes, qui secundum carnem nati sunt ex Abrahamo, sunt ejus filii, qui computati sint in illo semine, cui factae sunt promissiones. — *„Sed in Isaac vocabitur tibi semen“;* quasi diceret: Sed solus Isaac, genitus per miraculum et secundum promissionem supernaturalem, est semen electum, seu ille, qui prae aliis filiis Abrahami gratuita electione constitutus est patriarcha (progenitor) populi electi V. T. — Abrahamus nimirum filios progenuit ex Agare, ex Cethura et ex Sara; sed exclusis Ismaële, quem Abrahamus ex Agare procreavit, atque iis, qui ex Cethura nati sunt, filiis, solus Isaac, ex Sara genitus, a Deo electus est et constitutus, qui esset patriarcha et pater populi Deo peculiaris seu electi populi Dei V. T. Inde sequitur, adoptionem ad populum Dei, pro quo promissiones factae sunt Abrahamo, non esse ex jure generationis carnalis ex Abrahamo, sed ex supernaturali indebito beneficio Dei. — Ad *ἀλλὰ* supplendum est: *ὡς γέγραπται*, scil. Genes. 21, 12. — *κληθήσεται* a *καλεῖν* vocare, i. e. nomen habere.

V. 8. *„Hoc est: Non liberi carnis, hi liberi Dei; sed liberi promissionis reputantur in semen.“* Verbis his explicat locum supra allegatum, dum dicit, quod non omnes, qui secundum carnem, i. e. sola naturali gignendi virtute ab Abrahamo procreati sunt, ut Ismaël, sint computati in semine, cui factae sunt promissiones, seu sint assumpti in progenitores populi electi V. T.; sed solum liberi promissionis, i. e. illi, qui per miraculum et juxta promissionem supernaturalem (divinam) Abrahamo factam generati sunt, uti Isaac, seu, qui sunt nati supernaturali divinae gratiae virtute. Vox *ἐπαγγελία* h. l. opposita est voci *σάρξ;* in Ismaëlis generatione principium efficax erat *σάρξ*, caro, insita Abrahami carni virtus generandi, dum in Isaaci generatione principium efficax erat *ἐπαγγελία*, promissio, virtus generandi divinitus promissa et suppeditata, quum ex Abrahamo et Sara, jam senibus (Abrahamus erat fere 100 annorum, Sara autem 90 annos nata), et Sara praeterea sterili, naturali gignendi virtute liberi nasci non possent (coll. 4, 19.), dum

Ismaël et reliqui Abrahae filii sola naturali gignendi virtute procreati fuerunt.

V. 9. *„Promissionis enim verbum hoc* (scil. erat): *Eo tempore veniam, et erit Sarae filius.“* Pro: κατὰ τὸν καιρὸν in textu hebraeo legitur: si tempus revixerit, i. e. redierit praesens dies, seu anno proximo. De hac promissione scriptum est in Genesi (18, 10.), et sensus verborum Dei est: Anno proximo veniam rursus ad te (promissionem meam impleturus), et Sara, conjux tua sterilis et vetula, filium pariet. In tota argumentatione hac considerat s. apostolus historiam Abrahami tanquam typum futuri regni Messiani, oeconomiae novae, N. T., atque vult dicere: Sicut non omnes filii, quos Abrahamus naturaliter, i. e. sola naturali gignendi virtute, procreavit, computati sunt in illo semine, cui factae sunt promissiones, seu assumpti sunt in progenitores populi electi V. T., sed tantum Isaac, qui vi divinae promissionis et gratiae progenitus fuit, computatus est verus Abrahae filius atque assumptus in progenitorem populi electi V. T. — ita etiam adoptio in populum Dei N. T., seu electio ad novam oeconomiam et ad bona in ea promissa, nominatim ad justificationem, non est jure generationis carnalis, sed est supernaturale indebitum beneficium Dei. Ex hisce dictis autem consequitur, verbum Dei non excidisse (v. 6.), quamquam plerique Israëlitarum non pertineant ad populum Dei N. T., quum hi, utpote increduli adeoque nec sicut Isaac supernaturaliter nati, non ii essent Israëlitae, ad quos illud Dei verbum pertinebat.

V. 10. *„Non solum autem, sed etiam Rebecca, quae ex uno, Isaaco, patre nostro, semen habebat.“* Versu hoc et sequentibus usque ad v. 13. inclusive, evidentius probat ex electione Jacobi, electionem ad oeconomiam novi Testamenti, seu adoptionem ad populum electum N. T. et ad bona ei promissa, nominatim ad justificationem, esse gratuitam, nulloque jure debitam. — Quum huic, quod modo apostolus de Ismaële et Isaaco dixerat, opponi potuisset, Ismaëlem rejectum fuisse, quia ex Agare ancilla genitus erat, Isaacum vero electum fuisse, quia ex Sara, libera uxore et domina, procreatus est — apostolus nunc hanc exceptionem praeoccupaturus, aliud profert argumentum, ductum scilicet a typicis personis Jacobi et Esau, ex quibus Deus jam, antequam nati essent, alterum (Jacobum) solummodo assumpsit ad dignitatem patriarchae et progenitorem populi electi veteris Testamenti, Esau autem non assumpsit, quamquam ambo

ex eodem patre, eadem matre, eodem tempore geniti essent. Jure sanguinis Jacob nullo modo potior erat fratre suo Esau, imo hic natu major (quia prior natus) in existimatione hominum et ipsius patris Isaac (Gen. c. 27.) videtur potioris juris esse. — Ad *οὐ μόνον δὲ* optime cum Vulgata suppletur *Σάῤῥα*, et ad verba: *ἀλλὰ καὶ Ῥεβέκκα* ex praecedentibus additur: *λόγον ἐπαγγελίας εἶχεν*, ita ut sensus sit: Non solum autem Sara, sed etiam Rebecca accepit promissionem, quae (Rebecca) ex uno, Isaaco, patre nostro, gravida erat. — *κοίτη - ης* est proprie: cubile (locus recubandi), dein thorus conjugalis; tum: concubitus, coitus (ut 13, 13.); tandem ex hebraismo *κοίτη* dicitur pro semine in concubitu emisso, semen concubitus, atque ita respondet hebraico: schechoba, effusio seminis (3. Mos. 18, 23; 4. Mos. 5, 20.); et: *ἔχειν κοίτην ἐκ τινος* de mulieribus dictum, denotat: habere semen ex aliquo, i. e. gravidam esse ex aliquo. — Vulgata vertit: ex uno concubitu, ac si graece esset: *ἐκ μιᾶς κοίτης*. — Verba: Isaac, patre nostro, sunt appositio ad *ἑνος* (uno).

V. 11. *„Nam, cum nondum nati essent, nec aliquid boni aut mali egissent, ut Dei propositum, quod secundum electionem est, maneret"*;

V. 12. *„non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: Major serviet minori."* Si causa, cur Deus Jacobum elegerit, Esau autem rejecerit, non erat sita in carnali ab Abrahamo descensione (coll. v. 10.), poterat fors sita esse in ipsis Jacobi meritis. Id negat apostolus, quum verbis v. 11. et 12. probet (*γὰρ*), nec merita Jacobi causam fuisse, ut hic eligeretur ad dignitatem patriarchae populi electi, quia electio haec facta est, cum adhuc Jacobus et Esau in utero matris essent inclusi; tum enim, uti in Genesi (25, 23.) legitur, dictum est matri (Rebeccae): „Duae gentes sunt in utero tuo, et duo populi ex ventre tuo dividentur, populusque populum superabit et major serviet minori"; (i. e. populus, repraesentatus in patre suo natu majori, serviet populo, repraesentato in patre suo natu minori). Quum verba haec, dicta Rebeccae, jam contineant exsecutionem electionis et collationem dignitatis adimpletam uni prae altero, non poterant hujus causa esse opera jam facta, quae nulla erant; nec opera praevisa, quae adhuc futura non possunt habere rationem meriti, cui in exsecutione ipsa reddatur jam praemium, antequam fiant, elucet, Jacobum ad dignitatem patriarchae, cujus posteri essent populus electus veteris Testamenti, assumptum non esse propter opera sua aliqua; hinc sequitur,

eum assumptum esse ad hanc dignitatem ex mera gratuita voluntate (consilio) Dei. — γεννηθέντων, nati, scil. Jacob et Esau (coll. v. 12.). Voces: κατ' ἐκλογὴν jungendae sunt cum voce πρόθεσις: secundum electionem factum propositum, i. e. propositum Dei, quod in libera ejus electione, ergo in solo ejus arbitrio, ejus gratuita voluntate fundatur. Porro: propositum Dei secundum electionem, relate ad typum (Jacobum), est benevola, gratuita Dei voluntas (consilium), eligendi Jacobum in patriarcham (patrem) electi populi V. T.; relate ad antitypum (ad christianos) est autem gratuita, nullo jure debita, voluntas (consilium) Dei, conferendi beneficia novi Testamenti et justitiam coram Deo (seu justificationem) tam Judaeis, quam gentilibus per fidem Jesu Christi. — Verba: οὐκ ἐξ ἔργων, ἀλλ' ἐκ τοῦ καλοῦντος jungi debent cum verbis: ἡ κατ' ἐκλογὴν πρόθεσις: propositum factum non propter opera, sed ex vocante, i. e. ex sola gratuita voluntate vocantis Dei, seu ex Dei vocantis gratia et misericordia. — ἵνα μένῃ, ut maneret, i. e. ut istud Dei propositum ab hominibus firmum esse cognosceretur. — Deus enim non facit aliquid, ut aliquod ejus propositum firmum sit, sed ut qua tale ab hominibus cognosceretur. — αὐτῇ, ei, i. e. Rebeccae. — Verba: „non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei (Rebeccae): Major serviet minori", — significant immediate et historice gratuiti Dei consilii aeque gratuitam exsecutionem, scilicet electionem Jacobi et posterorum ejus in populum Deo peculiarem prae Esau et posteris ejus; mediate autem significant antitypum, i. e. gratuitam gentium, nihil tale merentium, electionem per fidem, nullo habito respectu sanguinis (generationis carnalis) et operum legalium, in populum Dei N. T. prae Judaeis, non credentibus, quibus origo ex patriarchis et opera nihil juris tribuunt.[1]) Ceterum verba illa, dicta Rebeccae (Gen. 25, 23.): duae gentes in utero tuo, et: major serviet minori, relata ad Jacobum et Esau jam continent exsecutionem electionis et collationem dignitatis adimpletam uni prae altero; relata vero ad populos futuros, quorum illi duo patres erant, sunt oraculum propheticum; ideo etiam apostolus subdit continuo promissionis complementum ex historia, dum dicit:

V. 13. *„Sicut scriptum est: Jacobum dilexi, Esau autem odi."* Locus hic depromptus ex Malachia (1, 3.), adductus est in

[1]) Conf. Franzelin (Card.) Tractatus de Deo uno pag. 678—680.

confirmationem prioris testimonii: Major serviet minori, quia hoc loco praedictionem illam (major serviet minori) historice completam esse ostendit. Memorat scilicet ibi Deus per prophetam, qualiter jam ab ipsa gentis origine Israëlitas dilexerit, dum eos beneficiis cumulavit prae Idumaeis, posteris Esau, nominatim, quod ipsos, licet ingratos, ab exilio revocavit, dum Idumaea adhuc jacebat vastata et Idumaei ob peccata sua perpetuo exterminio devoti erant. — ἀγαπάω, amo, dein bene cupio, benefacio; h. l. vox haec complectitur cuncta beneficia (externa) in Jacobum ejusque posteros (populum electum), licet frequenter rebelles, collata; μισεῖν autem, quia opponitur verbo ἀγαπάω, denotat contrarium: aliquem amore suo non prosequi; hinc negligere aliquem, ejus curam non habere, seu beneficia non praestare; sed apud Malachiam, uti dicit Franzelin, revera significat positive justitiam et severitatem in puniendis peccatis, ob quae Idumaei a Deo puniti erant, dum eos poenis temporalibus afficeret. — Exposuit itaque apostolus ex duobus Isaaci filiis iisque gemellis, Esau et Jacobo, alterum, Jacobum fuisse assumptum ad oeconomiam veteris Testamenti, ut esset patriarcha, pater electi populi V. T.; assumptum autem eum non fuisse propter generationem suam ex patriarcha Isaac, nec propter opera sua aliqua, uti manifesto demonstrat comparatio cum Esau, qui in his omnibus ei par et nativitate quodammodo etiam potior erat (Gen. c. 27.), nec tamen ad hoc beneficium est electus. Assumptus est igitur Jacobus ad dignitatem patriarchalem ex mera gratuita voluntate Dei. — Ex quo novo argumento concludit ex typo ad antitypum (i. e. ad fideles, christianos), etiam electionem ad novam oeconomiam, ad adoptionem in populum Dei N. T. et ad bona in hac oeconomia promissa, nominatim ad justificationem, non esse debitam juri carnalis generationis et operum humanorum, sed esse gratuitum supernaturale beneficium, quod Deus vult conferre per fidem Jesu Christi, sicut electionem ad oeconomiam V. T., ad populum electum V. T., conferebat verbo suo per supernaturalem promissionem et vocationem (cf. Franzelin p. 679. 680.).

Valde igitur errant, qui ex praesenti potissimum loco probare voluerunt, s. Paulum hoc loco docere praedestinationem ad aeternam gloriam ante praevisa merita (i. e. absolutam), et Jacobum gerere typum talium praedestinatorum. Ast, si Jacobus est typus praedestinatorum ad gloriam, tum Esau typus

esse deberet reprobatorum; et sicut illi dicendi sint absoluto decreto ad aeternam gloriam destinati, ita et hi vicissim dicendi erunt absoluto decreto ad aeternam destinati damnationem. Nam illa verba (v. 11.): „Cum nondum nati essent, aut aliquid boni egissent aut mali", eodem jure tam ad Jacobum pertinent, quam ad Esau; et si: diligere, esset: ad aeternam praedestinare gloriam, utique ob antithesin: odio habere idem esse deberet ac: ad aeternam praedestinare damnationem, prouti verba haec Calvinistae, Praedestinatorum haeresin secuti, interpretantur, indeque docent, Deum absoluto decreto, ex solo suo beneplacito, sine ulla praevii peccati praevisione, homines certo numero quosdam positive reprobasse, seu ad aeternam praedestinasse damnationem, quam blasphemam doctrinam ecclesia damnavit. — Errant porro generatim, qui verba illa (v. 11.) ad aeternam praedestinationem referunt. Nam beneficium, ad quod gratuito electus esse dicitur Jacobus et non electus Esau, est quidem, uti recte observat Franzelin, immediate oeconomia externa, ut nimirum Jacobus esset patriarcha, pater electi populi V. T., non autem per se gratia pertinens ad sanctificationem, multo vero minus vita aeterna. Id constat ex verbis ipsis, quibus manifestata est electio: Major serviet minori; et ex modo, quo Paulus in populo utroque, Israëlitis et Idumaeis, praedictionem historice completam esse ostendit verbis Malachiae: „Jacob dilexi, Esau autem odio habui". Uti ex scopo et toto contextu patet, apostolus solummodo docet, sicut electio Jacobi et posterorum ejus in populum electum, Deo peculiarem, facta est mera gratuita voluntate Dei, ita etiam electio ad novam oeconomiam, ad populum Dei N. T. et ad bona ei promissa, nominatim ad justificationem, non est debitum juris carnalis generationis et operum humanorum, sed gratuitum supernaturale beneficium, quod Deus vult conferre per fidem Jesu Christi, a quo beneficio autem maximam partem Israëlitae exclusi sunt, quia fidem Christi suscipere noluerunt. [1])

V. 14. *„Quid igitur dicemus? Num injustia in Deo?"* Hisce occurrit objectioni, quae contra Dei justitiam ob hanc sine merito electionem fieri potest, quasi diceret: Si, quemadmodum Deus Isaacum aliis filiis Abrahae et Jacobum fratri

---

[1]) Cf. Beelen, Adalb. Maier, Reischl, Petav. de praedestinat. l. 9. c. 2. l. 10. c. 1.

Esau sine merito praetulit, ita nunc alios (gentiles), nulla habita meritorum ratione, adoptat in populum electum novi Testamenti, vocando eos ad fidem christianam et justificationem per fidem; alios (Judaeos) vero ab illo beneficio excludit, numquid propterea dici potest, quod sit aliqua in Deo injustia? Illationem hanc repellit cum detestatione, dicens: *Absit!* i. e. detestabile et impium est, id affirmare; nam tum praerogativa electi populi V. T., tum adoptio in populum Dei N. T. et justificatio est Judaeis ac gentilibus (qui omnes sunt peccatores coll. 3, 23.) beneficium indebitum, quod Deus, cui confert, confert ex mera misericordia.

V. 15. *„Mosi enim dicit: Miserebor, cujus misereor, et commiserabor, quem commiseror.“* Versu hoc probat apostolus, in Deo nullam esse injustitiam, ostendens ex scripturae aliquo effato, Deum beneficia sua (gratiam suam) nemini debere. Locus, quem apostolus adducit, desumptus est ex libro Exodi (33, 19.) atque allatus juxta Septuaginta. Precatur in illo loco Moses, summo moerore ob vitulum adoratum affectus, Deum, ut ipsi in signum favoris futuri faciem suam (majestatem seu gloriam) videndam praeberet. Deus precibus ejus eatenus respondit, quatenus transeuntem majestatem suam retro eum aspicere permisit. Permissioni autem huic Deus simul verba supra allata (miserebor, cujus misereor etc.) adnexit, quae in isto contextu hunc sensum habent: Benignum me praesto, cui volo, et cujus misereri volo, ejus misereor; seu: liberrimus sum gratiae (beneficiorum) dispensator. — Subjectum verbi λέγει est ὁ θεός (v. 14.).

V. 16. *„Itaque non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.“* Verba sunt conclusio ex priori citato. Tanquam subjectum in hoc versu supplendum est ex v. 15. ἐλεηθῆναι (misericordiam consequi), et simul ἐστὶ addendum. — εἶναι τινος (scil. θέλοντος, τρέχοντος, ἐλεοῦντος) denotat: facultatis cujusdam esse, ex aliquo pendere. — θέλειν in hoc nexu denotat internum, ardens desiderium; τρέχειν, quo verbo alluditur ad cursus certamen (1. Cor. 9, 24.), significat diligens studium. Vult igitur s. apostolus dicere: Si gratia (omne supernaturale beneficium) est a Deo ipso profecta et omnino gratuito concessa, non merentibus, itaque Dei gratiam consequi non pendet ab humano desiderio aut studio, sed ex mera Dei misericordia. — Quod hisce verbis apostolus studium bonorum operum edendorum non superfluum declaret, patet inde, quia alias ad tale studium fideles hortatur (v. c. 1. Cor. 9, 24.).

V. 17. *„Dicit enim scriptura Pharaoni: Ob hoc ipsum excitavi te."* Dicit scriptura est metonymice dictum pro Deo, qui per Mosen in scriptura loquitur (cf. Gal. 3, 8.). — Inciso hoc probat s. apostolus id, quod v. 15. implicite continetur et significatur, scilicet Deum, sicut gratuito miseretur indigni, ita posse etiam non misereri peccatoris, quia ei non deest modus, quo ex malo bonum faciat. — Citatum hoc desumptum est ex libro Exodi (9, 16.); sed apostolus illud paulo aliter adducit, quam apud Septuaginta legitur; nam hi loco: *εἰς αὐτὸ τοῦτο ἐξήγειρά σε* habent: *ἕνεκεν τούτου διετηρήθης* (propter hoc conservatus es, scil. in vita). In textu hebraeo legitur forma Hiphil verbi: amad (stetit), quod in Hiphil denotat: consistere facere, incolumem servare, conservare in vita. Quod jam attinet graeca verba, quae h. l. apud s. Paulum leguntur, illa a diversis interpretibus diversimode explicantur. Alii: constitui te regem; alii: servavi te in vita; alii: creavi te; alii: posui et assumpsi te ut hominem (scil. ad hoc, ut ostenderem etc.). Alii verba: *ἐξήγειρά σε* reddunt, uti habet Vulgata: excitavi te, atque illa ob v. 18., ubi loco hujus verbi legitur *σκληρύνειν* (obdurare), cum nonnullis interpretibus antiquis ita explicant: excitavi te, scil. ad resistendum mihi, ad pervicaciam, uti jam s. Augustinus habet: excitavi te, ut pervicacius resisteres. — Quomodo sit id intelligendum, conf. dicta v. 18. — *„Ut ostendam in te virtutem meam, et ut annuncietur nomen meum in universa terra."* Hisce verbis indicat, in quem finem (*ὅπως*) Deus Pharaonem incitaverit ad resistendum. Finis erat hic, ut in persona Pharaonis Deus per multa stupenda et horrenda miracula ad vincendam ejus pervicaciam, qua populum Israël de terra sua dimittere recusavit, potentiam suam (et singularem protectionem erga populum Israël) ostenderet, atque ita nomen suum celebre fieret in toto terrarum orbe. Quod revera factum est. Nam liberatus (ex servitute Aegyptiaca) populus Israël annunciabat ubique et per omnia saecula factum suae liberationis miraculosae per manum potentem (Act. 7, 35.), scil. Filii Dei (*τοῦ λόγου*); interitus vero Pharaonis, relatus etiam in libros historicos Graecorum et Romanorum, nomen Domini, veri Dei, terribile et venerabile reddidit, inde a summa antiquitate usque ad hodiernum diem et usque ad finem dierum.

V. 18. *„Ergo cujus vult, miseretur, et quem vult indurat."* Verba haec sunt conclusio ex prioribus (v. v. 15. et 17.), ita tamen, ut prior pars versus hujus se referat ad v. 15 et v. 16.; posterior vero ad v. 17. — *ὃν θέλει, ἐλεεῖ*; ad *θέλει* est addendum:

ἐλεεῖν, i. e. cujus vult, scil. immerentis et citra debitum, misereri, miseretur. — ὃν δὲ θέλει, scil. σκληρύνειν, σκληρύνει, quem vult (quia omnes sunt indigni misericordia), scil. indurare, indurat, nimirum non impertiendo misericordiam (gratiam uberiorem, efficacem). Verbis his iterum docet apostolus, Deum in conferendo gratiae (misericordiae) suae beneficio agere pro libera sua voluntate. — σκληρύνω notat: durum reddo, obduro; metaphorice adhibetur de iis, qui pervicaces sunt, qui imperio aliorum et auctoritati, monitis et praeceptis obtemperare recusant, qui inobedientes se gerunt, renitentes sunt, quae notio in s. literis exprimi solet non tantum per passivum, sed etiam per activum: σκληρύνειν τὴν καρδίαν (Exod. 7, 3. Deut. 2, 30.). Metaphora desumpta est a tauro, qui non vult jugum collo admittere. Phrasis: σκληρύνειν τὴν καρδίαν in s. literis abhibetur tum de Deo, qui illos, qui gratiae (sufficienti), eis oblatae, cooperari renituntur, negando uberiorem gratiam, in plenam oddurationem et contumaciam delabi permittit; tum etiam adhibetur de hominibus, qui cor suum gratiae divinae occludunt, quum gratiae datae nolint cooperari aut eam contemnant. — Dum alibi (Exod. 8, 15; 9, 35.) Pharao se ipsum indurasse dicitur, h. l. Deus eum indurasse et versu antecedenti eum incitasse ad malum dicitur. — Deus dicitur indurasse Pharaonem, seu incitasse ad pervicaciam, quatenus per miracula (plagas), quae (voluntate antecedente) ad frangendam ejus pervicaciam ab illo patrata fuerant (coll. Sap. 11, 21—12, 2.), et quibus animus ejus ad obedientiam emolliri poterat, si ipse voluisset, negata ei uberiori gratia tali, quae ejus pervicaciam certo fregisset, occasio, imo et causa negativa exstitit illius obdurationis seu pervicaciae.[1]) — Sic est Moses typus humanae voluntatis gratiam appetentis, — Pharao vero typus humanae voluntatis gratiae resistentis. Utrumque operabatur una eademque Dei voluntas, semper benigna et clemens. „Unus est solis ardor, dicit s. Hieronymus in hunc locum, et secundum essentias subjacentes alia liquefacit, alia indurat . . . Liquatur cera et induratur lutum, et tamen caloris non est diversa natura. Sic et bonitas et clementia producit hic vasa gratiae, illic vasa irae (Hieron. ad Hedib. ep. 120.).

V. 19. *„Dices igitur mihi: Quid adhuc vituperat? voluntati enim ejus quis resistit?“* — Quum apostolus modo (v. 18.) dixisset, Deum, cujus vult, misereri, et quem vult,

---

[1]) Aug., a Lap., Tolet., a Picon., Adalb. Maier, Beelen, Reischl.

indurare, licet posset etiam hujus misereri, posset quis objicere: cur ergo Deus de peccatoribus conqueritur, eosque punit, quorum non miseretur justificando, cum alii, quorum per gratiam fidei et per justificationem in fide miseretur, ex sese non minus sint misericordia indigni? — ἔτι, adhuc, i. e. postquam ipse velit, eos esse peccatores. — μέμφεται, vituperat, conqueritur, punit, scil. Deus, ut contextus (v. 18.) docet. — βούλημα idem ac v. 18. θέλειν. — ἀνθέστηκε habet significationem praesentis: resistere potest.

V. 20. *„Quin imo, o homo! tu quis es, qui responsas Deo?"* Objectioni prius adductae inerat accusatio Dei indirecta; hinc etiam apostolus objectionem illam non directe refutat, sed, quum initium sapientiae sit timor Dei (Ecclesiastic. 1, 16.) et humilitas primus gradus ad mysteria gratiae et veritatis cognoscenda (Matth. 11, 26.), solum ostendit, summam fore temeritatem atque impudentiam, si homo, misera, finita et debilis creatura, disceptare vellet cum Deo infinito et creatore, atque ab eo exigere, ut rationem reddat suae agendi rationis, quum ante omnia creaturae rationali certum esse debeat, omnia opera Dei esse sancta et justa. — Vox μενοῦνγε, quae in Vulgata et nonnullis codicibus deest, h. l. notat: quin imo, ita ut sententia haec sit corrigentis; hinc sensus est: Potius ego te interrogo, quam ut tu illius interrogandi jus haberes. In ὦ ἄνθρωπε h. l. est emphasis: homo, qui es misera, finita et debilis creatura; ita objectu vilitatis interrogantis retundit ejus superbiam. — σὺ τίς εἶ cum emphasi: quantulus es. — ἀνταποκρίνεσθαι (ex ἀντι contra et ἀποκρίνεσθαι) proprie: contra respondere, respondendo contradicere, responsare (quod habet respondendi simul et repugnandi notionem). — Turpe esse, creaturam obloqui Deo creatori et rationes exigere ab eo, declarat similitudine figuli. — *„Num dicet figmentum fictori: Quid me ita fecisti?"* Similitudo haec figuli, satis frequens in libris V. T. (Jes. 45, 9. Jer. 18, 6. Sir. 33, 13. 14.), immediate exprimit absolutam Dei potestatem et creaturae subjectionem; supponitur autem in artifice divino, Deo, infinita sanctitas, bonitas, sapientia et justitia. Probe autem advertatur, observat Franzelin, ex ipsa indole quaestionis figmento seu plasmati non comparari ab apostolo humanam naturam, quatenus a Deo creatur, sed hominem, quatenus vel gratuito misericordiam consequitur, vel ob peccata voluntate consequente juste punitur. — Similitudinem hanc versu sequenti prosequitur, dum dicit:

V. 21. *„Aut non habet potestatem figulus luti, ut ex eadem massa faciat alterum quidem vas ad decus, alterum vero ad dedecus?“* Similitudo haec non est ita intelligenda, ac si s. Paulus docere vellet, creaturam rationalem ac liberam eo modo se habere sub actione gratiae, quo lutum in manu figuli, nimirum mere passive; sed, sicut lutum non potest exigere a fictore, ut ipsum faciat pretiosum, in usum honestum, non autem relinquatur in vili, sordido usu — ita etiam homo peccator nullum jus habet, ut per Dei misericordem artem consequatur gratiam supernaturalem et gloriam, non vero relinquatur in peccato et propter peccatum destinetur ad poenam. „Hic, uti prudenter ad hunc locum observat s. Chrysostomus (hom. 16. in epist. ad Rom.), non liberum arbitrium tollens, hoc dicit, sed ostendens, quousque Deo obtemperandum est. Nam ad exigendas a Deo rationes non magis quam lutum paratum esse oportet. Non modo enim contradicere non oportet, nec quaestiones movere, sed tacere et obtemperare.“ Quapropter Calvinus ejusque sequaces (et ex catholicis interpretibus illi, qui absolutam Dei praedestinationem ad gloriam defendunt), perperam ex verbis hujus versus colligere volunt, Deum, sicut figulus jus et potestatem habet ex luto faciendi pro libito quodcunque voluerit, posse pro libito alteram partem hominum (seu generis humani) praedestinare ad damnationem, alteram vero ad gloriam (ad beatitatem aeternam); nam, uti supra observavimus, similitudo haec figuli exprimit quidem immediate absolutam Dei potestatem et creaturae subjectionem, pro qua potestate (absoluta) Deus posset pro libito velle et facere; ast, quia Deus semper est sanctissimus, benignissimus, sapientissimus et justissimus, haec ejus potestas semper conjuncta est cum sanctitate, bonitate, sapientia et justitia; ideo haud unquam quid faciet, quod esset adversum ejus sanctitati, bonitati, sapientiae et justitiae. Calvini vero doctrina obstat sanctitati, bonitati et justitiae Dei; prouti stante sententia illorum, qui absolutam praedestinationem ad gloriam defendunt, libera hominis voluntas haud consistere potest. — *πηλοῦ* pertinet ad vocem *ἐξουσίαν*, ergo: potestatem luti seu in lutum. — *εἰς τὴν τιμήν*, ad decus, i. e. in usum honorificum, honestum; *εἰς ἀτιμίαν*, ad dedecus, i. e. in usum vilem et sordidum (abjectum). — *φύραμα* (a *φυράω* subigo) est massa, quae subigitur; h. l. massa lutea.

V. 22. *„Si autem Deus, quum iram ostendere et potentiam suam notam facere vellet, tulit multa cum patientia vasa irae, adaptata ad interitum;“*

V. 23. *„et ut ostenderet divitias gloriae suae in vasis misericordiae, quae praeparavit ad gloriam.“* — Nunc s. apostolus directe refellit objectionem prius (v. 19.) ab adversario factam, et quidem ita, ut responsum suum applicando (seu accommodando) ad materiam, quam tractat, scil. ad Judaeorum ab adoptione in populum novi Testamenti et a bonis ei promissis, nominatim a justificatione, exclusionem et gentilium ad illud supernaturale beneficium admissionem, ostendat, in hac Dei agendi ratione nihil esse iniqui. Transitio indicatur per particulam *δὲ*. Oratio haec s. Pauli est imperfecta; caret enim apodosi, et quidem hac: quid dicemus (*τί ἐροῦμεν*) vel: quid iniqui est (*τί ἄτοπον*), scil. in hac Dei agendi ratione? Apodosis haec excipere deberet ultima verba versus 23. — *εἰ θέλων ὁ θεὸς . .;* participium *θέλων* non potest resolvi: quia voluit ostendere iram . . ideo sustinuit in multa patientia: sed debet ita resolvi: quamvis vult (scil. voluntate consequente ad impoenitentiam cordis) ostendere iram . . ., tamen sustinuit (nimirum voluntate antecedente, qua eorum vult poenitentiam et salutem) in multa patientia (cf. Sap. 12, 10.). — Verbis: *ἐνδείξασθαι . . . τὸ δυνατὸν* unum indicat finem, cur Deus ita agat. — *τὸ δυνατὸν* est idem ac *τὴν δύναμιν; ὀργὴ* est Dei ira, quam sibi contraxerunt Judaei increduli, et per quam exclusi sunt ab adoptione in populum N. T. et a bonis ei promissis (coll. 11, 20.). Ergo finis unus erat, ut manifestaret potentiam vindicativae suae justitiae. — *ἤνεγκεν* tulit, i. e. toleravit, non statim punivit (confregit). — *σκεύη* vasa, utroque loco sunt vasa, quae aliquid (v. c. iram aut misericordiam) in se recipiunt. — *ἔλεος* est Dei misericordia, quam Judaeis et gentilibus exhibuit, conferendo nimirum illis gratuito nulloque eorum merito gratiam vocationis ad fidem christianam et justificationem per fidem. Credentes ex gentilibus sunt, de quibus (v. 26.) dictum est: non populus meus, nunc vocantur filii Dei; ex Judaeis vero, de quibus (v. 27.) dictum est: reliquiae salvae factae sunt, et Dominus Sabaoth reliquit nobis semen, i. e. etiamsi multitudo (Judaeorum) non crediderit, tamen pauci credent (Hieron.). — Verba: vasa irae non possunt sumi active, ac si talia fecisset ira Dei, sed passive: vasa, quibus ira debetur, et per haec sunt peccatores (gentiles et maxime Judaei increduli) intelli-

gendi. — κατηρτισμένα εἰς ἀπώλειαν, adaptata, scil. ex se ipsis, sua obstinatione et impoenitentia (Chrysost., Thom.); non enim dicit: parata, scil. a Deo, uti id dicit de vasis misericordiae, quae Deus ipse sua operatione, per gratiam praeparavit ad gloriam, hic ad gloriam sanctitatis (scil. largiendo eis gratiam justificationis), et per hanc in gloriam consummatam in coelo. — Necessitatem cooperationis cum gratia docet apostolus postea (9, 30 — 11, 23.). — ἀπώλεια est damnatio, pernicies aeterna. — μακροθυμία, longanimitas (patientia) est voluntas Dei misericors erga peccatores, eo ex se tendens, ut convertantur et desinant esse vasa irae (Rom. 2, 4. 5. 2. Pet. 3, 9. Sap. 11, 24. aliasque), uti id fecerat in Pharaone et Israëlitis obstinacibus. — πλοῦτος τῆς δόξης αὐτοῦ (i. e. θεοῦ), divitiae gloriae Dei. Gloria Dei est majestas divina, essentia divina cum omnibus attributis in manifestatione ad extra. Hic loci (quia opponitur irae Dei) speciatim intelligenda est benignitas Dei, et: divitiae gloriae Dei idem ac: eximia Dei benignitas. Simili modo sunt verba haec in epistola ad Ephesios (3, 16.) exponenda. — Vasa misericordiae ex declaratione ipsius apostoli (v. 24—26.) sunt ii, quos Deus vocavit ex peccatoribus, tam Judaeis, quam gentilibus, ad fidem christianam et per hanc ad justificationem (seu ad populum Dei N. T.), quae autem vasa misericordiae non sunt ex sua natura vel suis naturalibus meritis vasa gloriae et honoris, sed a Deo praeparantur in gloriam (scil. vocando eos ad fidem christianam etc., uti in sequentibus explicat); nam ante gratiam vocationis ad fidem christianam et justificationem per fidem, omnes sunt peccatores, et ideo indigni misericordia. — Verbis: ἵνα γνωρίσῃ . . . indicatur alter finis, qui est, ut manifestaret magnam suam benignitatem. — εἰς δόξαν, ad gloriam, scil. sanctitatis, eos justificando, et per justificationem ad gloriam aeternam in aeterna beatitudine. Vult igitur s. apostolus verbis v. 22. et 23. dicere: Quod Deus, quamvis ab aeterno decrevisset, in nonnullis (ob impoenitentiam cordis) manifestare potentiam vindicativae suae justitiae, tamen hos, sua obstinatione et impoenitentia vasa digna irae et interitus, multa longanimitate tulit et tandem punivit, ut hac impiorum punitione partim ostenderet potentiam vindicativae suae justitiae, partim vero demonstraret eximiam suam benignitatem in vasa misericordiae, quae ipse praeparavit in gloriam sanctitatis et per hanc in gloriam aeternam — quid ad hoc dicemus? seu quid iniqui est in hac Dei agendi ratione? — Nunc

(v, 24.) explicat, quaenam sint vasa misericordiae, scil. omnes christiani, quos Deus non solum ex Judaeis, sed etiam ex gentilibus vocavit, dum dicit:

V. 24. *„Quos etiam vocavit, non solum ex Judaeis, sed etiam ex gentibus."* — οὓς dictum est per attractionem insequentis ἡμᾶς pro ἅ (scil. σκεύη), quia refertur ad praegressum σκεύη, et ita potest resolvi: ἅτινα ἐσμεν ἡμεῖς, οὓς . .; καὶ pertinet ad verbum ἐκάλεσεν: praeparavit et etiam vocavit, scil. ad fidem christianam; ipsam enim justificationem et gloriam aeternam praecessit gratuita ad fidem christianam vocatio.

V. 25. *„Sicut etiam in Hosea dicit: Vocabo non populum meum, populum meum; et non dilectam, dilectam."* Quum prius (v. 24.) apostolus dixisset, Judaeos et gentiles esse vocatos ad populum Dei N. T. seu ad fidem christianam, per quam est adoptio ad populum Dei N. T. et ad bona ei promissa, nunc, quia de Judaeorum vocatione nullum erat dubium, ex V. T. probat, etiam gentiles vocatos esse ad adoptionem in populum N. T. et ad bona ei promissa; in quem finem duo Hoseae loca, non plane iisdem verbis et eodem ordine, sed salvo sensu affert, quae in unum conjungit. Prius vaticinium, quod hic versu 25. recitatur, sumptum ex Hoseae 2, 23. 24: alterum vero, quod allegatur v. 26., depromptum est ex Hoseae 1, 10. — Usus huc allegatorum locorum propheticorum innititur typico vel symbolico repraesentandi modo, quo personae et eventus historici tanquam typi vel symbola futurorum (N. T.) considerantur. Propheta scil. Hoseas in actione symbolica repraesentat rejectionem Israëlitarum (decem tribuum), utpote idololatrarum et criminosorum, et dein subsequentem Dei cum Israëlitis reditum in gratiam ob resipiscentiam eorum. — οὐ λαός μου (hebraice: lo-ammi) et οὐκ ἠγαπημένη (hebraice: lo-ruchama = ἡ οὐκ ἐλεημένη, non miseranda) sunt nomina symbolica Hoseae filio et filiae, divinitus imposita, qui repraesentant populum Israël (decem tribus) ejusque ad Deum relationem. Propheta vult ergo proprie (sensu literali) dicere: Israëlitae (subditi regni decem tribuum) idololatrae et criminosi, non amplius a Deo habentur pro peculiari ejus populo, et gravis illis imminet afflictio; ast, si iterum ad Jehovam se converterint, iterum pro populo suo eos habebit, cura et amore suo eos prosequetur. Propheta ergo in hoc loco propie (sensu literali) non loquitur de gentilibus, sed de Israëlitis. Ast, quod propheta de Israëlitis (de subditis regni decem tribuum) idololatris dixerat, s. apostolus, quum hi

Israëlitae idololatrae ei typum gererent gentilium idololatrarum, id refert ad gentiles, idque merito facit, quia etiam gentiles ab initio ad unam Dei familiam, qualis erat totum genus humanum, pertinebant; hinc reditus eorum (gentilium) ad Christum redemptorem, est reditus ad Deum creatorem (cf. Joan. 10, 16.). Sic itaque s. apostolus ex Hoseae loco, typice intellecto, probat, olim jam praedictam fuisse vocationem gentilium ad adoptionem in populum N. T. et ad bona ei promissa, seu ad fidem christianam, per quam est adoptio in populum N. T. et ad bona ei promissa. — Particula *καὶ* ante *ἐν τῷ Ὡσηὲ* significat, gentilium ad adoptionem in populum N. T. et ad bona ei promissa vocationem, sicut erat facta (v. 24.), ita etiam (*καὶ*) antea fuisse praedictam. Vulgata adhuc habet: et non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam; quae verba autem in graeco non sunt.

V. 26. *„Et erit: In loco, ubi dictum est eis: Non populus meus, vos, ibi vocabuntur filii Dei vivi."* Verba haec desumpta sunt ex Hoseae 1, 10. (hebr. 2, 1.). Etiam h. l. sensu literali sermo est de Dei cum Israëlitis reditu in gratiam; s. Paulus vero istum reditum typice explicat de gentilium vocatione ad adoptionem in populum Dei N. T. et ad bona ei promissa. — *καὶ ἔσται* ex hebraismo valet idem ac: aliquando futurum est. — *ἐν τῷ τόπῳ . . κληθήσονται*, i. e. in eadem Palaestina, ubi gentiles non populus Dei vocabantur, ibi, in centro etiam novae theocratiae, gentiles ad fidem conversi et per sacramentum baptismi regenerati, vocabuntur filii Dei vivi. — Deus vivus est solemnis appellatio Dei veri, ut distinguatur a diis fictis et commenticiis, qui sunt res mortuae (*εἴδωλα ἄψυχα* Sap. 14, 29.), dum Deus verus est ille, qui semper est et semper operatur, qui omnia creavit omnibusque rebus a se creatis suam vim et vigorem, ac viventibus animam et vitam inspirat.

V. 27. *„Jesaias autem clamat de Israël: Si fuerit numerus filiorum Israël sicut arena maris, reliquiae tantum salvae fient."*

V. 28. *„Verbum enim perficit ac properat in justitia; imo verbum properatum faciet Dominus in terra."* — Sicut prius ex Hosea probaverat apostolus, gentiles ad adoptionem in populum electum N. T. et ad bona ei promissa, seu ad fidem christianam, per quam est adoptio in populum Dei N. T. et via ad bona promissa novi Testamenti, vocatum iri, ita nunc v. 27—29. probat ex duobus Jesaiae locis, olim itidem praenunciatam fuisse plerorumque Judaeorum ab hac adoptione in populum Dei N. T.

et a bonis ei promissis exclusionem. Prior locus (v. v. 27. et 28.) desumptus est ex Jesaiae 10, 22. 23. Praedicitur hoc vaticinio ingens illa clades, quae sub Ezechia rege Judaeis illata fuit a Sennacherib, rege Assyriorum (cf. 4. Reg. 18, 13. 2. Paralip. 32, 1.); qua quidem clade, plerisque oppressis, pauci illi, qui ab eadem superstites (coll. 4. Reg. 19, 4. 30. 31.) ad Jehovam sunt conversi, typum gesserunt, docente s. Paulo, paucorum Judaeorum illorum, qui, fidem Christi suscipiendo, bonorum populo electo N. T. promissorum, nominatim gratiae justificationis, participes facti sunt, plerisque ob incredulitatem suam ab illo gratuito beneficio exclusis. — Verbum κράζω, clamo, designat claram gravemque vaticinii annunciationem, i. e. clamat, ut omnes audiant et cordi suo imprimant. — ὑπέρ, super, de. — τὸ κατάλειμμα seu ὑπόλειμμα cum emphasi: tantum reliquiae. — Pro σωθήσεται in textu hebraeo est: convertentur ad eum (Jehovam); apostolus vero secutus versionem Septuaginta ponit σωθήσεται, atque intelligit hoc de liberatione spirituali seu salute per Christum. Ad participia συντελῶν et συντέμνων est addendum ἔσται, et valent idem ac: συντελήσει καὶ συντεμεῖ, scil. ὁ κύριος. Citatum ipsum est juxta versionem Septuaginta, quae verbum hebraicum chilajon (proprie: deletio, excidium) reddidit per: λόγος (verbum), quae vox h. l. sumenda est significatu: verbum comminationis, decretum, quo poena constituta est, seu poena decreta. — συντέμνειν, abbreviare, properare, mature perficere. — ἐν δικαιοσύνῃ, in justitia, i. e. justo judicio, seu ad normam justitiae vindicativae. — λόγον συντετμημένον ποιήσει, verbum properatum faciet, i. e. verbum comminationis maturum faciet, seu poenam decretam (excidium) mature exercebit. Sententia haec est eadem ac praegressa, nisi, quod additur, ubi Deus hoc facturus sit. — ἐπὶ τῆς γῆς, in terra, scil. Judaeorum seu in Palaestina. — In textu hebraeo ita legitur: Excidium decisum (scil. est), inundans justitiam (i. e. vehementer ad instar aquarum inundantium inferens justitiam vindicativam); nam excidium et decretam poenam Dominus Deus exercituum facit in medio universae terrae (i. e. in universa Judaeorum terra, seu in Palaestina). — Sensus ergo prophetici hujus loci est: Mox Jehova excidium et decretam poenam exercebit in universa terra Judaeorum, et de multitudine Judaeorum fere innumerabili, (numerosa sicut arena maris) pauci tantum participabunt bona populo Dei N. T. promissa, quia pauci tantum suscipient fidem Jesu Christi.

V. 29. *„Et sicut praedixit Jesaias: Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, et Gomorrhae similes redditi essemus.“* Alterum hoc Jesaiae vaticinium (1, 9.) juxta versionem Septuaginta, quae hoc loco cum textu hebraeo fere verbotenus congruit, affert iterum apostolus ad probandam Judaeorum plerorumque a populo Dei N. T. et a bonis ei promissis, exclusionem. Propheta proprie loquitur ibi de ingenti clade Judaeorum terrae per unitos reges Syriae et Israëlitarum jam illata, a qua nonnisi paucissimi erant superstites; hi vero s. Paulo sunt typus paucorum illorum Judaeorum, qui, reliquis ob incredulitatem exclusis, ob suam fidem participaturi essent bona populo Dei N. T. promissa. Illa terrae Judaeorum devastatio (externa) erat solummodo typus spiritualis devastationis populi Judaici. — σπέρμα, semen, scil. veri Israëlis ad ulteriorem propagationem; semen hoc servatum erat in apostolis et primis Christi discipulis, qui ut Judaei fidem Christi susceperunt. Si nemo Judaeorum per fidem Christo se adjunxisset, utique omnis Israël penitus periisset, et promissio Dei irrita facta fuisset. Ast in apostolis et primis Judaeo-christianis semen servatum est, ex quo in fine mundi verus Israël, Israël κατὰ πνεῦμα enascetur (Cf. 11, 16. seq.). — κύριος σαβαὼθ, i. e. Dominus exercituum; nam σαβαὼθ est vox hebraica et denotat exercitus. Nomine exercituum autem praeter astra intelligi debent copiae angelorum, qui tanquam exercitus Dei regis, thronum ejus circumdant et potentissime pro Deo contra daemones et impios pugnant. Formula haec inservit significationi potentiae Dei (Cf. ps. 24, 10. Jes. 1, 24; 2, 12.).

Nunc a versu 30. incipit s. apostolus exponere causam, cur plerique Judaeorum ab adoptione in populum Dei et a bonis ei promissis, exclusi fuerint, gentiles vero illius beneficii gratuiti participes facti; dum docet, Judaeos ideo fuisse exclusos, quia in Christum credere noluerint, atque idem hoc thema toto capite sequenti uberius pertractat.

V. 30. *„Quid ergo dicemus? Gentes justitiae non studentes, assecutae sunt justitiam, justitiam autem ex fide?“* — Post ἐροῦμεν est signum interrogationis ponendum, et sententia: ὅτι ἔθνη ... est responsum ad priorem interrogationem. Ad ὅτι simul ex priori interrogatione supplendum est: hoc est dicendum: (gentes etc.). — Particula οὖν respicit ad antegressa de Judaeis et gentilibus vaticinia (v. 25—29.) et ad versum 16. — Integrae orationi huic subest imago desumpta a cursu publico in

stadio; justitia (*δικαιοσύνη*) est meta, ad quam omnes currunt, sed simul est etiam praemium certaminis. — Ut s. apostolus discrimen inter christianam justitiam et Judaicam praeprimis accurate designaret, sententiam modo prorsus singulari exprimit, dum dicit: Gentiles, qui incuriosi erant certaminis et cursus, assecuti sunt praemium certaminis; Judaei vero, qui in illo certamine et cursu laborabant, praemio exciderunt. — *διώκω*, persequor; tropice: magno studio sequor, studeo, studiosus sum. — *ἔθνη* absque articulo h. l. est generice positum: gentiles universe, uti oppositum *Ἰσραήλ*. — *τὰ μὴ διώκοντα δικαιοσύνην*, i. e. gentiles, qui justitiae assequendae non studebant, scil. implenda lege externa, quum talem non haberent. — *δικαιοσύνη ἐκ πίστεως*, justitia, quae percipitur per fidem in Christum, seu justitia, quam Deus cuique credenti tribuit gratis (coll. 3, 22.). In Christo nimirum aperta est alia via ad justitiam assequendam hominibus, via fidei; fides in Christum ejusque opus redemptionis est fundamentum et radix totius salutis.

V. 31. *„Israël vero, studens legi justitiae, ad legem justitiae non pervenit.“* — Verba *νόμον δικαιοσύνης* prima vice posita pro *δικαιοσύνην νόμου*, intelligenda sunt de justitia, quam lex Mosaica docet et postulat; altera autem vice verba illa denotant justitiam evangelicam, quae a Deo cuique credenti in Christum tribuitur gratis; ergo illam, quae ab apostolo (3, 22.) vocatur justitia Dei per fidem Jesu Christi. Alii (cum Estio) utraque vice legem justitiae simpliciter sumunt pro justitia; quae explicatio ob suam simplicitatem praeferri videtur.

V. 32. *„Quare? quia non ex fide, sed quasi ex operibus legis;“* i. e. quare Israëlitae illam veram justitiam non sunt adepti? Quia studuerunt eam sibi comparare non ex fide, sed quasi ex praestitis legis (Mosaicae) operibus illa haberi potuisset. — Particula *ὡς* (quasi) inservit designandae opinioni subjectivae; Judaei putabant solis externis legis operibus veram justitiam comparari posse, sed per haec opera finem (justitiam) non sunt assecuti; si ex fide illam adipisci studuissent, haec (fides) eos ad Christum duxisset, atque in eo veram justitiam assecuti fuissent. Atqui in superbia sua offenderunt in Christum, uti ait: *„Offenderunt enim in lapidem offensionis.“* Verbis his causam subjicit ejus, quod dixit: Israëlitas non ex fide quaesivisse justitiam; nam (*γὰρ*) offenderunt . . . — *λίθος προσκόμματος*, lapis offensionis est Christus ab effectu seu eventu (non a fine), quatenus ob ejus humilem conditionem externam Judaei eum ut Messiam agnoscere

noluerunt, sed repulerunt. Metaphora desumpta est ab iis, qui per viam incedentes, in lapides, quos non vident, pedibus impingunt. Lapis offensionis est hebraismus pro lapide, in quem offenditur.

V. 33. *„Sicut scriptum est: Ecce pono Sione lapidem offensionis, et petram scandali, et omnis, qui credit in eum, non pudefiet.“* — Sicut scriptum est, scil. in Jesaia (8, 14. et 28, 16.). — In posteriori loco (28, 16.) sub imagine electi lapidis angularis sermo est de extraordinario instituto, de nova theocratia, quam Deus Sione (Hierosolymae), in centro theocratiae veteris Testamenti fundaturus est, et quae multis in salutem, multis vero in perniciem erit. Propheta ergo loquitur hic de futuro regno Messiano (seu ecclesia Christi). — In priori loco (8, 14.) dicitur Jehova ipse lapis offensionis; Christus autem est Jehova V. T. Christus, cujus vitae terrenae initium humilitatem ostendebat, qui ab asseclis suis ante omnia humilitatem postulabat (beati pauperes spiritu), et qui fidem in suam doctrinam exigebat, Judaeis superbis, suae origini carnali et suae justitiae confidentibus, offensioni erat; quia omnis eorum sentiendi et agendi ratio erat contraria Christi doctrinae et vitae, repudiabant eum. Quod jam senex Simeon, Christum in ulnis tenens, praedixit: Positus est hic in ruinam multorum in Israël, et in signum, cui contradicetur“. (Cf. Luc. 2, 34.). — *πέτρα σκανδάλου* est idem ac *λίθος προσκόμματος*. *σκάνδαλον* apud scriptores classicos seriores est idem, quod *σκανδάληθρον*, bacillum (das Stäbchen) in muscipula (Mausfalle), cui esca infixa est, et quod a mure tactum, in sublime fertur, muscipulam claudit, muremque inclusum capit; metaphorice est: laqueus alicui positus, insidiae alicui structae, quae autem esse possunt vel res (factum, verbum), vel personae, quae occasionem praebent alicui, aut incitamento sunt ad lapsum moralem, aut moralem interitum. Ita h. l. Christus. — *καὶ πᾶς . . . καταισχυνθήσεται*, i. e. et omnis, qui crediderit in Christum, spe sua non frustrabitur, sed sicut credidit, consequetur salutem, hic inchoàtam per gratiam justificationis, aliquando vero per gloriam aeternam in coelo.

Caput X.

Argumentum. Quod apostolus jam prius (9, 32. et 33.) innuerat, quod scil. Judaei ipsi ob suam incredulitatem sint causa suae exclusionis ab adoptione in populum Dei N. T. et a bonis ei promissis, id toto hoc capite explicatius docet atque

probat. Ne autem eos vel ob modo dicta, vel ob dicenda offendat, statim initio hujus capitis rursus suum in eos affectum et benevolentiam suumque in eorum salutem ardens desiderium patefacit; laudat eos ob studium ipsorum, quod tamen vitiosum, scientia necessaria non est directum, quippe quum justi esse coram Deo quaererent per legis observantiam, ignorantes justitiae verae acquirendae rationem, quam Deus instituit, nimirum per fidem, quum finis legis et fons justitiae sit Christus (v. 1—4.). Probat dein variis scripturae s. locis, per fidem Christi obtineri veram justitiam (v. 5—10.), et unicuique credenti, nullo gentis discrimine, illam offerri obtinendam, quum scil. per legatos divinitus missos, fides in Christum omnibus annuncietur (v. 11—16.); quapropter Judaei increduli non possunt se excusare, ad se non pervenisse evangelii praedicationem, aut ipsos non intellexisse praedicationem evangelicam, ostendendo ex Moyse et Jesaia, Judaeos, si gentiles praedicationem evangelicam intelligunt, etiam illam intelligere posse (v. 17—21.).

V. 1. *„Fratres! desiderium quidem cordis mei, et deprecatio ad Deum pro illis ad salutem“* (scil. est). — Ob particulam μέν (in ἡ μέν εὐδοκία) exspectatur in sequentibus δὲ, quae particula autem non sequitur; sententia illi (μέν) opposita in sequenti reprehensione (v. 3.) sita est. — Per vocem ἀδελφοί alloquitur non solum Judaeo-christianos, sed totum coetum christianum, ex Judaeis et gentilibus collectum. — Pro ὑπὲρ τοῦ Ἰσραήλ, quod habet textus receptus, Lachmann et Tischendorf cum Vulgata legunt ὑπὲρ αὐτῶν, pro eis, i. e. Judaeis. Verbis igitur hujus versus exprimit apostolus suum intimum desiderium in salutem Judaeorum, quod desiderium eum urget, ut preces faciat ad Deum pro eorum salute. — Quum apostolus pro Judaeorum salute oret, ergo eos non putabat ab aeterna salute reprobatos; frustra enim orasset; hinc in capite praecedenti non agebat de praedestinatione ad gloriam aut de reprobatione ab illa, sed de eorum casu a justitia (seu justificatione). — εὐδοκία h. l. est desiderium. — εἰς σωτηρίαν, ad salutem (scil. est), valet idem ac: ἵνα σωθῶσι, ut salutem participent, tum inchoatam per justificationem, tum consummatam in aeterna beatitudine. — Rationem hujus desiderii et deprecationis pro Judaeis affert v. 2., dum dicit:

V. 2. *„Testimonium enim perhibeo illis, studium Dei eos habere“*. — Ratio erat, quia divinae legis essent studiosi. — ζῆλος θεοῦ est studium, zelus Dei; qui intelligendus est de illorum studio in observanda lege Mosaica. — Judaeos, praeprimis illos, qui ex

secta pharisaeorum erant, divinae legis fuisse studiosos, s. literae testantur (Act. 21, 20. Gal. 1, 14.). — Sed studium hoc eorum erat vitiosum; nam dicit: *„Sed non secundum cognitionem“*, i. e. sed studium hoc eorum non erat directum cognitione necessaria; nesciebant enim (uti v. 3. dicit), qua via et ratione quaerenda sit justitia, qua Deo placetur.

V. 3. *„Ignorantes enim Dei justitiam, et propriam justitiam quaerentes constituere, justitiae Dei non se subjecerunt.“* — Verbis his probat, cur illorum studium non sit secundum cognitionem. — *δικαιοσύνη τοῦ θεοῦ* est justitia, quae homini per Christum a Deo contingit, et quidem per fidem (cf. 1, 17.); — *δικαιοσύνη ἰδία* est illa justitia, quam homo ex suorum operum merito (per legis observantiam) sibi comparare, seu Deo gratus acceptusque esse vult. Haec *δικαιοσύνη ἰδία* est eadem, quam apostolus alias *δικαιοσύνη νόμου*, vel *ἐξ ἔργων* nominat. — In verbo *ζητοῦντες* latet cogitatio, studium eorum propriis viribus justitiam consequendi, frustraneum esse. — Apostolus h. l. justitiam Dei exhibet tanquam legem (aliquam), cui obtemperare debeat, quicunque voluerit justificari; dicit enim: justitiae Dei non se subjecerunt. Qui nimirum vult justificari, debet Deo revelanti se submittere; submittit autem se Deo is, qui justitiam eo modo quaerit, quo Deus eandem acquirendam praecepit, scilicet per fidem. Jam huic justitiae Dei tanquam legi, Judaei se non submiserunt, quum sibi, absque fide in Jesum Christum, ex suorum operum meritis parare vellent justitiam. — *ὑπετάγησαν* est aoristus 2. pass., sed h. l. significatione medii: se non subjecerunt.

V. 4. *„Finis enim legis* (est) *Christus.“* *τέλος* denotat finem (Ende) et scopum (Ziel). Si vox sumitur ultimo significatu: scopus, sensus verborum s. apostoli est: Tota veteris Testamenti lex, tam moralis, quam ceremonialis, tendebat ad futurum Salvatorem, eum tanquam ultimum suum scopum habebat. Lex moralis scopum habebat, externa severitate populum Israël ad venturum Messiam educandi, praeparandi et ducendi; erat igitur cum suis mandatis absolutis paedagogus ad Christum, uti eam s. apostolus in epistola ad Galatas (3, 24.) vocat. Quum igitur Christus ipse apparuisset, officia et servitia paedagogi sponte cessabant; lex qua talis scopum suum et sic etiam finem suum assecuta est. — Legis autem ceremonialis erat, typice Christum ejusque regnum significare; habebat, uti in epistola ad Hebraeos (10, 1.) legitur, umbram futurorum bonorum, non ipsam bonorum substantiam. Quum ergo haec bonorum essentia,

Christus ipse, in mundum venisset, umbra, typus, sponte cessavit. — Si sensus ita statuitur, utraque vocis τέλος significatio h. l. servatur. Si autem apostolus dicit, legem in Christo scopum finémque suum esse assecutam, id non ita intelligendum est, ac si lex Mosaica moralis posthac nullam vim obligantem relate ad nos christianos haberet; potius etiam lex Mosaica moralis ceu manifestatio voluntatis divinae perpetuum habet valorem (cf. Matth. 5, 17.); sed s. apostolus vult tantum dicere, illam legem moralem ut externam et cogentem cessasse. Nam, postquam Christus per Spiritum sanctum charitatem, quae est plenitudo legis, in cordibus nostris effudit (5, 8.), lex illa, antea mere externa, facta est interna, quae in charitate voluntatem inclinat, ut christiani justificati et sanctificati per Christum, sponte sua, non autem legis terroribus admoniti, faciant, quod lex praecipit (cf. 2. Cor. 3, 3. 1. Tim. 1, 9.). — Estius, nonnullos interpretes graecos secutus, vocem τέλος sumit significatu: impletio, perfectio, atque hunc statuit sensum: Christus est, per quem lex pro nobis perfecte impleta est. — Ast, si apostolus id dicere voluisset, non scripsisset τέλος, sed πλήρωμα, uti infra (13, 10.): πλήρωμα νόμου ἡ ἀγάπη. — *„Ad justitiam omni credenti,"* i. e. ut omnes, qui in eum credunt, justitiam, veram et internam, consequantur, i. e. gratiam justificationis. — Quod ergo lex Mos. praestare non poterat, scil. veram justitiam, justificationem et sanctificationem|, conferre, hoc praestitit Christus; conditio ad illam obtinendam ex parte hominis est fides; et haec justitia destinata est omnibus; nam dicit: omni credenti. — Veram justitiam et salutem hominem solummodo consequi posse per fidem, probat apostolus ex s. scriptura (v. 5—10.), et quidem ita, ut ex ipsa lege Mosaica demonstret, Mosen praeter justitiam ex lege consequendam, simul etiam significasse justitiam ex fide. Pro justitia ex lege adducit v. 5. locum ex libro Levitici (18, 5.), dum dicit:

V. 5. *„Moses enim describit justitiam ex lege: Quicunque homo ea fecerit, vivet per ea."* Ita legit textus receptus, Lachmann, Tischendorf. Alii vero cum Vulgata loco ἐν αὐτοῖς legunt: ἐν αὐτῇ, scil. δικαιοσύνῃ. Sensus in essentia idem manet. — γράφειν notat: aliquid describere, aut scribere de aliquo, ita ut idem sit ac: γράφειν περὶ τινος. Si legitur: ἐν αυτοῖς, per αὐτα, scil. προστάγματα, sunt singula praecepta intelligenda, atque apostolus vult dicere: Moses ipse distinguit justitiam ex lege consequendam a justitia ex fide, quum dicit: illum, qui omnia praecepta legis observat, victurum esse vita longa et prospera,

atque vera et aeterna apud Deum (Matth. 19, 17. Luc. 10, 28.). Quum autem ex lege, quae nullam dabat gratiam, omnia praecepta legis nemo implere et per ea vitam (veram) habere possit (id fit tantum per fidem coll. 1, 17.), utique tali modo lex homini monstrabat viam ad fidem in Christum; unde sequitur, justitiam veram neminem per legem consequi posse.

V. 6. *„Justitia vero ex fide ita dicit: Ne dixeris in corde tuo: Quis ascendet in coelum? id est Christum deducere."*

V. 7. *„Aut quis descendet in tartarum? id est Christum e mortuis reducere."*

V. 8. *„Sed quid dicit: Prope te verbum est, in ore tuo et in corde tuo, hoc est verbum fidei, quod praedicamus."* — Apostolus v. 6. et 7. justitiam fidei negative exprimit, versu 8. autem id facit positive. Locus, quem h. l. s. Paulus adducit atque exponit, depromptus est ex libro Deuteronomii (30, 11—13.); sed locum hunc non adducit consueta formula: *ὡς γέγραπται*, aut *Μωυσῆς γράφει*, sed per prosopopoeiam ipsam justitiam fidei loquentem inducit, quia locus absque immutatione non quadrabat, sed applicationem postulabat. In illo loco Deuteronomii Moses Israëlitas exhortatur ad fidelem legis observationem, atque omni occurrit excusationi, qua fors dicerent, se illam (legem) ignorasse, aut non potuisse servare, dum dicit, legem (mandatum) non de coelo aut ultra mare, i. e. longe, ex remotis et inaccessis locis esse deferendam, sed in promptu positam esse, quia prope est atque ideo facilis observatu. Quia Moses dicit, satis esse nosse legem, supponit, non deesse vim sequendi cognitionem, seu agendi secundum cognitionem. Sed illam vim (virtutem) positam sibi Moses cogitabat solummodo in Christo, qui omnibus, qui ante et post eum vixerunt et vivunt, propter fidem dat gratiam, legem ferendi ut onus suave et leve, illam lubenter implendi, atque ita sibi vitam comparandi. — Quum Christus sit finis et scopus legis, Verbum essentiale, in quo sunt omnia Dei mandata seu verba, uti dicit s. Thomas, ideo omnia illa, quae olim Moses de verbo V. T. dixit, plenissima veritate valent de Christo ejusque opere redemptionis. Quapropter s. Paulus in applicatione hujus loci Deuteronomii loco: legis (mandati) ponit Christum, et illud: de coelo et trans mare deferre (deducere), exponit de incarnatione et resurrectione Christi, tanquam de duobus momentis principalibus, quae totum redemptionis opus complectuntur. Vult itaque s. apostolus verbis his dicere: Quod Moses olim de lege dixit,

illam non esse impossibilem observatu, et longe petendam habendam, ita ut ista de coelo vel ultra mare esset deferenda, sed cuique vicinam et ad manum, atque solummodo requiri, ut homo istam suscipiat, corde et ore profiteatur — id sensu eminentiori valet de Christo ejusque opere redemptionis. Non est opus, ut solliciti simus de redemptione, cujus principalia momenta sunt incarnatio et resurrectio Christi, propriis viribus perficienda; non est opus, ut Christum e coelo deducamus, aut eum a mortuis et ab inferis ad vitam reducamus, sed redemptio (objective) jam perfecta est; sufficit, ut credamus, eam esse perfectam, et ut eam fide suscipiamus. — μὴ εἴπῃς ἐν τῇ καρδίᾳ σου, ne dixeris. S. Paulus hac particula negativa (μὴ) studet prohibere, quominus quis hoc dicat. Verba: in corde tuo in textu hebraeo (et Septuaginta) non leguntur; s. apostolus ea addit, quia incredulitas postremo sedem suam habet in corde. — Interrogationes sequentes: quis ascendet in coelum? et: quis descendet in abyssum, sunt juxta sensum apostoli quaestiones incredulitatis, quae incarnationem et resurrectionem Christi impossibilem putat ideoque negat. — Verba: τουτ᾽ ἔστι sunt formula aliquid interpretantis. — Sensus est: Ne dicas: Quis valet in coelum ascendere? scil. ad Christum inde in terram deducendum? — aut quis valet ad inferos descendere? scil. ad Christum inde a mortuis revocandum? Id enim interrogare idem est, ac impossibile reputare, quod Christus descenderit de coelo, aut quod a mortuis resurrexerit. Igitur in his duabus quaestionibus sita est dubitatio de incarnatione et resurrectione Christi, quae sunt principalia facta redemptionis. — Pro: τίς καταβήσεται εἰς τὴν ἄβυσσον, in textu hebraeo juxta Septuaginta legitur: τίς διαπεράσει ἡμῖν εἰς τὸ πέραν τῆς θαλάσσης (quis ex nobis poterit transfretare mare?). Ast s. apostolus verba haec in applicatione hujus loci ad Christum non poterat adhibere; hinc illa immutabat, ita ut loco θάλασσα poneret ἄβυσσος; partim quia jam alias coelum et orcus, (infernum, Scheol, αἵδης) sibi opponi solent; partim, quia etiam in s. scriptura mare saepe abyssus vocatur (Exod. 15, 5. coll. v. 10.). — In versu 8. ad λέγει debet suppleri tanquam subjectum: ἡ ἐκ πίστεως δικαιοσύνη (justitia fidei); Vulgata supplet: scriptura (ἡ γραφή.). — ἐγγύς σου τὸ ῥῆμα . . . καρδίᾳ σου. S. apostolus verba haec applicando vult dicere: Sicut in veteri Testamento verbum divinum legis vicinum erat et ad manum, atque solummodo necesse erat, ut opere perficiatur, — ita in N. T. verbum

fidei cuique vicinum est et ad manum, solummodo opus est, ut illud fide suscipiat, credat. — Verbis: τοντ' ἐστι . . . κηρύσσομεν illud verbum (ῥῆμα) propius designat ut verbum fidei, seu religionis christianae, praedicatae ab apostolis. — κηρύσσομεν, praedicamus, scil. nos apostoli et Judaeis et gentilibus.

V. 9. *„Quia, si professus fueris ore tuo Dominum Jesum, et credideris corde tuo, Deum e mortuis eum suscitasse, salvus eris.“* — Exponit hic, cur dicatur (v. 8.) in ore tuo et: in corde tuo. Ratio est, quia ad salutem requiritur, ut homo et corde credat, et quae crediderit, ore, ubi res poposcerit, profiteatur. — κύριον est praedicatum (ut Phil. 2, 11.). — Posuit h. l. apostolus externam fidei professionem ante actum fidei internum, quia in verbis Mosis (v. 8.) primo loco dictum est: in ore tuo, deinde autem: in corde tuo; et quia os ibi distinguitur a corde, etiam Paulus externam fidei professionem ab interno fidei actu distinguere voluit; alibi enim (1, 16; 3, 28. 30.) salutem simpliciter fidei tribuere solet; non quod sentiat, necessariam non esse externam fidei professionem, sed ideo, quod duo haec (externa fidei professio et internus fidei actus) ex natura rei intime sint conjuncta. — Per professionem h. l. et in sequentibus intelligenda est animosa professio Christi inter calamitates et persecutiones, quae illam primis ecclesiae temporibus excipiebant, ita ut haec professio idem sit ac perpessio calamitatum propter Christum. — Apostolus h. l. solius resurrectionis Christi facit mentionem, quia ille articulus alios fidei articulos fere omnes supponit et complectitur, uti incarnationem, mortem ejus, quod sit Filius Dei, Redemtor, verbo: totum religionis christianae aedificium fundatur in resurrectione Christi, uti id s. apostolus in prima ad Corinthios epistola (15, 17. seq.) ostendit. (Cf. dicta ad finem 1, 4.) — σωθήσῃ, salvus eris, hic salute inchoata, scil. per gratiam justificationis, aliquando vero per gloriam aeternam in coelo.

V. 10. *„Corde enim creditur ad justitiam, ore autem professio fit ad salutem.“* — Verbis his probat (γὰρ) necessitatem fidei et professionis fidei, atque ostendit utriusque effectum. Fides cordis, i. e. actus fidei internus, seu firma redemptionis a Deo in Christo nobis oblatae susceptio, necessaria est ad consequendam justitiam, seu justificationem, i. e. remissionem peccatorum et sanctificationem. Haec autem fides se in spe et charitate manifestat efficacem per constantem professionem inter persecutiones

propter Christum toleratas, atque ita operatur salutem aeternam (coll. Matth. 10, 32.), uti patet in martyribus.

V. 11. *„Dicit enim scriptura: Omnis, qui credit in eum, non pudefiet."* — Versu hoc probat ex Jesaia (28, 16.), per fidem omnes consequi justitiam, i. e. gratiam justificationis. — Vox πᾶς non legitur in textu hebraeo, nec in Septuaginta, sed implicite inest participio πιστεύων. Apostolus hanc vocem expresse posuit, quia demonstrare volebat, Christum justitiam tribuere omni credenti (cf. v. 4.). — Non pudefiet (conf. 9, 33.).

V. 12. *„Non enim est distinctio inter Judaeum et Graecum";* Apostolus nunc dat rationem, cur prius dicatur: omnis (πᾶς); et haec est, quia gratia justificationis a Deo offertur omni credenti, nullo gentis discrimine. — Universum scilicet genus humanum apostolo in duas divisum est partes: in Judaeos et ethnicos, qui ante Christum sibi oppositi, in Christo unum totum, unus populus Dei, una familia, unum corpus facti sunt. De voce ἥλληνες cf. 1, 16. *„Nam idem Dominus omnium, dives omnibus, ipsum invocantibus."* — Verbis his dat rationem, cur ad gratiam justificationis admittantur omnes, qui crediderint, nullo gentis discrimine; quia Christus unus idemque est omnium hominum, Judaeorum aeque ac gentilium Dominus et caput, qui gratiae suae divitias effundit non in Judaeos solum, sed in omnes, qui illum invocant, i. e. in eum ut Dominum et Salvatorem (v. 5. et Act. 2, 36. Phil. 2, 11.) credunt, sperant eumque diligunt. Cf. 1. Cor. 1, 2. — Dicitur dives omnibus (πλουτῶν, scil. χάριτι), quia abundanter effundit gratiae suae divitias in omnes homines, qui in eum credunt. (Cf. 5, 15.)

V. 13. *„Omnis enim, quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit."* Cf. dicta v. 10. Verbis his, quae desumpta sunt ex propheta Joële (3, 5. juxta Vulg. 2, 32.), probat apostolus, quod modo dixerat, scil. Christum esse divitem omnibus, qui eum invocant; sed verba prophetae absque ulla citandi formula adducit, quia scripturae verba facit sua. — Locum hunc Joëlis esse Messianum, praeter contextum etiam interpretatio authentica s. Petri (Act. 2, 21.) docet. Quum s. Paulus h. l. salutem tribuat invocationi, quam supra fidei tribuebat, patet, apostolum sub invocatione intelligere invocationem, quae conjuncta est cum fide in Christum, cum professione, Christum esse Filium Dei, Dominum et Salvatorem.

V. 14. *„Quomodo igitur invocabunt, in quem non crediderunt? quomodo vero credent, quem non audierunt? quomodo vero audient sine praedicante?"*

V. 15. *„Quomodo vero praedicabunt, nisi missi fuerint? sicut scriptum est: Quam speciosi pedes, qui annunciant pacem, annunciant bona."* — Ex invocatione infert s. apostolus necessitatem credendi, hoc modo: Quomodo ergo, quum scil. salus promissa pendeat (uti dictum est) ab invocando Jesu Christo tanquam Domino et Salvatore, homines ex animo invocare poterunt, in quem non crediderunt? Dein ex necessitate credendi infert necessitatem audiendi de illo, in quem credendum sit; redemptio enim in Christo est factum objective historicum, quod nemo ex se per reflexionem potest producere, sed de illo audiat necesse est. Porro ex necessitate audiendi de Christo infert necessitatem praedicationis, et tandem ex necessitate praedicationis infert necessitatem legitimae missionis ad praedicandum seu apostolatus. Itaque invocatio innititur fidei, fides vero auditui, auditus praedicationi et praedicatio missioni legitimae. — Totius autem hujus argumentationis finis est, demonstrare, ad salutarem illam invocationem (v. 13.) opus esse praeconibus, divinitus ad praedicandum ablegatis. — Hanc ad praedicandum missionem jam praedictam fuisse, confirmat loco Jesaiae (52, 7.), quem ad sensum tantummodo citat; nam nec cum textu hebraeo, nec cum Septuaginta accurate concordat. In illo loco loquitur propheta proxime de annunciatione solutae captivitatis et reditus ab exilio babylonico. Nuncii veniunt super montes, annunciantes, Jehovam Sione (i. e. Hierosolymae) iterum thronum suum erexisse. Sperantes e longinquo salutant pedes, qui laeta annunciantes adducunt. — Sed haec corporalis liberatio ex captivitate babylonica, Paulo interprete, solummodo typus erat spiritualis liberationis ex captivitate peccati, a Messia procurandae; et hi nuncii, laeta annunciantes, erant typus apostolorum Domini, qui verum laetum nuncium, verum evangelium, scil. spiritualem liberationem ex captivitate peccati per Messiam universo mundo annunciabant. — Loco temporis futuri: *ἐπικαλέσονται . ., πιστευσούσι, . . .* etiam conjunctivi modi: *ἐπικαλέσωνται, πιστεύσωσιν, ἀκούσωσιν, κηρύξωσιν* in nonnullis codicibus leguntur, qui sunt conjunctivi deliberativi; sensus vero semper idem manet. — Ceterum versus 14. et 15. sunt introductio in versum sequentem.

V. 16. *„Sed non omnes obedierunt evangelio."* Loquitur s. apostolus de Judaeis, uti ex sequentibus liquet, i. e. de iis, quibus primum praedicari oportuit evangelium. Apostolus vult dicere: Sed, quamvis divinitus missi, sicut praedictum erat (Jes.

52, 7.), praedicaverint eum, qui vera justitia donavit omnes, qui in eum crediderunt, tamen illis praedicantibus non omnes evangelium seu laetum nuncium de Messia et salute in eo, fide receperunt. — Verba haec simul innuunt, causam exclusionis plerorumque Judaeorum ab adoptione in populum Dei N. T. et a bonis ei promissis, fuisse negationem obedientiae, praestandae evangelio divinitus illis annunciato, seu incredulitatem. Ceterum s. Paulus, uti saepius, ita et hic loci, credere nominat obedire. Ita docet, quod fides non sit res solius intellectus, sed quod etiam voluntas cooperetur necesse sit. Firmissimae et profundissimae demonstrationes hominem ad fidem non perducunt, nisi voluntas assentiatur. „Nemo credit, nisi volens", ait s. Augustinus. — *„Jesaias enim dicit: Domine, quis credidit praedicationi nostrae?"* — Verbis his ostendit apostolus, illam Judaeorum plerorumque incredulitatem olim fuisse praedictam. Locus desumptus est ex Jesaia 53, 1. Propheta proxime loquitur de incredulitate Judaeorum ipsi coaevorum; sed verba haec, docentibus s. Joanne (12, 38. sq.) et s. Paulo, simul erant prophetia de Judaeis incredulis tempore Christi et apostolorum. Cf. commentar. in evang. s. Joannis 12, 38—40. — ἀκοή est auditus, i. e. audiendi sensus; dein id, quod auditur, ergo nuncium, praedicatio, ut h. l., ubi denotat praedicationem, scil. de Salvatore patiente; porro est ἀκοή ipsa auditio, ut versu sequenti.

V. 17. *„Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei."* — Ex citatis Jesaiae verbis infert s. apostolus, quod jam v. 14. dixerat, scil. quod fides ex auditu nascatur. Apostolus vult ergo dicere: Fides nascitur ex auditu; auditus autem efficitur per praedicationem verbi Dei, factam per apostolos a Christo missos. Conclusionem ipsam: ergo cujusque officium est, audiendi evangelium annunciatum — reticet apostolus, tanquam sponte ex dictis fluentem. — Ceterum in hac pericopa s. Paulus duas graves sententias pronunciat: 1. fides nascitur et propagatur non per literam mortuam s. scripturae, sed verbo vivo, viva voce; et 2. ad annunciandum evangelium opus est legitima missione. Invenimus ergo h. l. directe expressum principium traditionis et apostolatus catholicae ecclesiae. — Loco Χριστοῦ (uti et Vulgata legit) textus receptus habet: θεοῦ; tum ῥῆμα θεοῦ est idem ac ῥῆμα seu λόγος κηρυσσόμενος θεοῦ (verbum Dei annunciatum).

V. 18. *„Sed dico: Num non audierunt?"* Facit h. l. sibimetipsi apostolus objectionem: Sed interrogo, num fors prae-

dicationem evangelii non audierunt? Excusabiles fuissent Judaei increduli, si evangelii praedicatio ad eos non pervenisset; ast inexcusabiles sunt Judaei, nam jam psalmista praedicationem evangelii in toto terrarum orbe praedixit, dum dicit: *„Imo vero: In omnem terram exivit sonus eorum, et usque ad fines orbis terrarum verba eorum.“* Psalmus hic (19, 5.) proprie loquitur de coelo astrifero, ubique locorum Dei gloriam enarrante; s. Paulus vero verba illa mystice refert ad apostolorum evangelicam praedicationem per universum orbem terrarum. Et merito id facit; nam tunc temporis, quo s. Paulus haec scripserat, jam in plerisque partibus mundi, tunc noti, evangelium erat annunciatum; certe vero Judaeorum terram permeavit haec praedicatio, ut nemo Judaeorum se excusare posset, se illam non audivisse. — *μενοῦνγε* est particula graviter affirmantis: imo vero, ita sane (freilich, ja wohl). — *φθόγγος αὐτῶν*, scil. *εὐαγγελιζομένων*. Verbis hujus versus (18.) s. Paulus simul docet, gratiam fidei, per quam est adoptio ad populum Dei N. T. et ad bona ei promissa, a Deo fuisse omnibus, et nominatim Judaeis oblatam.

V. 19. *„Sed dico: Num Israël non cognovit?“* Quaestione hac apostolus sibi alteram facit objectionem, quam simul refellit. Poterant scil. Judaei semet excusare, se, quamvis praedicationem evangelicam audierint, illam non intellexisse. Sed etiam hanc excusationem reprimit s. apostolus locis s. scripturae. Adducit primum locum Mosis (Deut. 32, 21.): *„Primum dicit Moses: Ego ad aemulationem vos excitabo per non — gentem, per gentem insipientem ad iram vos provocabo.“* — *πρῶτος* est vel idem ac *πρότερος*, prior (Joan. 1, 15. Act. 1, 1.), vel vero vim habet adverbii: primum (zuerst); deinde Jesaias, quem secundo loco citat. — *ἐπ᾽ οὐκ ἔθνει*, per non-gentem, i. e. per gentem, quae proprie non est gens, quae nomine gentis indigna est. Judaei sese nominabant gentem, populum *κατ᾽ ἐξοχήν*, ethnicos vero contemptim designabant tanquam non-gentem, aut *ἔθνος ἀσύνετον* (gentem insipientem, quia idola stulte adorabat). — In loco citato jam dicit Jehova Israëlitis, quod ipse, quia eum irritaverant et ad iram commoverant, amando idola, quae dii non sunt, etiam illos sit irritaturus atque ad iram provocaturus per gentem stultam, dum eis suum amorem subtrahet illumque gentilibus exhibebit, atque ita eos ad zelotypiam (aemulationem) provocabit. — Comminatio haec autem sensu sublimiori impleta est vocatione et admissione gentilium ad fidem et ecclesiam N. T. Vult igitur

apostolus dicere: Si gentiles, qui a Judaeis contemptim vocabantur non-gens, gens rerum divinarum ignara, praedicationem evangelicam intellexerunt et per fidem (in Christum) facti sunt populus Dei, uti jam Moses praedixerat, quod gens insipiens (per fidem) Judaeos ad salutarem aemulationem (ad fidem) sit provocatura, utique Judaei non possunt se excusare, quod illam praedicationem intelligere non potuerint. — Ceterum oratio allegorica est, ducta imagine a matrimonio: Jehova est sponsus, sponsa populus Israël, qui neglecto Jehova et idola amando conjugalem fidem fregerit. Idipsum probat ex Jesaia (65, 1. 2.).

V. 20. „*Jesaias autem audet et dicit: Inventus sum ab eis, qui non quaerebant me, manifestus factus sum eis, qui de me non interrogabant.*“

V. 21. „*De Israële autem dicit: Tota die expandi manus meas ad populum renitentem et contradicentem.*“ — ἀποτολμᾷ καὶ λέγει, i. e. audacter et libere dicit, Judaeorum offensionem non veritus. — Citatum hoc, quod apostolus ordine verborum transposito adducit, prolatum est ab apostolo juxta Septuaginta, et quidem libere ad sensum tantummodo. — Subjectum in εὑρέθην et ἐξεπέτασα est Deus, qui per prophetam loquitur. Ceterum εὑρέθην est praeteritum propheticum pro futuro. — ζητεῖν θεὸν, Deum quaerere, dicuntur illi, qui Deum colere volunt eique placere. — ἐπερωτάω, quaero, interrogo de aliquo, h. l. eum curare. — πρὸς Ἰσραὴλ, i. e. de Israëlitis. — λέγει, scil. Jesaias ex persona Dei. — ἐκπετάννυμι (a πετάω, pando), expando. — ἀπειθέω, mihi persuaderi non patior, renitor, inobediens sum. — ἀντιλέγω, contradico, adversor, rebellis sum. — Vult s. apostolus verbis v. 20. et 21. dicere: Etiam Jesaias, nihil veritus suorum popularium offensionem, audacter et libere praedixit, quod ethnici, qui de venturo Messia nil sciebant, nec desiderio ejus tenebantur, eum invenerint, (scil. fide ex auditu apostolorum concepta); Judaei autem, ad quos toto tempore veteris Foederis manus suas per infinita miracula et dein per praedicationem evangelii extenderat, ut eos amanter ad se invitaret, eum repudiaverint. (Cf. Matth. 23, 37. Joan. 15, 22.). — Non possunt itaque Judaei se inscitia excusare. — Hi duo versus ultimi simul efficiunt transitum ad sequentem tractatum gravem.

Caput XI.

Argumentum. In praegressis ostenderat s. apostolus, plerosque Judaeorum sua culpa exclusos fuisse ab adoptione in populum Dei N. T. et a bonis ei promissis, nec eos posse se excusare, ac si praedicationem evangelii non audiverint, aut istam non intellexerint. Capite hoc eos solari studet. Dicit nimirum, quamvis plerique Judaeorum a populo Dei N. T. exclusi fuerint, tamen non esse putandum, quod Deus populum suum qua talem omnino rejecerit (v. 1—7.), dum docet, pauciores ex Israëlitis pervenisse ad fidem et ad bona populo Dei N. T. promissa, reliquos vero cecidisse incredulitate et obstinatione sua, quae obstinatio olim a prophetis praedicta (6—10), salutaris facta est ethnicis; nam incredulitate Judaeorum factum est, ut ethnici citius participarent salutem evangelicam. Tandem docet, obstinationem atque incredulitatem hanc Judaeorum non semper duraturam esse, sed futurum esse, ut omnis Judaeorum populus, quando plenitudo gentilium in ecclesiam intraverit, ad Christum convertatur et particeps fiat bonorum novae oeconomiae, ecclesiae N. T., atque ita Dei misericordiam consequatur (11—36.).

V. 1. *„Dico igitur: Numquid repulit Deus populum suum?“* Quia supra (v. 20. et 21.) apostolus dixerat, Judaeos ob incredulitatem suam a Deo repulsos esse, ethnicos vero propter fidem factos esse populum Dei N. T., poterat quis ex istis vaticiniis falso colligere, gentiles, tanquam novum Dei populum, fuisse substitutos in locum populi Israëlitici, hunc autem omnino a Deo fuisse repulsum. Falsam hanc collectionem praeoccupaturus s. apostolus, ipse eam sibi hic proponit et statim refellit, ita ut sensus sit: Quia talia de Judaeis et de gentilibus vaticinatus est Jesaias, numquid forte repulit omnino a se Deus populum suum? — In voce: repulit (ἀπώσατο) est emphasis, hoc sensu: repulit omnino atque in totum. — *„Absit!“* i. e. non rejecit Deus populum suum omnino atque in totum. — Probat id exemplo suo. — *„Nam etiam ego Israëlita sum, ex semine Abrahami, tribu Benjamin;“* i. e. nam etiam ego sum Judaeus, sicut et illi, qui rejecti sunt, et tamen non sum repulsus a Deo, quum nunc sim fidelis (christianus), imo et apostolus, quod documento est, Deum populum suum non omnino a se repulisse. — Epitheta, quae ad vocem Israëlita addita sunt: ex semine Abrahami et tribu Benjamin, ideo posita sunt,

ut appareat, ipsum esse genuinum (germanum) Israëlitam, utpote de semine Abrahami ortum, i. e. secundum carnalem generationem Judaeum, non proselytum; — imo de tribu Benjamin, quibus verbis adhuc magis accurate suam originem Judaicam determinat. Tribus Benjamin unacum Juda et Levi Jehovae fidelis permansit, dum reliquae ab eo defecerint.

V. 2. „*Non repulit Deus populum suum, quem praescivit.*“ — Sic iterum apertis verbis rejicit illam falsam collectionem. Verbis: quem praescivit confirmat antegressam declarationem, qua dixerat, Deum non repulisse populum suum, ita ut sensus sit: Deus non potuit Israëliticum populum universum qua talem repulisse, quum eum ab aeterno ut populum suum et Christi fidem complexurum, ideoque sibi fidelem futurum, praeviderit. De verbo προέγνω, praescivit, conf. dicta 8, 29. — Per verba: populum suum intelligendus est Israëliticus populus universus, non solum Israël spiritualis (in Christum credens). — „*An nescitis, quid scriptura dicat in Elia?*“ — Israëliticum populum universum non fuisse a Deo rejectum, apostolus nunc (v. 2—6.) novo argumento inde probat, quod ex popularibus ipsius coaevis non omnes fuissent increduli, sed plures a Judaeis, fide suscepta adoptati sunt in populum Dei N. T. et participes facti bonorum populo Dei N. T. promissorum, quemadmodum et Eliae prophetae temporibus non omnes Israëlitae a cultu veri Dei ad idololatriam defecissent. — Formula: an nescitis (ἢ οὐκ οἴδατε) inservit revocando ad memoriam rem, quam nescire turpe sit, aut etiam talem, quae notissima sit, ut h. l. (cf. 1. Cor. 9, 24.). — ἐν Ἠλίᾳ, in Elia, i. e. in eo s. scripturae loco, ubi de Elia sermo est. Simili modo legitur apud Marcum (12, 26.): ἐπὶ τοῦ βάτου, in rubo, i. e. in eo scripturae loco, ubi est sermo de rubo ardenti. Est in his formula citandi libros sacros antiquis rabbinis usitata, qui certa scripturae loca, ubi haec vel illa leguntur, aut commemorato nomine personae, loci vel rei, cujus ibidem praecipue mentio fit, aut etiam verbis initialibus indicare solebant. — „*Quando conqueritur apud Deum de Israël.*“ Verba haec pendent a verbis: οὐκ οἴδατε. — ἐντυγχάνει, conqueritur, scil. Elias. — ἐντυγχάνειν κατά τινος est: accusare aliquem, conqueri de aliquo. Idipsum vult dicere auctor Vulgatae, qui habet: interpellat adversum Israël; quia interpellare aliquem inter alias etiam notat aliquem adire, vel ad preces pro aliquo faciendas, vel adversus eum, quod idem est ac: conqueri de eo. — Locus, qui nunc v. 3. et 4. adducitur, depromptus est

ex libro 3. **Regum** (19, 10. 14.), et quidem paucis exceptis juxta Septuaginta.

V. 3. *„Domine, prophetas tuos occiderunt, et altaria suffoderunt, et ego relictus sum solus, et quaerunt animam meam.“* Verba haec locutus est Elias, fugiens Jezabelem, impiissimam uxorem Achabi, regis Israëlitici, quae hunc seduxit, ut idoli Baalis cultum introduceret et prophetas sacerdotesque Jehovae, quotquot inveniri poterant, occideret. Etiam Eliae mortem minitata est, quia vehementer invehebatur in Baalis sacerdotes; quare aufugit in desertum, ibique verba haec ad Deum locutus est. — Per θυσιαστήρια (altaria) h. l. cum Estio aliisque intelligenda sunt altaria, quae passim in excelsis, studio quodam pietatis Deo vero erecta erant tempore, quo decem tribus regum suorum tyrannide prohibitae fuerunt, ne Hierosolymam ascenderent sacrificii causa. — Quamvis enim id lege vetitum esset (Deut. 16, 2.), ac recte fecerint Ezechias et Josias, reges Juda, etiam ejusmodi aras evertendo, tamen impium erat, eas subvertere odio cultus Dei Israël, uti fecerant Achab et Jezabel cum suo populo. — Solus (μόνος) relictus sum. Existimabat scil. Elias, quod jam nullus existeret cultor veri Dei, ignarus, multos adhuc esse, qui clam verum Deum colerent. Alii vero explicant: ex prophetis ego solus, reliquis occisis, superstes remansi. Cui explicationi non obstat, quod in libro 3. Regum (18, 13.) narratur, Abdiam, regis oeconomum, in illa prophetarum occisione centum prophetas in speluncis abscondisse; nam poterant illi deinde deprehensi esse et occisi. — ζητεῖν τὴν ψυχήν, animam quaerere, ex hebraismo idem ac: vitae insidiari; quum ψυχή, quae proprie denotat animam, sensu latiori significet vitam (physicam). — κατέσκαψαν, suffoderunt, i. e. suffodiendo everterunt. — Ad quaerimoniam hanc respondet ei Deus:

V. 4. *„Sed quid dicit ei oraculum?“* i. e. quid Deus oraculo respondet ei? — χρηματισμός apud profanos auctores denotat quodlibet responsum, aut monitum; in s. scriptura autem denotat speciatim responsum aut monitum divinitus datum, oraculum, ut h. l. (et 2. Macc. 11, 17.). Conferatur verbum χρηματίζω in commentar. in Matth. 2, 12. — *„Reliqui mihi ipsi septem millia virorum, qui Baal genua non flexerunt;“* i. e. non omnes, uti putas, cultu Baalis contaminati sunt, sed magnum numerum virorum per gratiam meam mihi reservavi, qui non adoraverunt idolum Baal. — Genua flectere est idem ac adorare; nam genuflexio est externa manifestatio humilis subjectionis et adora-

tionis (Cf. Phil. 2, 10.). — Textus receptus legit τῇ Βάαλ; in versione Septuaginta autem Βάαλ nunc cum articulo masculini, nunc feminini generis legitur, quia, uti multi putant, Baal erat deus androgynus, (utriusque sexus). Prorsus arbitrarie statuit Estius, τῇ Βάαλ positum esse pro: τῇ τοῦ Βάαλ, scil. εἰκόνι (imagini), aut στήλῃ (statuae). — Versu sequenti applicat exemplum prius propositum.

V. 5. *„Sic igitur etiam nunc temporis reliquiae secundum electionem gratiae factae sunt;“* i. e. sicut aetate Eliae non omnes Israëlitae a Jehova defecerant, sed adhuc nonnulli remanserant cultores ejus, ita quoque, nunc temporis, exclusis a populo Dei N. T. et a bonis ei promissis, Israëlitis plerisque, residuum aliquod fuit Judaeorum, qui fidem susceperunt, per quam adoptati sunt ad populum Dei N. T. et participes facti bonorum ei promissorum. — In verbis: κατ' ἐκλογὴν χάριτος vox χάριτος non est genitivus objecti (electio ad gratiam), sed, prouti statim sequentia docent, est genitivus subjecti, ita ut sensus sit: secundum electionem gratuitam, seu secundum electionem, quam fecit gratia, quae (electio) itaque non est tribuenda cujuspiam operibus tanquam meritis; nam electio ad novam oeconomiam (ecclesiam N. T.) et ad bona in ea promissa est gratuitum supernaturale beneficium Dei. — De voce ἐκλογή cf. 9. 11. Vulgata voces λεῖμμα γέγονεν vertit per: reliquiae salvae factae sunt; quae versio non est adversa apostoli menti, sed voci: salvae nullum vocabulum in textu graeco respondet. — Ceterum dicit apostolus in accommodando exemplo λεῖμμα, quia in proposito exemplo (v. 5.) dictum erat κατέλιπον.

V. 6. *„Si autem gratia, non amplius ex operibus; alioquin gratia non amplius est gratia.“* Ut doctrinam fundamentalem de hominis justificatione ex sola gratia imprimis inculcaret, explicat id hoc versu, data notione gratiae. — In verbis: si autem gratia, vox gratia est casus ablativi; respondet enim graeco χάριτι. — Oratio est elliptica, atque ex verbis antegressae sententiae supplendum est λεῖμμα γέγονεν; et sensus est: Si autem gratiae beneficio aliqua pars (residuum) Judaeorum, plerisque aliis (Judaeis) a populo Dei et justificatione exclusis, istius adoptionis in populum Dei et bonorum ei promissorum particeps facta est, consequitur, illos beneficia haec nullatenus ex aliquo operum merito participasse. — Nam, ubi meritum, ergo legitimum mercedis jus adest, ibi gratiae locus jam non esse potest; quia, uti ait s. Augustinus, gratia, nisi gratis

sit, gratia non est. — Simile dictum occurrit 4, 4. — Verba illa, quae in textu recepto post *γίνεται χάρις* leguntur: *εἰ δὲ ἐξ ἔργων, οὐκέτι ἐστὶ χάρις. ἐπεὶ τὸ ἔργον οὐκέτι ἐστὶν ἔργον*, sunt glossema, quamvis valde antiquum; desunt in codicibus praestantissimis (ACDEFG), in Itala et Vulgata, in multis aliis versionibus, et fere apud omnes Patres latinos. — Versu sequenti (7.) sequitur illatio ex praecedentibus (v. 2—5.).

V. 7. *„Quid igitur? Quod appetebat Israël, hoc non est consecutus; electio autem consecuta est."* — *ἐπιζητεῖν* h. l. idem ac *διώκειν* (9, 31.), studiose appetere. — *ὃ τοῦτο* est (9, 31.) nominata *δικαιοσύνη* (justitia); consecutio ejus pendet a fide. — *ἐκλογὴ* h. l. abstractum pro concreto: *ἐκλεκτοὶ* (electi), pro quo antea (v. 5.) scripsit: *τὸ λεῖμμα κατ' ἐκλογὴν χάριτος*. Electi Israëlitae consecuti sunt justitiam, quia studuerunt eam sibi comparare non quasi ex operibus, sed gratuito ex fide in Christum. Erant autem electi, quicunque oblatam omnibus justificationis gratiam sub ea, qua haec offerebatur, conditione accipere non recusabant. Cf. 9, 31. 32., ubi apostolus causam ejus rei assignaverat (et 10, 3.). Vult ergo apostolus dicere: Quum ex antea dictis consequatur, dici non posse, Deum repulisse populum suum, quid igitur dicendum est? Hoc nimirum, quod maxima pars populi Israëlitici, quae studiose appetebat justitiam, illam tamen non sit consecuta, quia eam ex operibus legis et non per fidem in Christum sibi comparare studebat; pars autem illius populi minor, a Deo ex gratia electa, justitiam illam per fidem in Christum sit consecuta. — *„Ceteri autem excaecati sunt"*, scil. a Deo. — *πωρόω* h. l. fere idem ac *σκληρύνω* (9, 18.), sed notio ejus nonnihil magis intensiva est: *πωρόω* (a *πῶρος* tophus, der Tufstein) est proprie: lapidescere facio (versteinern), dein sensu translato generatim: induro, obdurefacio, offirmo (gefühllos machen, verstocken); in N. T. *τὴν καρδίαν τινός* (aut *τὰ νοήματα τινος*) cor cujusdam indurare; et quum cor (*καρδία*) juxta usum loquendi s. scripturae designet vel intellectum vel voluntatem, *πωρόω* significat pro contextu vel aliquem ad intelligendum ineptum (hebetem) reddere, vel contumacem, obstinacem reddere; et in passivo: ad intelligendum ineptus sum, hebes sum, mente excaecatus sum; vel obstinax, contumax sum. Hic loci tanquam subjectum cogitari debet *θεός* atque haec excaecatio a Deo facta, eo modo explicanda, quo supra (9, 18.) illud: Deus, quem vult, indurat. — Vult ergo apostolus dicere: Ceteri vero, qui nimirum oblatam justifi-

ficationis gratiam per fidem in Christum accipere recusarunt, intellectu et voluntate inepti redditi sunt (a Deo) ad suscipiendam salutem in Christo, eo, (uti in sequentibus dicit), quod Deus eis gratiam suam subtraxerit. — Nunc versu 8. et 9. duobus locis s. scripturae probat, jam olim praedictam fuisse illorum obcaecationem. Vaticinium primo loco (v. 8.) adductum, compositum est ex duobus scripturae locis, scil. Jesaiae (29, 10.) et Deuteronomii (29, 4.); sed utroque loco apostolus ad sensum tantummodo recitat.

V. 8. *„Sicut scriptum est: Dedit eis Deus spiritum soporis.“* Verba haec desumpta sunt ex Jesaiae oratione acerba (29, 10.). — *κατάνυξις* (a *κατανύσσω* compungo) est compunctio (das Zerstechen); dein dolor vehemens, tristitia summa. Quum tristitia summa animum inertem faciat, ut stupeat, Septuaginta interpretes voce *κατάνυξις* utuntur etiam significatu: stupor, sopor (Betäubung), cui significatui etiam textus hebraeus favet, quum vox hebraica: thardema denotet soporem. Et hoc sensu vox *κατάνυξις* etiam in praesenti loco sumenda est. — *„Oculos, ut non videant, et aures, ut non audiant usque in hodiernum diem.“* — Verba haec desumpta sunt ex sermone valedictorio Mosis, quem ad Israëlitas habebat (Deut. 29, 4.). Sensus versus 8. est: Sicut soporatus (somni indigens) apertis oculis non videt atque apertis auribus non audit, ita contigit Judaeis tempore Christi, qui pertinaciter occludentes animum suum veritati, clare ipsis propositae, facti sunt prorsus insensibiles (mente) et quasi dementes in rebus fidei et salutis. — Qui autem pertinaciter veritati apertae resistit, hunc tandem Deus indurat, denegans ei gratiam suam ulteriorem. — Verbum *ἔδωκεν* (dedit) ita explicandum est, uti (1, 24.) verba: tradidit illos Deus in desideria corda eorum; aut (9, 18.) verba: Deus, quem vult, indurat — exposuimus. — Verbis: usque in hodiernum diem, vult s. Paulus significare, illam Judaeorum obcaecationem, qualis jam tempore patrum (majorum) eorum erat, perdurare ad ipsum illud, quo scribebat, tempus. — Nunc v. 9. et 10. alterum locum adducit s. Paulus ex psalmo 68. (hebr. 69.) v. 23. et 24., quo probet, fuisse jam olim praedictam illam Judaeorum obcaecationem et obdurationem, de qua loquitur.

V. 9. *„Et David dicit: Fiat mensa eorum in laqueum et in tendiculam et in scandalum et in retributionem.“* Locutio: *γενηθήτω . . εἰς παγίδα . . εἰς θήραν* etc. est hebraistica, dictum scil. est pro: *γενηθήτω ἡ τράπεζα αὐτῶν παγίς, θήρα* etc. Locutio

simul est metaphorica, imagine deprompta ex re venatoria ab avibus aut feris inescatis. — παγίς, laqueus, quo animal capitur; θήρα (quae vox in versione Septuaginta deest) a θηρ - θηρός fera, est proprie venatio, captio; dein instrumentum venationis seu captionis, tendicula, qua fera capitur; h. l. metaphorice ut παγίς et σκάνδαλον denotat causam interitus, exitii. De voce σκάνδαλον cf. dicta 9, 33. — ἀνταπόδομα (ab ἀνταποδίδωμι) est id, quod retributum est; sensu bono: praemium (Luc. 14, 12.), sensu malo: poena, vindicta, ut h. l. Sensus verborum apud psalmistam est: Dum incuriosi edunt et bibunt, vitaeque lautiori se committunt, eos inopinate opprimat calamitas atque exitium in justam peccatorum eorum poenam. — Dum dicit: fiat, et postea (v. 10.): obscurentur oculi eorum, sunt haec, ut dicit s. Augustinus, verba prophetantis (fiet, obscurabuntur), quibus poenae denunciantur a Messiae adversariis olim luendae; quae poenae versu 10. distinctius exprimuntur.

V. 10. *„Obscurentur oculi eorum, ne videant, et dorsum eorum semper incurva;“* i. e. spiritualiter (mente) excaecentur et obdurentur, atque calamitatibus et malis gravibus opprimantur. Loco ultimi hemistichii in textu hebraeo legitur: „Lumbos eorum perpetuo fac nutare.“ Septuaginta vero interpretes, quos apostolus sequitur, potius psalmistae mentem expresserunt, quam verba reddiderunt; qui nimirum pondere pressi dorso incedunt incurvato, illorum quoque nutant lumbi, qui sunt inferior dorsi pars. — Quod ad ipsum locum psalmi citati attinet, sequentia sunt notanda. S. psaltes summis pressus est calamitatibus ab adversariis suis. Precatur itaque Deum, ut ipsi opem ferat, quum insons ab eis vexetur, nec ullum auxilium ab hominibus speret, rogans, ut res temporales, quae illis ad vitam sustentandam et recreandam prodesse debebant, ipsis vertantur in exitium. — Davides autem erat typus Christi; adversarii vero Davidis erant typi adversariorum Christi et ecclesiae ipsius. Hinc dempta imagine vult apostolus dicere: Quod David contra adversarios suos supplex adeptus est, id impletum est nunc in Christi adversariis. Doctrina divina, evangelium, quod coram eis ceu cibus spiritualis in mensa quasi expansum est, et quod per fidem suscipere debuissent, versum est eis propter incredulitatem eorum in exitium.

V. 11. *„Dico igitur: Num offenderunt, ut caderent?“* Nexus orationis sequens est: Quia in praecedentibus dixerat apostolus,

Judaeos in Christum tanquam in lapidem offensionis impegisse, facile quis putare potuisset, actum esse de tota natione Judaica et quidem in perpetuum; quapropter quaerit nunc, utrum lapsus ille sit irreparabilis, et sine ulla spe aliquando resurgendi? Quaestione autem hac utitur, ut transeat ad enarranda altissima divinae erga Judaeos et gentiles providentiae consilia, dum docet, lapsum Judaeorum fuisse gentilibus ad salutem. — Dico igitur, i. e. quaero igitur. — *ἔπταισαν* est expressio mitior pro *ἐπωρώθησαν* (v. 7.), electa fors propter tropicum *σκάνδαλον* (v. 9.); *πταίω*, impingo pede in lapidem, offendo (straucheln). — *ἵνα* sumi potest vel *ἐκβατικῶς* (de eventu, consecutive), vel *τελικῶς* (finaliter). Si sumitur consecutive, sensus est: Quaero igitur: Num lapsus eorum talis est, ut prorsus corruerint, sine ulla spe resurgendi? — Ita Vulgata, quae ante verbum offenderunt addit vocem: ita. (Estius aliique). — Alii vero cum s. Augustino et Thoma *ἵνα* sumunt finaliter, ita ut sensus sit: Numquid Deus lapsum illorum eo consilio permisit, ut caderent, i. e. propter nullam aliam utilitatem inde consequendam, sed solum volens eos cadere (s. Thom.)? — Quae explicatio altera propter contextum praeferenda est; quia apostolus non voluit disserere de gravitate lapsus, sed declarare, quo consilio, aut quem in finem Deus lapsum illum permiserit. — *„Absit!"* Hac voce vehementer negat apostolus, lapsum Judaeorum divinitus permissum fuisse eo consilio, ut hi a populo Dei N. T. et a bonis ei promissis, in perpetuum excluderentur. — *„Sed eorum lapsu salus gentibus"* (scil. orta est.). Vult dicere: Imo vero incredulitate Judaeorum Deus usus est tanquam occasione ad conversionem et salutem gentilium. — Attamen, cum apostolus vocationem et admissionem gentilium ad fidem et ad bona novae oeconomiae tanquam sequelam incredulitatis Judaeorum h. l. proponat, hoc non ita intelligi debet, ac si gentiles illa bona novae oeconomiae non participassent, si Judaei non fuissent increduli; nam capite 4. fuse probaverat, promissiones Messianas ab initio jam etiam ad gentiles pertinuisse; sed incredulitas Judaeorum tantum occasio fuit, ut salus evangelica (in Christo) illis maturius annunciata fuerit, quam alias factum fuisset. Nam ex Dei mandato salus evangelica annuncianda et communicanda erat primum Judaeis, postea vero etiam gentilibus (Act. 13, 46.); sed hunc ordinem turbavit Judaeorum incredulitas. Quum enim hi evangelium spernerent, apostoli, ipsis relictis, conversi sunt ad gentiles, et ita factum est, ut salus evangelica gentilibus maturius offerretur participanda (Beelen). —

Sed haec anticipata gentilium conversio divinitus directa est ad Judaeorum salutem, uti statim dicit apostolus: „Ut eos ad *aemulationem provocaret;*“ i. e. ut Deus Judaeos incredulos per gentiles credentes et ita bona novae oeconomiae (ecclesiae N. T.), nominatim justificationem, participantes, ad sanctam aemulationem provocaret, atque ita et ipsi converterentur. Subjectum est *θεός*. — *παραζηλόω*, ad aemulationem aliquem provoco. — Ad vocem *σωτηρία* supplendum est *γέγονεν*. Per salutem h. l. intelligenda est salus evangelica, i. e. bona novae oeconomiae (ecclesiae N. T.), nominatim justificatio, quae jam tum per apostolorum praedicationem passim gentilibus innotuerat, et quam ob fidem, evangelio adhibitam, magna ex parte participaverant. — *ἀλλά*, imo vero (2. Cor. 1, 9.) — *τῷ παραπτώματι* dativus instrumenti; et per *παράπτωμα* intelligendus est ille lapsus, quo Judaei maximam partem ceciderant, offendentes in Jesum Messiam, seu non credentes in ipsum Messiam.

V. 12. „*Si vero lapsus eorum divitiae mundi, et diminutio eorum divitiae gentium; quanto magis plenitudo eorum.*“ — In praegresso versu docuit s. apostolus, lapsum populi Israëlitici gentilibus cessisse in salutem et spirituales veluti divitias; nunc vero hic infert, quod plenaria populi Israëlitici ad Christum conversio copiosiores divitias in gentiles effusura sit. Est nimirum argumentatio a felici effectu causae pejoris ad feliciorem effectum causae melioris (ergo a minori ad majus). Sensus est: Si incredulitas Judaeorum disponente providentia divina fuit occasio, ut gentiles gratiarum divitias, in justificatione comprehensas, reciperent; et si parvus numerus Judaeorum credentium per divinam providentiam causa fuit, ut magnus gentilium numerus fidem in Christum susciperet, — quanto majorem plenaria populi Israëlitici ad Christum conversio conferet utilitatem mundo. — Rationem hujus docte explicat s. Thomas: „Bonum est potentius ad utilitatem inferendam, quam malum; sed malum Judaeorum magnam utilitatem gentibus contulit; ergo multo majorem confert mundo eorum bonum.“ — *ἥττημα*, diminutio, uti bene vertit Vulgata; nam h. l., ubi opponitur voci *πληρώματι* (plenitudini, universalitati), solummodo potest designare diminutionem, paucitatem, i. e. partem illam populi Israëlitici parvam, quae per fidem in Christum bonorum in nova oeconomia (ecclesia N. T.) promissorum, nominatim justificationis, particeps facta est. — *κόσμος* et *ἔθνη* h. l. sunt synonyma. — Divitiae (*πλοῦτος*) sunt divitiae gratiarum in Christo, nominatim in justificatione comprehensae. — Ceterum, uti jam prius observavimus, lapsus ille Judae-

orum eatenus dicitur fuisse gentilium divitiae, quatenus occasionem praebuit ad gentiles illis gratiarum divitiis maturius ditandos. — Per *πλήρωμα αὐτῶν*, quod opponitur *τῷ ἡττήματι*, intelligenda est ea populi Israëlitici plenitudo, quae aderit, quando totus populus Israël in Christum credet.

V. 13. „*Vobis enim dico gentibus; quatenus equidem sum gentium apostolus, ministerium meum illustro.*“ Legendum est hic cum Vulgata et interpretibus graecis (juxta codd. D. E. F. G. I.) *ὑμῖν γάρ*; nam verbis hujus versus vult apostolus confirmare (*γάρ*), quod prius (v. 11.) dixerat, scil. Dei consilium esse, ut per gentiles credentes et bona novae oeconomiae, nominatim justificationem, participantes, Judaei ad sanctam quandam aemulationem provocarentur. — Sub *τοῖς ἔθνεσι* sunt intelligendi ethnicochristiani, quos alloquitur. — *ἐφ' ὅσον* non est h. l. cum Vulgata de tempore, significatu: quamdiu, sumendum; nam haud credidit apostolus, fore ut aliquando cessaret, esse gentilium apostolus; sed cum Estio tanquam annotatio causae, significatu: in quantum, quatenus. — Vocat se gentium apostolum, quia (coll. Act. 9, 15; 22, 21. Gal. 2, 7.) ei a Deo munus evangelii praedicandi praeprimis inter gentiles demandatum erat. — Particulam *μὲν* non excipit *δὲ*, sed opposita ei sententia est: *εἴπως παραζηλώσω*. — *δοξάζω*, illustro, honorifico. Vulgata habet futurum: honorificabo, quod magis quadrabat ad vocem: quamdiu. — *διακονίαν μου*, ministerium meum, i. e. apostolatum, nimirum sedulo et gnaviter illo fungendo, ut quamplurimos gentiles ad Christum perducam.

V. 14. „*Si forte carnem meam ad aemulationem provocem et salvos faciam aliquos ex eis.*“ — *μου τὴν σάρκα* est idem ac: *τοὺς συγγενεῖς μου κατὰ σάρκα* (9, 3.), cognatos meos secundum carnalem generationem. — Sensus v. 13. et 14. est: Nam vobis ethnicochristianis, qui, quum sim constitutus gentium apostolus, putare possetis, me animum in Judaeis convertendis minime occupatum habere, dico: Quatenus divinitus constitutus sum gentium apostolus, gnaviter officio meo fungor inter gentiles, ut hos ad Christi fidem perducam; sed simul etiam hac ratione Judaeis popularibus prodesse volo, si forte ob gentiles, meo ministerio salutis evangelicae participes factos, ad sanctam quandam aemulationem provocare possim fratres meos secundum carnalem generationem, atque ita nonnullorum procurare salutem.

V. 15. „*Nam si rejectio eorum, reconciliatio* (erat) *mundi, quid assumptio* (erit), *nisi vita e mortuis?*“ Hisce comprobat

(γάρ), cur tantopere desideret, ut Judaei ad aemulationem provocarentur atque ad Christum converterentur, quia consummatio (perfectio) redemptionis non prius futura est, quam totus populus Israëliticus receperit fidem Christi. — ἡ ἀποβολή, quia opponitur τῇ προσλήψει (assumptioni), est h. l. rejectio, et debet intelligi majoris partis populi Israëlitici ob ejus incredulitatem rejectio. — πρόσληψις ob antithesin est plenaria Judaeorum assumptio ad fidem, seu plenaria eorum conversio ad Christum. — Mundi (κόσμου), i. e. gentilium. -- τίς pro τί, et supplendum est: ἔσται (quid erit). — ζωὴ ἐκ νεκρῶν cum antiquis interpretibus (Orig., Chrys., Theodor., Anselm., Cajetan.) explicandum est sensu proprio de universali mortuorum resurrectione (ἀναστασις νεκρῶν 1. Cor. 15, 12. 13. 42.), non autem de spirituali resurrectione, de novitate vitae ex morte peccati (Estius); quia tali modo istis verbis nil sublimius ediceretur quam praegressa voce καταλλαγή, per quam intelligi debet id, quod antea (v. 12.) vocaverat divitias mundi, gentium. — Si vero (cum Orig., s. Chrysost., Theodoret., etc.) de universali mortuorum resurrectione explicetur, verba haec docerent, tum universalem mortuorum resurrectionem, tum finem mundi (novum coelum et novam terram) dependere a plenaria Judaeorum ad Christum conversione (cf. v. 25.). Vult ergo s. apostolus verbis hujus versus dicere: Si rejectio Judaeorum occasio fuit, ut gentiles gratiarum divitiis in Christo ditarentur, quem fructum adferet universalis Judaeorum ad Christum conversio? quem alium, quam universalem mortuorum resurrectionem? — Seu aliis verbis: Si obstinatio Judaeorum occasionem praebuit ad annunciandum evangelium in universo mundo, si ergo illa designabat initium salutis omnium hominum, scil. per justificationem; plenaria Judaeorum ad religionem christianam assumptio designabit perfectionem (consummationem) salutis (seu redemptionis).

V. 16. *„Si vero primitiae sanctae, etiam massa; et si radix sancta, etiam rami.“* Versus hic continet in forma conclusionis hypotheticae confirmationem spei, quam versu praecedenti edixerat s. apostolus, scil. fore, ut aliquando omnis populus Israëliticus ad Christum convertatur. Sententia ipsa est tropice expressa; similitudo scil. desumpta est partim ex eo, quod in lege Mosaica fiebat, partim ex ipsa natura, ab arbore. — ἡ ἀπαρχὴ sunt primitiae, quae ex copia frugum Deo consecrantur; h. l. propter vocem φύραμα (quae denotat massam seu farinam aqua subactam), significat panem primitiarum. Juxta legem Mosaicam (Num. 15, 19—21.), si massa subacta est, pars prius adimi et ex illa

panis subcinericius confici debebat, qui per sacerdotes Deo offerebatur. Per hunc Deo consecratum panem primitiarum, quaecunque massa fieret postea ex eo frumento, reputabatur sancta. — Quod autem ipsam explicationem utriusque similitudinis attinet, interpretes dissentiunt. Nonnulli s. Chrysostomum secuti, putant, per utramque metaphoram unum idemque significari, et per primitias et radicem intelligunt s. patriarchas; per massam et ramos autem christianos ex Judaeis collectos. — Sed praeferri videtur explicatio eorum (a Lap., Menoch., Tolet.), qui per primitias intelligunt apostolos et primos fideles ex Judaeis collectos. In his implicite tota Judaeorum gens erat Deo sacrata, atque ita destinata, quae ad religionem christianam assumeretur. — Per radicem autem intelligendi sunt s. patriarchae, et per ramos, omnes ex eis prognati Judaei. Hi patriarchae fuerunt sancti, per suam fidem et sanctitatem pertinebant ad veram theocratiam, quae in Christo apparuit, erant membra ejus ecclesiae, quae est catholica, i. e. complectens omnia tempora; hinc etiam posteri eorum, singuli Judaeorum destinati erant, ut ad eam (ecclesiam) assumerentur. In patriarchis ergo implicite erant omnes Judaei assumpti. — Si ita verba haec explicantur, elucet, quod etiam s. Thomas observat, „apostolum hic non loqui de actuali sanctitate; — non enim intendit ostendere, Judaeos incredulos esse sanctos, — sed de sanctitate potentiali. Nihil enim prohibet, eos reparari in sanctitatem, quorum patres et quorum filii sunt sancti". — Eodem sensu àdhibet s. apostolus vocem ἅγιος (1. Cor. 7, 14.) de liberis parentum fidelium.

V. 17. *„Si autem nonnulli ramorum defracti sunt, tu vero, cum oleaster esses, insitus es in eis, et particeps factus radicis et pinguedinis olivae;"*

V. 18. *„ne gloriare adversus ramos."* Quod apostolus jam versu praegresso innuerat, scil. ne gentiles propter suam ad fidem assumptionem superbe prae Judaeis se efferant, eosque contemnant, cum hi in suis primitiis et in radice sua Deo jam sint consecrati, id nunc v. 17. et 18. expresse pronunciat. — Persistit hic in altera imagine arboris, quum haec sit aptissima regni divini in terris (seu ecclesiae) imago. Germen ecclesiae terrae illatum erat statim post lapsum Adami in prima redemptoris promissione; radix ejus erant patriarchae (et prophetae) per suam fidem et spem in venturum Messiam; stirps hujus arboris erat theocratia (ecclesia) veteris Testamenti, summitas (corona) ejus erat ecclesia novi Testamenti.

Membra ecclesiae novi Testamenti sunt singuli rami ejus. Judaei propter suum carnalem e patriarchis (i. e. radice arboris hujus) ortum erant naturales rami ejus, quasi nata ecclesiae christianae membra. Sed propter incredulitatem suam ab hac Dei arbore defracti sunt, et in eorum locum insiti sunt gentiles, fidem habentes, qui prius in oleastro creverant, et nunc similes facti sunt ramis olivae, utpote participantes pinguedinem olivae. — Perpulchre itaque comparat s. apostolus ethnicismum ante Christi tempora (in antithesi cum Judaismo) cum oleastro. In ethnicismo enim homines propriis viribus relinquebantur, erant arbor agrestis, quae quidem flores et saepe splendentes flores mittebat, sed erant steriles flores, ex quibus fructus progerminare non poterant. Judaismus contra erat arbor, a Deo ipso plantata, culta et recta, et quae tanquam florem ultimum et pulcherrimum ferebat beatam Virginem Mariam, Deiparam (Bisp.). — *τινές*, nonnulli; ita dicit apostolus ex teneritudine et lenitate (ut 3, 3.), quamvis dicere potuisset: plerique. — *ἡ ἀγριέλαιος* (ex *ἀγρος*, agrestis et *ἐλαία*, olea) est olea agrestis, oleaster; h. l. optime sumitur adjective pro: *ἐκ τῆς ἀγριελαίου*, i. e. cum esses in oleastro natus, oleastri surculus. — *ἐνεκεντρίσθης ἐν αὐτοῖς* potest reddi vel: insitus in illis, i. e. loco seu in locum eorum, scil. ramorum defractorum; vel potest reddi: insitus inter illos, scil. ramos, qui in oliva remanserant, nec ab ea defracti fuerant. Sed prior explicatio: in locum eorum, praeferenda est, quia *τῶν κλάδων* (v. 18.) iterum sunt rami defracti. — *ἐγκεντρίζω*, insero. — Juxta repraesentandi modum, hic ab apostolo propositum, surculi feri (oleastri) arbori generosae, nobiliori (olivae) inseruntur, quum tamen ex agriculturae instituto surculi nobiliores arboribus agrestibus (sylvestribus, malis) inserantur. Sed olivae, uti antiqui et recentiores peregrinantes referunt, hoc peculiare est, ut surculi oleastri, stirpi olivae insiti, similes fiant ramis olivae (i. e. generosi), atque hanc foecundent; ita ut etiam hac ex parte apostoli modus repraesentandi non possit ineptus dici (Bisp.). — *καὶ συγκοινωνός . . . ἐγένου*, i. e. per hanc insitionem, tu gentilis, factus es verus et genuinus patriarcharum filius, particeps simul omnium bonorum ecclesiae christianae seu novi Testamenti. — Per pinguedinem intelligenda sunt omnia bona (spiritualia) ecclesiae christianae (novi Testamenti), nominatim justificatio. — Vult ergo apostolus verbis versus 17. (qui constituit protasin) et prioribus versus 18. verbis (quibus continetur apodosis) dicere: Quodsi quidam Judaei exclusi fuerunt

a populo Dei N. T. et a bonis ei promissis, in locum ipsorum autem vos gentiles illius beneficii gratuiti participes facti estis, non tamen est, quod vos gentiles hanc ob rem superbe vos prae Judaeis incredulis efferatis eosque contemnatis. — *„Si autem gloriaris, non radicem fers, sed radix te.“* Adest hic breviloquentia; quapropter ante verba: non tu radicem fers etc., suppleri debet: cogita, perpende. Verbis his superiorem admonitionem, ne scil. superbe prae Judaeis se efferant eosque contemnant, novo argumento corroborat. Apostolus vult dicere: Quodsi superbe, o gentiles! prae Judaeis vos efferatis eosque contemnatis, perpendite, salutem vestram referendam esse ad Judaeos propter eorum majores, patriarchas et prophetas, qui, quia in Christum crediderant, sunt radix fidei vestrae, ob quam nunc participatis bona ecclesiae Christi. Sic s. Paulus h. l. idem docet, ac Christus apud Joannem (4, 22.) mulieri Samaritanae dixerat: Salus est ex Judaeis.

V. 19. *„Dices igitur: Defracti sunt rami, ut ego insererer.“* — Verbis his occurrit objectioni, quam gentilis ex modo dictis ad gloriationem suam tuendam facere posset; atque sensus est: Tu gentilis, fors ex iis ipsis, quae modo dixi, arripies tibi argumentum ad gloriationem tuam adversus Judaeos incredulos tuendam, et dices: Deus incredulos Judaeos ideo rejecit, ab oliva, arbore ecclesiae, defregit, ut nos gentiles in eorum loco insereremur.

V. 20. *„Bene; incredulitate defracti sunt; tu vero fide stas.“* — Voce καλῶς (bene, recte) concedit apostolus factum, scil. gentiles fuisse insitos in locum defractorum ramorum Judaicorum; negat vero nexum causalem, scil. Judaicos ramos defractos fuisse propter gentiles inserendos, dum docet, non gentilium causa defractos fuisse, sed ob eorum incredulitatem; nec illorum defractionem causam extitisse insitionis gentilium, sed horum fidem, dum dicit: tu vero fide stas, i. e. tu vero gentilis per fidem insitus es in sacram olivam (arborem ecclesiae) et consistis ramus in ea. — *„Ne superbi, sed time;“* i. e. ideo cave, ne animo efferaris propter hoc, sed potius time, ne quando et tu, sicut Judaei propter incredulitatem ab arbore olivae frangaris et decidas. Vult ergo apostolus verbis versus 20. dicere: Concedo, insitos olivae (arbori ecclesiae) fuisse gentiles in defractorum ramorum Judaicorum loco; sed defracti illi sunt non ideo, ut tu gentilis insereris, sed ob illorum incredulitatem; tu autem per fidem insitus es in olivam (arborem ecclesiae) et con-

sistis ramus in ea. — Causam, cur timendum sit, affert versu sequenti, dum dicit:

V. 21. *„Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat;“* i. e. si enim Deus Judaeis, qui ob suam naturalem a sanctis patriarchis originem non erant insititii, sed naturales rami olivae (naturalia ecclesiae ejus membra), non pepercit, sed propter incredulitatem eorum ab oliva eos defregit (ab ecclesia expulit) — timeo sane, ne tibi gentili quoque, ramo non naturali, sed insititio, non parcat, si a fide deficias, nimirum te similiter frangendo et rejiciendo. — Si cum textu recepto et Vulgata legitur: μήπως οὐδέ . ., ante μήπως in cogitatu supplendum est: φοβοῦμαι (timeo).

Versibus 22. et 23. infert apostolus ex antea dictis adhortationem, ut gentiles diligenter considerent Dei bonitatem et ejusdem severitatem, manifestantem se in dissimili Judaeorum et gentilium sorte. Ex severitate Dei discant ethnico-christiani timere; ex bonitate autem ejus colligant, nullam sibi esse recte gloriandi et superbiendi causam.

V. 22. *„Vide igitur benignitatem et severitatem Dei; contra lapsos quidem, severitas; erga te vero benignitas, si tamen perseveraveris in benignitate; alioquin et tu excideris.“* Pro ἐπὶ μὲν τοὺς πεσόντας ἀποτομία . . χρηστότης (uti AB legunt), textus receptus et Vulgata habet accusativum: ἀποτομίαν (severitatem) et χρηστότητα (bonitatem), qua lectione constructio omnibus partibus perfecta redditur. Sed haec ipsa constructio perfecta lectionem istam critice suspectam facit; hinc lectio cum casu nominativi (uti Lachmann et Tischendorf eam exhibent), praeferenda est, et ad nominativos supplenda vox ἐστι. Ceterum sensus in substantia non mutatur. — Si perseveraveris in benignitate, scil. Dei, quod fit, si in fide (viva), bonis operibus se manifestante, sis constans. Sensus verborum apostoli hujus versus est: Considera benignitatem et severitatem (severam justitiam) Dei; in incredulos Judaeos est (seu se manifestat) Dei severitas, quum eos propter incredulitatem eorum ab oliva (ab ecclesia) defregerit; erga vos ethnico-christianos autem ejus benignitas, quum vos absque ullo merito, gratuito, ad religionem christianam vocasset, si tamen sitis constantes in fide, bonis operibus se manifestante; alioquin et vos excidemini ab oliva (ab ecclesia), sicut jam ab eadem defracti sunt illi.

V. 23. *„Sed etiam illi, si non perseveraverint in incredulitate, inserentur; potens enim est Deus, iterum inserere eos;“* i. e.

e contra Judaei, si suam incredulitatem deserant (fidem suscipiendo), denuo inserentur arbori olivae (i. e. ecclesiae); nam Deus, qui olivae inserere potuit alienae arboris ramos, tanto magis defractos ab ipsa oliva ramos, eidem rursus inserere poterit. — Hisce verbis apostolus novo argumento ostendit, non esse gentilibus, cur prae Judaeis (defractis ramis) se efferant eosque contemnant; possunt enim hi, si volunt, olivae iterum inseri. — Porro docet hisce verbis, gratiam divinam et liberam hominis voluntatem cooperari debere, ut homo ad salutem in Christo perveniat.

V. 24. *„Nam si tu ex naturali excisus es oleastro, et praeter naturam insitus es in bonam olivam; quanto magis hi, qui secundum naturam sunt, inserentur propriae olivae.“* — Versu hoc causam affert praecedentis sententiae (v. 23.), scil. Judaeos iterum posse inseri arbori olivae (ecclesiae), et quidem argumentando a difficiliori ad facilius. — Ad verba *οἱ κατὰ φύσιν* ex praecedentibus supplendum est *ὄντες κλάδοι.* Vult ergo apostolus dicere: Si vos gentiles, qui, qua tales, secundum vestram naturam, utpote ab idololatris parentibus originem suam trahentes, prorsus alieni fuistis a regno Dei, contra naturam, cum essetis oleastri rami naturales, insiti fueritis generosae olivae, facti membra regni Dei (ecclesiae), quanto facilius Judaei, qui ob suam a sanctis patriarchis originem sunt generosae olivae veluti rami naturales, naturalia regni Dei membra, suae rursus inserentur olivae, fient membra hujus regni Dei (ecclesiae). — Ceterum utriusque, Judaei et gentilis, admissio ad bona novae oeconomiae (ecclesiae N. T.) est gratuita; sed multo facilius poterat Judaeus illa bona participare, quum eum jam professio monotheismi, instituta Mosaica, promissiones Messiae patriarchis factae, et vaticinia prophetarum facilius possent movere ad amplectendam fidem, per quam poterat particeps fieri illorum bonorum, nominatim justificationis.

V. 25. *„Nolo enim vos ignorare, fratres, mysterium hoc, (ut non sitis vobis ipsis sapientes), obdurationem ex parte contigisse Israëli, donec plenitudo gentium intraverit.“* — Quod apostolus prius (v. 23. seq.) a Deo sperandum esse docuit, hoc nunc disertis verbis declarat, scilicet futurum esse, ut populus Israëliticus universus convertatur ad fidem et bona novae oeconomiae (ecclesiae N. T.), nominatim justificationem, participet. — Loquitur h. l. s. apostolus tanquam propheta de futura Judaeorum sorte, et verba ipsius illustrant multa V. T. loca pro-

phetica, in quibus obscure sors populi Judaici significatur. (Cf. Ezech. c. 37.). — οὐ γὰρ θέλω . . ἀγνοεῖν; verba haec sunt formula, saepe ab apostolo adhibita, quando aliquid novum et grave annunciat. Cf. dicta, 1, 13. — μυστήριον, proprie adjectivum a μύω, claudo, occludo, dicitur res arcana, hominibus nondum cognita. Ita a profanis scriptoribus mysteria vocabantur doctrinae, nonnisi altiori indagini aut initiatis patentes, rudiori autem plebi extraneisque occlusae et absconditae. In N. T. autem adhibetur vox haec praeprimis de consiliis (decretis), institutionibus et doctrinis divinis, ab initio et ab aeterno soli Deo notis et ab eo cognitis (in sinu ejus quasi reconditis, Ephes. 3, 9.), omni creaturae (hinc et hominibus) in se absconditis, quae per divinam demum revelationem aut illustrationem hominibus notae fiunt. S. Paulus vocem μυστήριον praeprimis adhibet de divinis decretis, quae spectant ad regnum Messianum (ecclesiam N. T.) ejusque evolutionem, quae (decreta divina) speciali revelatione (ἀποκάλυψις) ei manifestata sunt. (Cf. 1. Cor. 15, 51. Ephes. 3, 4. 5.). — Hic loci μυστήριον denotat idem ac ἀποκάλυψις μυστηρίου, revelatio arcani, scil. decreti. — ἵνα μὴ . . . . φρόνιμοι. Hisce declarat, cur arcanum illud eis notum faciat; quasi diceret: Arcanum illud vobis notum facio, ne vestro judicio (ἑαυτοῖς) sapere videamini, putantes, veram esse vestram opinionem, populum Israëliticum in perpetuum a Deo rejectum esse. — ὅτι πώρωσις . . . . εἰσέλθῃ; hisce verbis pandit apostolus, quodnam sit illud arcanum, quod divinitus edoctus hic cum hominibus communicat. — ἀπὸ μέρους pertinet ad verba πώρωσις γέγονεν, i. e. non omnem populum Israëliticum, sed partem ejus aliquam (maximam) obduratio (contumacia) occupavit. πώρωσις est vel obduratio (contumacia), vel excaecatio. Vide dicta v. 8. de verbo πωρόω. — ἄχρις οὗ τὸ πλήρωμα , . εἰσέλθῃ, scil. εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ, i. e. quae obduratio durabit, donec gentilium universitas in ecclesiam per fidem intraverit. — πλήρωμα τῶν ἐθνῶν est gentilium universitas. Ex verbis s. apostoli permulti recte colligunt, universitatem illam non esse referendam ad omnes et singulos homines gentiles, sed ad omnes et singulas gentes (nationes). S. Thom.

V. 26. *„Et ita omnis Israël salvabitur;"* i. e. et tunc, quando gentilium universitas in ecclesiam ingressa fuerit, populus Israëliticus universus per fidem intrabit in ecclesiam Christi et bona illius participabit. Vox πᾶς debet intelligi de populo Israëlitico universo; opponitur enim verbis ἀπὸ μέρους. Sed simul

tenendum est, apostolum h. l. loqui de populo Israëlitico et de gentilibus tanquam de gentibus (nationibus). Conversio vero gentium (nationum) non comprehendit necessario etiam conversionem singulorum hominum. — *„Sicut scriptum est: Veniet ex Sione redemtor, et avertet impietates a Jacob.“* — Quod modo apostolus de futura populi Israëlitici universi ad Christum conversione dixerat, id confirmat Jesaiae vaticinio (59, 20. seq.), quod tamen libere juxta versionem Septuaginta recitat, desumptis in altera versus 27. parte nonnullis verbis ex alio Jesaiae loco (27, 9.). — Pro ἐκ Σιὼν (ex Sione) Septuaginta habent ἕνεκα Σιὼν (propter Sionem), quae discrepantia, uti Estius putat, inde orta esse videtur, quia apostolus ad alia loca similia scripturae respexit, quae Salvatorem promittunt e Sione oriturum (ut psal. 13. 52. et 109.) — Ex Sion, i. e. e gente Judaica et stirpe regia Davidis; nam Sion erat civitas Davidis ac sedes regni (Estius). — ὁ ῥυόμενος est liberator, redemptor (a ῥύομαι eripio, libero). Propheta, uti s. Paulus h. l., per τὸν ῥυόμενον intelligit Messiam. — καὶ ἀποστρέψει . . et avertet impietates, i. e. auferet et abolebit impietatem, obdurationem (contumaciam). — A Jacob, i. e. a posteris Jacobi, qui alio nomine dictus est Israël, seu a populo Israëlitico (qua natione). — Sensus ergo est: Ex gente Judaica atque ex ipsa regia stirpe Davidis nascetur Redemptor, Messias, qui auferet et abolebit impietatem, obdurationem populi Israëlitici.

V. 27. *„Et hoc illis a me foedus, quando abstulero peccata eorum;“* i. e. et ego Deus cum hoc populo credente foedus inibo, postquam abstulero peccata non aliquorum e populo, sed totius populi. — αὐτοῖς dativus commodi.

V. 28. *„Quod attinet ad evangelium quidem, inimici propter vos; quod autem attinet ad electionem, dilecti propter patres.“* — Quum apostolus dixisset, populum Israëliticum universum bona ecclesiae N. T. participaturum esse (v. 26.), poterat id cuidam incredibile videri, existimanti, illum populum ob incredulitatem suam non posse non esse Deo exosum. Dubitationi huic occurrit apostolus, dum docet, populum Israëliticum, quamvis ratione habita evangelii, quod rejecerat, sit Deo exosus, tamen ratione habita electionis, qua Deus populum Israëliticum in populum suum peculiarem sibi elegisset, perpetuo illi esse carum. — Subjectum in utraque sententia h. l. est οἱ Ἰουδαῖοι; ἐχθροί vero (ad quam vocem suppleri debet θεοῦ), quia opponitur sequenti voci ἀγαπητοί, denotat hic: exosi. — δι' ὑμᾶς, propter vos,

i. e. ethnico-christianos, ut scil. vos ethnici ex occasione incredulitatis Judaeorum ad fidem et salutem perveniatis. Cf. dicta v. 11. — ἀγαπητοί . . πατέρας, i. e. quatenus autem in majoribus, in s. patriarchis, qui ob fidem et pietatem Deo placuerunt et quibus Deus promisit, se fore Deum seminis (posterorum) eorum, in populum ipsius peculiarem electi sunt, sunt Deo cari. — Vult ergo verbis v. 28. apostolus dicere: Judaei, quod attinet ad evangelium, quod respuunt, sunt quidem Deo exosi, et quidem vestro bono, o gentiles, ut scil. ex occasione evangelii, a Judaeis rejecti, vos per fidem salutem participetis; — quod vero ad electionem attinet, qua Deus olim Judaeos in populum suum peculiarem sibi elegit, perpetuo illi sunt cari propter s. patriarchas, quibus promisit, se fore Deum seminis (posterorum) eorum.

V. 29. *„Sine poenitentia enim sunt dona et vocatio Dei."* Verbis his probat, quod modo (v. 28.) dixerat, scil. Judaeos Deo esse caros propter patres — ἀμεταμέλητος (ex α priv. et μεταμέλομαι, poenitet me), est proprie: a poenitentia liber (impoenitibilis); quum autem in poenitentia sit semper mutatio mentis, est dein etiam: immutabilis, constans (2. Cor. 7, 10.). — Loquitur apostolus h. l. de promissis divinis, absolute et sine conditione factis. — χαρίσματα, dona, beneficia, h. l. sunt dona, beneficia promissa, i. e. dona, beneficia, quae in promissionibus divinis, patriarchis factis, consistunt. (Cf. Deut. 4, 37; 7, 6. 7. Levit. 26, 44. Jerem. 31, 35.). — In voce χαρίσματα latet notio generalis, quae per vocem κλῆσις clarius determinatur. Vult ergo apostolus dicere: Immutabilia sunt Dei decreta et promissa (absolute et sine conditione facta); hinc et beneficium vocationis seu electionis illius, qua Deus Judaeos in populum suum peculiarem sibi in perpetuum elegit, tale est; ideo non obstante Judaeorum incredulitate vocatio illa, qua Deus Judaeos in populum suum peculiarem sibi in perpetuum elegit, suo tempore effectum suum consequetur. — Judaeorum salutem a Deo expectandam esse, quamvis nunc non credant, confirmat nunc (v. 30–32.) simili exemplo gentilium.

V. 30. *„Sicut enim vos aliquando non obedivistis Deo, nunc vero misericordiam consecuti estis inobedientia illorum;"*

V. 31. *„ita etiam hi nunc non obediverunt, ut vestra misericordia et ipsi misericordiam consequantur."* — ἀπειθέω, mihi persuaderi non patior, renitor, non obedio. — ἀπείθεια est inobedientia. Quum apostolo fides sit obedientia, incredulitas vero inobedientia, ἀπειθεῖν h. l. quoad sensum non est diversum

ab ἀπιστεῖν (non credere), et vox ἀπείθεια non diversa ab ἀπιστία (incredulitate). — Vox ἵνα (v. 31.) est finaliter sumenda, hoc sensu: Deus inobedientiam Judaeorum ad certum permisit tempus eo consilio, ut et ipsi olim Dei misericordiam experiantur. — ὑμεῖς, vos, scil. gentiles. — ποτέ, aliquando, scil. ante Christi adventum. — οὐκ ἠπειθήσατε, non obedivistis; quomodo non obediverunt, apostolus antea (1, 18—26.) exposuit. — νῦν, nunc, i. e. post Christi adventum. — τῇ τούτων ἀπειθείᾳ (est dativus instrumenti), per inobedientiam illorum, scil. Judaeorum, quatenus, uti supra (v. 11.) diximus, Judaeorum incredulitas occasio exstitit, ut evangelium gentilibus praedicaretur maturius, quam alias factum fuisset. — οὕτω καὶ οὗτοι, ita etiam hi, scil. Judaei. — νῦν, nunc, cum Christus venisset. — τῷ ὑμετέρῳ ἐλέει est dativus instrumenti. Nonnulli verba haec trahunt ad verbum ἠπείθησαν, ita etiam Vulgata facit, quae primam versus 31. partem ita reddit: „ita et isti nunc non crediderunt in vestram misericordiam“, quod s. Thomas ita exponit: non crediderunt in gratiam Christi, per quam misericordiam consecuti estis, vel: non crediderunt, ut per hoc pervenirent in vestram misericordiam. Sed parallelismus et antitheticum τῇ ἀπειθείᾳ postulant, ut verba illa referantur ad sequentia ἵνα . . . ἐλεηθῶσι, et reddantur: vestra misericordia, seu: per vestram misericordiam, i. e. per misericordiam vobis impertitam. Posita autem sunt illa verba ante ἵνα emphaseos (gravitatis) causa. — Ceterum apostolus etiam hic iterum loquitur de gentilibus et Judaeis, non qua individuis hominibus, sed qua gentibus. Vult ergo apostolus verbis v. 30. et 31. dicere: Sicut vos gentiles aliquando (ante Christi adventum) Deo non obedivistis et increduli fuistis, nunc autem, cum Christus venisset, occasione inobedientiae, incredulitatis Judaeorum, Dei misericordiam consecuti estis (adducendo vos ad fidem), — ita etiam Judaei, cum Christus venisset, increduli sunt, ut per misericordiam, vobis impertitam, et ipsi misericordiam consequantur, nimirum vestro provocati exemplo resipiscentes et in Christum credentes.

V. 32. *„Conclusit enim Deus omnes in inobedientiam, ut omnium misereatur“,* i. e. omnes homines, gentiles et Judaeos, Deus permisit in incredulitatem successive (primum gentiles, dein Judaeos) dilabi, ex qua nullo modo poterant se ipsos suis viribus eximere, ut sic suam misericordiam erga omnes, Judaeos pariter ac gentiles, exhiberet, atque omnes agnoscerent, salutem eorum non propriis (humanis) viribus, sed gratiae Dei esse in acceptis

referendam. — συγκλείειν εἰς τι aut ὑπό τινος (Gal. 3, 22. ὑπὸ ἁμαρτίαν), concludere aliquem in aliquid aut sub aliquo, ex Hebraeorum loquendi modo ducta metaphora, idem est ac: tradere aliquem in cujuspiam rei aut personae potestatem, adeoque locutio haec respondet illi apostoli (1, 24.).: tradidit illos Deus in immunditiam; quapropter verba: conclusit Deus, eodem modo explicanda sunt, quo exposuimus verba; tradidit Deus. — Dum apostolus dicit: omnes (τοὺς πάντας), id non de singulis hominibus, sed de gentibus (populis) intelligendum est; nam non prorsus omnes ex Judaeis erant increduli, multi ex illis crediderunt; nec singuli (Judaeorum et gentilium) misericordiam consecuti sunt, cum multi ob incredulitatem perierint. Attamen tam ex gentilium, quam Judaeorum populo, multi fuerunt fideles, et multi misericordiam consecuti sunt (Cf. commentar. in Joann. 1, 12.). — Ad hanc incredulitatis successionem intelligendam sequentia consideranda sunt: Initio mundi omnes in vera religione vivebant; gentiles primo in idololatriam delapsi sunt, viventes, tanquam filius prodigus in evangelio, remoti a Deo et dotes spirituales vita perversissima dissipantes. Deus per Abrahamum, deinde per Mosen foedus cum Judaeis inivit, ipsique verum Deum coluerunt. Ast postmodum Christum et evangelium repulerunt; illorum incredulitatis occasione ad gentiles delatum est evangelium; gentiles in Christum crediderunt verumque Deum coluerunt, Judaei vero rejecti sunt a Deo, et Judaismus, repulso Messia, qui erat ejus anima, factus est veluti cadaver, quod in Hierosolymae excidio sepulturam nactum est; populus vero Judaicus nunc per 18 saecula vivit absque Messia, absque lege, absque templo, absque sacrificio, absque regno, vagans (velut spiritus erraticus) per orbem terrarum. Sed circa finem mundi, quando universitas gentilium in ecclesiam intraverit, Judaei fidei doctrinam recipient, et unacum gentilibus unam conflabunt ecclesiam. — S. apostolus, oculis propheticis perspiciens historiam regni divini his in terris, et considerans Dei erga Judaeos et gentiles agendi rationem, qua utrosque successive (primum gentiles et dein Judaeos) in malitiam, in incredulitatem dilabi permisit, eo consilio, ut erga omnes, Judaeos et gentiles, misericordiam suam exhiberet, erupit in admirationem bonitatis, sapientiae et scientiae Dei, dum dicit:

V. 33. *„O profunditatem divitiarum et sapientiae et scientiae Dei! quam inscrutabilia sunt judicia ejus, et quam absconditae viae ejus!“* — Vulgata cum pluribus Patribus particulam καὶ post

πλούτου non legit; nam ita habet: O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei. Juxta hanc lectionem genitivi *σοφίας* et *γνώσεως* dependent a voce *πλούτου*, et *βάθος πλούτου* est idem ac *βαθὺς πλοῦτος:* O profundas divitias sapientiae et scientiae Dei! — Si vero, uti Graeci omnes legunt, post *πλούτου* legitur *καὶ*, omnes isti tres genitivi sibi sunt coordinati, et dependent a voce *βάθος*. Lectio haec Graecorum postulatur ab ipso contextu; nam, sicut v. 34. respicit sapientiam et scientiam Dei, quae in illa exclamatione nominatae fuerunt, ita etiam v. 35. ad aliquod Dei attributum, in illa exclamatione expressum, referri debet, nimirum ad gratuitam Dei bonitatem, seu misericordiam. – Verbis: *βάθος πλούτου* vult apostolus designare divitias copiosissimas divinae misericordiae, seu gratuitae bonitatis, qua omnium, gentilium et Judaeorum, misertus est, atque in omnes, gentiles et Judaeos, qui in eum credunt, gratiae suae divitias effundit (cf. 10, 12.). S. Paulus vocem *πλοῦτος* saepe adhibet, eo sensu, quo speciatim divitias gratuitae bonitatis, seu misericordiae Dei aut Christi, denotat (Ephes. 3, 8. Rom. 10, 12. Phil. 4, 18.). — *σοφία* est Dei sapientia, quae universa optime regit atque ad finem ultimum dirigit; — *γνῶσις* vero est cognitio mediorum et viarum, quae ad hunc finem ducunt. Dicuntur autem sapientia et scientia Dei hic profundae, quatenus sunt abditissimae et humanae perscrutationi imperviae, uti statim sequentia verba docent, quibus profunditas sapientiae et scientiae explicatur. — Judicia (decreta) Dei sunt inscrutabilia homini, quum primo gentiles, dein Judaeos repulerit; viae (media) sunt impervestigabiles, quum tam Judaeos, quam gentiles, primo repulsos, tamen ad unum eundemque finem ducat.

V. 34. *„Quis enim cognovit mentem Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?“* — Verbis his probat (*γὰρ*), quod in antegressa exclamatione dixerat, scil. inscrutabilia esse judicia Dei et impervestigabiles vias ejus. Prima quaestio respicit *σοφίαν* Dei ejusque judicia inscrutabilia; altera vero *γνῶσιν* Dei ejusque vias absconditas; utraque desumpta est ex Jesaia (40, 13.) et fere verbotenus juxta Septuaginta adducta. Sensus est: Quis unquam mente sua cognovit sapientiam Dei ejusque judicia (decreta), secundum quae alterum vocat et eligit ad fidem christianam et justificationem per fidem, alterum obdurari permittit; gentiles ad salutem in Christo ducit, et Judaeos in incredulitatem cadere permisit? Aut quis unquam in seligendis viis et mediis,

quibus Deus omnes, Judaeos et gentiles, ad unum eundemque finem (ad salutem in Christo) ducere vult, consiliarius ejus fuit?

V. 35. *„Aut quis antea dedit ei, quod retribuatur ei?“* Hic probat id, quod in sua exclamatione dixerat: O copiosissimas divinae misericordiae divitias! Probat autem copiosam Dei misericordiam inde, quod Deus omnes, Judaeos et gentiles, gratuito justificet. — Verba haec desumpta sunt ex libro Jobi (41, 3.) juxta textum hebraicum. Vult ergo apostolus dicere: Deus nulli debitor est, nulli ullo jure aut titulo obstringitur, quia nemo hominum est, qui Deo aliquid donare possit, ita ut Deus illi rependere debeat; quapropter nemo potest sibi jus vindicare ad beneficia divina, hinc nec ad regnum Messianum, ad fidem christianam; vocatio enim et assumptio ad fidem christianam et justificationem per fidem, est gratuita, nullo jure debita gratia (seu beneficium) Dei. — In verbis *καὶ ἀνταποδοθήσεται* particula *καὶ* reddi debet per: quod (dass).

V. 36. *„Quoniam ex eo, et per eum et ad eum omnia* (scil. sunt).“ Verbis his probat antegressam sententiam, scil. quod a nemine quidquam Deo tribui possit, ita ut Deus illi rependere debeat. — *πάντα*, omnia, i. e. universitas rerum creatarum. — *ἐξ αὐτοῦ*, ex eo, i. e. ex Deo Patre, tanquam causa prima, ideali; — *δι᾽ αὐτοῦ*, per eum, i. e. per Deum Filium, tanquam causam effectricem; *εἰς αὐτὸν*, ad eum, i. e. ad Deum Spiritum, tanquam causam finalem, quatenus hic creaturam iterum cum Patre unit. Ex quo consequitur, omnia a Deo pendere et ipsius esse omnia. (Cf. commentar. in evang. s. Joan. 1, 3.). — *„Ei gloria in saecula;“* i. e. glorificetur seu celebretur in omnem aeternitatem. — *„Amen“*, i. e. ita fiat.

Sectio II., practica seu paraenetica, a c. 11—15, 13.

Caput XII.

Argumentum. Exposita doctrina de gratuita justificatione per fidem, transit nunc apostolus ad praecepta morum. Et quidem hoc capite lectores in universum monet, ut agant vitam christiano homine dignam, ut Deo sese consecrent totos

(1—2.); dein (3—8.) autem ad particularia descendit, atque primo illis dat monita ad rectum usum donorum gratiae (charismatum); tandem ad varias virtutes exercendas eosdem adhortatur (9—21.).

V. 1. „*Obsecro itaque vos, fratres, per Dei misericordiam.*" Particula *οὖν* referenda est ad totam orationem antegressam, ita ut sensus sit: Quum igitur talis tantaque fuerit Dei erga vos misericordia, conspicua nimirum in gratia justificationis, per ipsam illam Dei misericordiam vobis impartitam exhortor vos. — *παρακάλω*, exhortor, obsecro. — *οἰκτιρμοὶ*, viscera; quum veteribus viscera essent sedes animi commotionum, ut amoris, misericordiae, vox haec tropice (causa pro effectu) designat etiam misericordiam. — „*Ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem;*" i. e. ut in gratitudinis monumentum Deo offeratis corpora vestra victimam viventem, scil. fide et charitate. — *παραστῆσαι* a *παρίστημι*, juxta aliquem sisto, sisto, admoveo, exhibeo. Desumpta est vox haec ex Judaeorum ritu sacrificali, juxta quem victima primo ad altare ducebatur, et dein coram Deo tanquam omni labe carens sistebatur. — Apostolus dicit corpora vestra et non: vos ipsos, quia significare vult, christianum vere talem etiam corpus suum Deo consecrare debere. — Porro dicit viventem victimam, ut distinguat a victimis cultus levitici, quae antea occidebantur; sed h. l. voce: viventem indicat vitam sublimiorem, veram, in fide et charitate. — „*Sanctam, Deo placentem*", i. e. incontaminatam (omni labe peccati carentem) et per hoc Deo gratam et acceptam (cf. 6, 13.). — „*Quod est spiritualis cultus vester;*" quasi diceret: Quae corporum vestrorum oblatio est cultus vester spiritualis. — Nam verba haec sunt appositio ad integram sententiam antegressam, et accusativi ita resolvi debent: *ἥτις ἐστι ἡ λογικὴ λατρεία ὑμῶν.* — *λογικὴ*, rationalis, spiritualis, qui (cultus) in mente et animo situs est ad differentiam cultus externi atque corporei Judaeorum. Vocem *λατρεία*, cultus, Vulgatae auctor vertit h. l. (et 9, 4.) per: obsequium. Estius putat, eo tempore, quo Vulgata conficiebatur, eum fuisse usum loquendi, ut obsequium etiam de cultu religioso diceretur.

V. 2. „*Et ne conformate vos huic saeculo, transfigurate vos renovatione mentis vestrae.*" Dum Vulgata et textus receptus h. l. legit imperativos: *συσχηματίζεσθε* et *μεταμορφοῦσθε*, alii legunt infinitivos, sensu non diverso. Stante altera lectione infinitivi isti pendent a verbo praegresso *παρακάλω* (v. 1.). — *συσχηματίζεσθαι*

τινι (in medio) notat: sibi sumere idem σχῆμα (eundem habitum), quod habet alter, ergo conformare se alicui (cf. 1. Pet. 1, 14.). — Phrasis: ὁ αἰων οὗτος desumpta est ex usu loquendi Rabbinorum, juxta quem αἰων οὗτος, designat tempus antemessianum, dum αἰων μέλλων, denotat tempus Messianum. Si phrasibus his Christus et apostoli utuntur, significat αἰων οὗτος tempus christianum ante Christi adventum ad judicium; αἰων μέλλων vero tempus post adventum Christi ad judicium. — Relate vero ad singulos homines formulae istae revera designant fines inter tempus in hoc mundo ante judicium particulare, et inter tempus in futuro mundo post judicium particulare.[1]) Hic loci vox αἰων ad instar hebraicae vocis olam, quia tempus non potest cogitari sine rebus in ipso, metonymice denotat mundum, et quidem (coll. 1. Cor. 2, 6. 8. cum 1, 20.) mundum alienum a Christo, et per metonymiam (continens pro contento) homines, qui sectantur hujus mundi (alieni a Christo) voluptates et commoda suisque serviunt cupiditatibus, seu qui impii sunt moribusque corrupti. — ἀνακαίνωσις τοῦ νοὸς, renovatio mentis est regeneratio ex Christo per Spiritum sanctum, transitus ex veteri, corrupta forma, quam ex Adamo accepimus, in novam formam, Christi, seu vitam novam, gratiae. Vult igitur apostolus dicere: Ne imitemini mores hominum corruptorum, sed tales exprimite mores, qui conveniunt illi mentis innovationi, quae vobis per gratiam justificationis in baptismo obtigit. Cf. 6, 4, 7. 6. — *„Ut probetis, quae sit voluntas Dei, quod bonum et gratum et perfectum.“* Verbis his indicat effectum, quem habere debeat illa transfiguratio. — δοκιμάζειν h. l. explorare, examinare, probare. — τό ἀγαθὸν, εὐάρεστον, τέλειον non sunt epitheta vocis θέλημα, sed sunt adjectiva substantive sumpta, ergo appositio ad: τὶ τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ, quibus adjectivis proprie una res exprimitur, et sensus est: Ut diligenter studeatis cognoscere, quid ab ipsis fieri velit Deus, quod sit bonum, Deo gratum et perfectum.

V. 3. *„Dico nimirum per gratiam, quae data est mihi, cuique ex vobis.“* — Post generalem admonitionem transit nunc ad danda specialia praecepta, Romanis christianis opportuna. — γὰρ h. l. est particula declarantis valetque: nimirum. — διὰ χάριτος . . μοι, per gratiam mihi datam. Per gratiam h. l. intelligit munus suum apostolicum, gratuito illi a Christo collatum

---

[1]) Cf. Reischl in Matth. 12, 32.

(cf. Ephes. 3, 8.). Allegat auctoritatem suam apostolicam, ne videatur arroganter agere, quod Romanis praecipiat (Estius). — λέγω h. l. praecipio; ab hoc verbo pendent infinitivi sequentes ὑπερφρονεῖν et φρονεῖν. — *„Ne justo praeclarius de se sentiat, quam oportet sentire, sed ut sentiat* (de se), *ut modeste de se sentiat.“* In graeco adest elegans paronomasia. φρονεῖν notat: sentire, judicare, scil. de se. — ὑπερφρονεῖν est: justo praeclarius de se sentire: παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν, ultra id, quod oportet de se sentire; hisce explicatur verbum ὑπερφρονεῖν. — σωφρονεῖν est: modeste sentire (scil. de se.). — *„Prout unicuique Deus distribuit mensuram fidei;“* i. e. intra fines fidei et doni gratuiti, sibi a Deo collati. In graeco adest trajectio: ἑκάστῳ ὡς pro: ὡς ἑκάστῳ. — Per fidem h. l. intelligendum est donum fidei christianae et etiam dona gratuita (charismata, sic dictae gratiae gratis datae), quae in primitiva ecclesia fidelibus a Spiritu sancto conferri solebant. Nominat autem solam fidem, quia haec erat causa sive radix, unde varia illa dona fidelibus pro Dei arbitrio provenirent.

V. 4. *„Sicut enim in uno corpore membra multa habemus, omnia autem membra non idem habent negotium;“*

V. 5. *„ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem* (sumus) *alter alterius membra.“* — Dari diversa dona, illustrat s. apostolus similitudine sumpta a corpore humano, et quidem aptissime; loquebatur enim de mystico Christi corpore, quod est ecclesia. Eadem similitudo fusius proposita legitur 1. Cor. 12, 12. Corpus humanum ex multis constat membris, quorum quodvis suam habet functionem (officium), atque ad eam peragendam a creatore aptum constitutum est; attamen non sibi soli operatur, sed toti corpori. Ita in ecclesia; haec est unum corpus (mysticum), cujus caput est Christus, membra vero ejus sunt fideles. Quivis fidelis (seu christianus) non sibi soli operatur, sed etiam debet aliis operari. In Christo, capite hujus corporis, est plenitudo gratiae et veritatis; de hac plenitudine quodvis membrum juxta mensuram suae fidei accipit dona gratuita in salutem totius. — πρᾶξις h. l. non est actus (uti Vulgata habet), sed negotium, officium. — ἐν Χριστῷ, in Christo, i. e. Christo per baptismum veluti incorporati (cf. 6, 11.). — ὁ δὲ καθ' εἷς est proprium linguae graecae aevi sequioris, atque dictum pro: ὁ εἷς καθ' ἕνα, i. e. singuli.

V. 6. *„Habentes dona secundum gratiam, quae data est nobis, diversa;“* quasi diceret: Habentes dona varia, prout Deus

unicuique per suam gratiam largitus est. — Participium ἔχοντες cohaeret cum praecedente verbo: ἐσμεν (sumus v. 5.), atque integra sententia respondet antegressae: omnia membra non idem habent negotium (v. 4.). — Particulae δὲ respondet omissa particula μὲν in οὕτως οἱ πολλοὶ. Oratio apostoli in sequentibus (qua exhortatur, ut quisque modeste suo utatur dono) est elliptica, et post singula dona supplendum est vel ἔστω vel ἐχέτω αὐτήν. — „*Sive prophetiam,*" scil. habentes; i. e. si cui contigit donum prophetiae. Per prophetiae donum, uti recte observat Estius (1. Cor. 14, 1.), universe intelligi debet donum, quo quis ex inspiratione divina cognosceret ac proferret occulta quaedam, sive illa futura essent, sive essent scripturarum difficilium et obscurarum, maxime propheticarum, explanationes, sive alia quaedam ad christianam doctrinam illustrandam aut ad pietatem promovendam pertinentia. — „*Secundum rationem fidei*", scilicet eam habeat, seu: dono illo utatur secundum mensuram fidei, ipsi concessae. Juxta hanc explicationem vox πίστις sumitur sensu subjectivo, de fide, qua creditur; ἀναλογία autem explicatur de proportione, ratione, mensura, cui explicationi praegressa (v. 3.) favere videntur. Alii vero cum Estio vocem πίστιν sumunt sensu objectivo de doctrina christiana, et vocem ἀναλογία significatu: norma, ita ut sensus sit: Utatur dono illo doctrinae revelatae conformiter, nil praenuncians vel pro scripturae interpretatione afferens, quod non sit doctrinae revelatae conforme. Cui explicationi favet locus 1. Thess. 5, 20. 21.

V. 7. „*Sive ministerium*", scil. habentes; seu: si cui contigit aliquod ministerium ecclesiasticum. Per διακονίαν, quia articulus deest, non est stricto sensu intelligendum officium diaconatus, sed ministerium ecclesiasticum universum in omnibus gradibus. — „*In ministerio*", scilicet maneat, seu: in hujus ministerii functione versetur modeste et sobrie. — „*Sive qui docet*", i. e. si quis habet gratiam docendi, seu ea, quae novit, aptis et convenientibus verbis explicandi aliisque tradendi. — „*In doctrina*", scil. maneat, i. e. doceat, seu munere hoc modeste fungatur.

V. 8. „*Sive qui exhortatur*", i. e. si quis habet gratiam exhortandi, seu animum aliorum oratione sua excitandi et commovendi ad actiones pietatis. — „*In exhortatione*", scil. maneat, i. e. exhortetur, seu munere suo modeste fungatur. — „*Sive qui distribuit.*" Per vocem μεταδιδούς nonnulli recentiores intelligunt eum, cui officium contigit, publicas eleemosynas in pauperes distribuendi, v. c. diaconi. Alii vero, quia jam prius (v. 7.) de iis sermo erat,

vocem istam intelligunt de tali, cui donum divinitus concessum est, ut liberalem se praestaret erga egenos; cui explicationi autem id obstare videtur, quia v. 9. transitus fit ad virtutes christianorum communes inculcandas. — *„In simplicitate“*, i. e. faciat id sincero animo sine respectu proprii commodi ac sine personarum acceptione. S. Chrysostomus verba: *ἐν ἁπλότητι* interpretatur: liberaliter, largiter. — *„Qui praeest“*, i. e. qui gubernandae ecclesiae praeest (uti episcopus, pastor); seu generatim: cui ceteros regendi cura commissa est, uti rectio nosocomiorum, viduarum, pupillorum, virginum. — *„In studio“*, i. e. diligenter et sedule muneri suo incumbat. — *„Qui miseretur“*, i. e. cui commissa est cura miserorum (aegrotantium potissimum). — *„In hilaritate“*, scil. faciat, seu: hilari animo officio hoc fungatur. Ii enim, ut bene observat Estius, quos morbus affligit et contristat, ex alacritate et promptitudine eorum, a quibus juvantur, capiunt consolationem.

V. 9. *„Amor non simulatus“*, scil. sit. Nunc post particularia illa monita (3—8.) de recto usu charismatum, transit apostolus ad inculcandas varias virtutes omnibus Romanis christianis necessarias. — *ἀνυπόκριτος*, non larvatus, non fucatus, non simulatus, i. e. ex animo proveniens. Post hanc vocem supplendus est imperativus *ἔστω*. — Per *ἀγάπην* intelligendus est amor in Deum et proximum. — *„Abhorrentes malum, adhaerentes bono.“* Ad participia haec et ea, quae tribus versibus sequentibus leguntur, supplendum est *ἦτε* (sitis). — *ἀποστυγεῖν*, abhorrere, detestari. — *τὸ πονηρὸν* est malum morale (vitia) et *τὸ ἀγαθόν* bonum morale (virtutes animi). — *κολλᾶσθαι*, agglutinari, intime adhaerere, conjungi alicui. Vult ergo apostolus dicere: Quod malum est, detestamini, bono autem adhaerete.

V. 10. *„Ad charitatem fraternam quod attinet tenerrime vos invicem amantes.“* *τῇ φιλαδελφίᾳ* est dativus respectus, uti duo sequentes dativi *τῇ τιμῇ* et *τῇ σπουδῇ*. Vox *φιλαδελφία* usurpatur speciatim de amore illo, quo fideles (christiani) tanquam totidem fratres in Christo, utpote filii ejusdem Patris coelestis, inter se conjungi debent. (Cf. 1. Thess. 4, 9. Hebr. 13, 1. 1. Pet. 1, 22.). — *φιλόστοργοι;* vox *φιλόστοργος* et *στοργή* solent dici de vehementiori amoris affectu, v. c. de eo amore, quo proles et parentes mutuo se amant. Vult apostolus dicere: Quod ad fraternam charitatem attinet, tenerrimo amore invicem vos prosequamini. — *„Ad honorem quod attinet, vos invicem praevenientes;“* i. e. in praestanda mutua observantia (reverentia) unus alterum praeveniat.

V. 11. *„Ad studium quod attinet, non pigri.“* Per σπουδὴν intelligendum est studium in juvando proximo. — *„Spiritu ferventes“*, i. e. sitis animo ferventes, nimirum ad exsequenda ea, quae vestri sunt officii. Per πνεῦμα intelligendus est spiritus hominis, Spiritu sancto succensus, qui spiritum hominis per fidem illuminat et per charitatem facit ardentem. — *„Domino servientes;“* i. e. sed memores sitis, vos Christi esse servos. Verbis his monet, fervorem istum solummodo in Christi servitio esse debere. Nonnulli codices graeci et interpretes latini pro: Domino servientes, habent: tempori servientes (τῷ καιρῷ δουλεύοντες), quasi apostolus diceret: Fervor vester ne sit imprudens, sed temporis opportunitatem in omnibus captate. Quamvis sensus non sit ineptus, nec apostolo indignus, tamen prior lectio ob auctoritates antiquissimas et praestantissimas praeferenda est.

V. 12. *„Spe gaudentes“*, i. e. ob spem futurae retributionis gaudete. — τῇ ἐλπίδι est dativus causae, et per spem intelligenda est spes futurae retributionis. Haec enim spes facit, ut in omnibus Christo serviamus et patienter afflictiones sustineamus. — *„In afflictione patientes“*, i. e. in afflictionibus hujus vitae constantes et fortes sitis. — *„Orationi perseveranter insistentes“*, i. e. piis precationibus ad divinum implorandum auxilium assidue vacantes sitis.

V. 13. *„Necessitatibus sanctorum communicantes;“* i. e. indigentiae christianorum de vestris facultatibus subvenite. χρεία, necessitas; χρεῖαι h. l. sunt ea, quibus opus quis habet ad vitam sustentandam. Hic loci adest diversitas lectionis; nam pro χρείαις codices quidam et Patres habent μνείαις, memoriis; cujus lectionis duplex datur sensus; vel: Memoriam habete christianorum pauperum, communicantes cum eis vestras facultates (Ambros.); vel: Christianorum, qui vel defuncti sunt vel adhuc supersunt, jugiter habete memoriam, ut tam doctrinam, quam mores eorum imitando, cum eis communicetis (cf. Estius). Sed longe major est numerus testium lectionis prioris. — *„Hospitalitatem exercentes;“* i. e. hospitalitatem erga christianos peregrinantes diligenter exercete, ne nimirum exponantur injuriis coeli aut malorum hominum, aut divertere cogantur apud infideles (Estius). — διώκειν, persequi; dein studere, operam dare alicui rei, hinc exercere.

V. 14. *„Benedicite persequentibus vos“*, i. e. beneprecamini iis, qui odio Christi vos persequuntur, affligunt et vexant (cf. Matth. 5, 44.). — εὐλογεῖν, benedicere, dein laudare, bene optare, beneprecari, ut h. l. — *„Benedicite et ne exsecramini“*, i. e. bene-

precamini, inquam, illis, et nolite mala illis imprecari. *καταρᾶσθαι*, exsecrari, diris devovere, mala imprecari.

V. 15. „*Gaudere cum gaudentibus, et flere cum flentibus;*“ quasi diceret: Fratrum vestrorum christianorum res, sive prosperas, sive adversas, velut vestras reputate, gaudentes de illis, dolentes de his. — Charitas enim reddit omnia communia, prospera et mala. Hic loci pro imperativis adhibiti sunt infinitivi, quod apud Graecos saepe fit (cf. Phil. 3, 16.).

V. 16. „*Idem erga vos invicem sentientes*“, i. e. eodem animi sensu erga vos invicem affecti estote, seu concordes inter vos estote. — Quia autem superbia est inimica concordiae, ideo dicit: „*Non alta sapientes*“, i. e. ideo non elate sentiatis de vobis, ita ut supra alios eminere velitis. — „*Sed humilibus vos abduci patiamini;*“ quasi diceret: Sed humilibus negotiis, relationibus et conditionibus ne subducite vos, si id postulat salus fratrum christianorum. — „*Ne estote sapientes apud vos ipsos.*“ Vult dicere: Ne in rebus agendis vestra ipsorum opinione adeo prudentes videamini, ut putetis, vos aliorum consilio, monitis et instructione carere posse. *παρ' ἑαυτοῖς*, apud vos ipsos, ex hebraica locutione idem ac: vestra ipsorum opinione.

V. 17. „*Nulli malum pro malo retribuentes;*“ vult dicere: Nemini, nec christiano, nec ethnico, si forte vos laesisset, malum malo rependite. Hisce prohibet vindictam. — „*Studentes bono coram omnibus hominibus;*“ i. e. studete exercendis virtutibus (recte factis) coram omnibus hominibus, sive fidelibus, sive infidelibus. (Cf. Matth. 5, 16.). Vulgata habet: Providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus;“ quorum verborum sensus est: Studete recte factis, ut non Deo tantum probemini (seu placeatis), qui cor intuetur, sed etiam omnibus hominibus, aedificantes eos per recte facta. — Sed omnes fere codices graeci exhibent lectionem priorem.

V. 18. „*Si fieri potest, quantum in vobis, cum omnibus hominibus pacem habentes.*“ Hisce verbis hortatur eos, ut in pace vivant cum omnibus hominibus, sive fidelibus, sive infidelibus. Quia autem non semper a nobis pendet, in pace vivere cum omnibus, ideo apostolus dicit: si fieri potest, salva scilicet justitia et veritate; et: quantum in vobis, ne scilicet praebeatur a vobis occasio dissensionis.

V. 19. „*Non vos ipsos ulciscentes, dilecti*“. Vult dicere: Si quando laesi ab aliquo fueritis, illatam injuriam ne ipsi ulciscamini. — „*Sed date locum irae*“, i. e. sed Deo permittite, ut

illatam injuriam ulciscatur. Per ὀργὴν h. l. intelligi debet ira Dei. Cf. dicta 4, 15. — *„Scriptum est enim"*, scil. in libro Deuteronomii (32, 35.): *„Mihi vindicta; ego retribuam, dicit Dominus;"* i. e. mihi competit vindicta, ego, utpote justissimus judex, retribuam. Allatus scripturae locus solum quoad sensum congruit tum hebraico textui, tum versioni septuagintavirali.

V. 20. *„Si igitur esurit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, pota illum; hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput ejus."* Locus hic desumptus est ex Proverbiorum libro (25, 21.), et quidem juxta versionem Septuaginta. Loco ἐὰν οὖν (si igitur), Vulgata et quidam codices legunt: sed si (ἀλλὰ ἐὰν), ut hic esset nexus: Non tantum non sumenda est privata vindicta a tuo laesore, sed contra, si etc. Nomine cibi et potus significantur omnia beneficiorum genera. — Carbones ignis est hebraismus pro: carbones igniti, ardentes, et: carbones ardentes congerere super caput alicujus, est sermo tropicus, qui bifarie potest exponi, vel in malum vel in bonum. In malum sensus est: Hoc si feceris, reddes eum graviori poenae obnoxium in judicio Dei, velut si coacerves carbones ardentes super caput ejus, si scil. non resipiscat. Sed explicationi huic obstat totus contextus, nec christianam sapit doctrinam, qua jubemur inimicorum salutem quaerere. Quapropter verba illa in bonum (cum s. Aug., Hieron., Thoma) ita explicanda sunt: Si inimicus tuus necessitate aliqua premitur, tu illi succurre; si id feceris, excitabis in eo poenitentiae dolorem, quo fiet, ut, superatus tuis beneficiis, cedat suamque inimicitiam deponat. „Nulla, ait s. Augustinus, est major ad amorem invitatio, quam praevenire amando."

V. 21. *„Noli vinci a malo, sed vince bono malum"*, i. e. ne patiaris vinci te a malitia inimici tui, ita ut vindictam expetas, sed malitiam ejus tua erga eum vince beneficentia. Jam Seneca (de benef. 7, 31.) dicit: „Vincit malos pertinax bonitas."

Caput XIII.

Argumentum. Adhortatur ad praestandam obedientiam civilibus magistratibus (1—7.); dein ad studium charitatis erga proximum (8—10.), ad sobrietatem et castitatem (11—14.).

V. 1. *„Omnis anima potestatibus eminentibus sese subjiciat."* Huic admonitioni verosimiliter occasionem praebuit perpetua Ju-

daeorum proclivitas ad rebellandum contra Romanos, quales tunc temporis, uti Suetonius (in vita Claudii 25.) et Dio Cassius (hist. rom. 60.) referunt, Judaei fuerunt. Quum autem Romani christianos pro secta quadam Judaica haberent, facile etiam hi de rebellione suspecti eis videri poterant; quapropter necessarium existimabat apostolus, Romano-christianos adhortari ad praestandam civilibus magistratibus obedientiam. — *πᾶσα ψυχὴ* ex hebraismo valet idem ac: unusquisque. — *ἐξουσίαι*, potestates, abstractum positum pro concreto (uti Tit. 3, 1.), sunt ii, qui publica potestate praediti sunt, sive reges, sive provinciarum praesides, sive quarumcunque urbium ac locorum magistratus. Vocantur eminentes (*ὑπερέχουσαι*) respectu subditorum, seu eorum, qui non sunt publica praediti potestate. — *ὑποτασσέσθω* (imperat. med.), subjiciat se, quatenus nimirum subditus est illorum potestati aut jurisdictioni. Ceterum ipse contextus (v. 4. et 7.) docet, apostolum loqui de potestate laica, seu de civili magistratu. — *„Non enim est potestas, nisi a Deo“*. Verbis his rationem dat praegressi praecepti, atque apostolus vult dicere: Divinae originis est civilis potestas. Deus enim est supremus omnium dominus, et quatenus homo aliquis in potestate Dei vicarius est, habet jus aliis imperandi. Quapropter religio christiana solum scit de regibus gratia Dei, atque officium civili magistratui obediendi declarat pro religioso; christianus ergo, dum civili magistratui paret, Deo paret, non hominis, sed Dei servus est. Imo et tum, ubi populus ipse sibi principem seu regem eligit, potestas, quam exercet, a Deo est. Hanc enim populus non potest dare, quia ipsam non habet; ipsam vero populus qua totum non habet, quia singuli eam non habent; singuli autem eam non habent, quia quoad naturam humanam omnes sunt aequales; hinc nemo sibi jus aliis imperandi arrogare potest (Bisp.). — *„Quae autem sunt, a Deo constitutae sunt“*. Dixerat prius apostolus, potestatem in abstracto (seu in se consideratam) esse a Deo; nunc hic iterum illud affirmat de potestatibus in concreto, seu de hominibus, publica potestate praeditis, scilicet divina ordinatione constitutos esse illos; et hoc ideo, ne quis, uti observat Estius, excusaret et diceret, se potestatem quidem ipsam venerari, sed ea fungentes malos esse, proindeque indignos, quibus obediatur. Quam excusationem apostolus hac parte exclusit, affirmans, homines publica aliqua potestate praeditos, pariter divina ordinatione constitutos esse, nimirum mediate, quatenus ob depravationem

humanae naturae, cujus auctor est Deus, ad firmum vitae socialis ordinem et jurium securitatem procurandam, Dei voluntas est, ut homines in civitatem seu societatem civilem coëant et sub communi imperio civili ille vitae socialis ordo procuretur et jurium securitas vigeat; hinc illi, qui ad illum finem assequendum jure imperii gaudent seu potestate publica praediti sunt, divina ordinatione constituti dicendi sunt. Christianus non inquirit, num civilis magistratus, qui nunc jus imperii tenet, sit legitimus, nec ne; ei satis est, scire, quod sit et existat, et huic obedientiam praestat, quia a Deo constitutus est.

V. 2. *Itaque, qui se opponit potestati, Dei ordinationi resistit.“* Vult dicere: Quum civiles magistratus a Deo sint constituti, quicunque, qui se magistratui opponit, divinae ordinationi, adeoque ipsi Deo resistit. *ἀντιτάσσειν*, se opponere, repugnare; *ἀνθέστηκεν* perf. ab *ἀνθίστημι*, resisto. — *„Qui autem resistunt, sibi ipsis judicium accipient;“* i. e. qui autem resistunt divinae ordinationi, sententiam condemnatoriam divinam experientur (cf. Matth. 23, 14.). Per *κρῖμα* intelligi debet sententia condemnatoria divina, sed solummodo eatenus, quatenus magistratus civilis est exsecutor illius, uti verba sequentia docent. (Cf. 2, 2. 3.); quo autem non negatur, tales resistentes etiam in futuro saeculo punitum iri. — *ἑαυτοῖς* est dativus incommodi. Quid sit faciendum, si magistratus aliquid praecipiat, quod legibus divinis adversetur, apostolus non docet. Hoc in casu magistratus non est vicarius Dei, et tum valet illud Petri apostoli effatum: Obedire oportet Deo magis, quam hominibus“ (Act. 5, 29.).

V. 3. *„Nam magistratus non sunt timor bono operi, sed malo“,* i. e. magistratus non est timendus bonis, sed malis. Verbis his confirmat (*γάρ*) sententiam antecedentem: sibi ipsis judicium accipient. In verbis *οὐκ εἰσὶ φόβος* abstractum positum est pro concreto, et valent idem ac: *οὐκ εἰσὶ φοβεροί*, non sunt timendi. — Et *τῷ ἀγαθῷ ἔργῳ, ἀλλὰ τῷ κακῷ* dictum est per quandam prosopopoeiam pro: *τῷ ἀγαθόν ἔργον, ἀλλὰ τὸ κακόν ποιοῦντι* (operanti bonum, sed malum); nam metus non cadit in opera, sed in operantes. — *„Vis autem non timere potestatem, fac bonum, et habebis laudem ex illa;“* quasi diceret: Quodsi vis non metuere magistratum, quod bonum est, age, et laudabit te. De voce *ἐξουσία* conf. v. 1. — *ἐξ αὐτῆς*, scil. *ἐξουσίας*.

V. 4. *„Dei enim minister est tibi in bonum;“* i. e. nam Dei minister est magistratus in tuum bonum constitutus. — *„Si vero malum facias, time“,* i. e. si autem male agas, est, quod timeas. —

„Non enim sine causa gladium portat;“ i. e. nam non frustra gladium portat, sed ut eum stringat in malefactores. μάχαιρα, gladius, signum est juris vitae et necis, quod divinum est jus, non humanum. Sub hoc nomine comprehenduntur omnia genera suppliciorum. — *„Dei enim minister est, vindex ad iram ei, qui malum agit;“* quasi diceret: Nam Dei minister ejusque vicarius est ad poenam infligendam malefactoribus. Sic verbis hujus versus confirmat sententiam superiorem: magistratum non esse timendum bonis. ὀργή, ira, h. l. per metonymiam poena. Verba: vindex in iram, docent, poenas, quas magistratus malefactoribus infligit, principaliter esse vindicativas.

V. 5. *„Ideo necessitas est, se subjiciendi.“* Vult dicere: Quum magistratus sint Dei ministri et vicarii, atque ad poenas malefactoribus infligendas constituti, ideo necesse est, subjicere se magistratuum imperio. — Est scil. collectio (διὸ) ex tota (v. 1—4.) antegressa oratione. Vulgata pro: ἀνάγκη ὑποτάσσεσθαι (inf. med.) legisse videtur: ἀνάγκῃ ὑποτάσσεσθε (necessitate subditi estote), quae lectio, quamvis sensus in essentia idem maneat, tamen priori postponenda est, quum nullos fere testes habeat. — *„Non solum propter iram“*, i. e. non solum propter poenam evadendam. — *„Sed etiam propter conscientiam;“* i. e. sed etiam et maxime ideo, ut satisfaciamus conscientiae nostrae, dictanti, obediendum esse magistratibus, tanquam Dei ministris et vicariis, ne in ipsum Deum peccemus et coram ipso rei fiamus, si magistratuum imperio audientes non fuerimus.

V. 6. *„Ideo enim et tributa praestatis;“* quasi diceret: Nam ideo, quia magistratibus subditi esse debetis propter conscientiam, etiam illis tributa solvitis. — Solutio enim tributorum subjectionis est professio. — τελεῖτε, praestatis; dicit apostolus in indicativo, significans nimirum id, quod fieri debet per id, quod fit. — *„Ministri enim Dei sunt“*, scil. magistratus (οἱ ἄρχοντες ex v. 3.). Verbis his confirmat, cur magistratibus tributa sint pendenda. — *„Huic ipsi perseveranter insistentes;“* i. e. huic Dei ministerio assidue vacantes, consulendo scilicet publico civium bono; ad quod ministerium rite incumbendum indigent pecunia. — εἰς αὐτὸ τοῦτο, scil. τὸ λειτουργεῖν.

V. 7. *„Reddite ergo omnibus debita.“* Verbis his concludit (οὖν) ex praemissis rationibus (v. 1—7.) apostolus, atque vult dicere: Reddite ergo omnibus, qui publica aliqua potestate praediti sunt, ea, quae ipsis debentur. — *„Cui tributum“*, scil. debetis (ὀφείλετε). — *„Tributum“*, scil. reddite ei. — *„Cui vectigal“*, scil.

debetis. — *„Vectigal“*, scil. ei reddite. Ceterum tributum et vectigal differunt hoc, quod tributum penditur pro capite et agris; vectigal vero ob merces aut importandas aut exportandas. — *„Cui timorem“*, scil. debetis. — *„Timorem“*, scil. ei reddite. Per timorem intelligi debet hic reverentia. — *„Cui honorem“*, scil. debetis. — *„Honorem“*, scil. ei reddite. Nunc in sequentibus redit ad ea, quae omnibus debentur, et quidem proxime transit ad commendandam charitatem.

V. 8. *„Nemini quidquam debeatis, nisi diligere invicem;“* quasi diceret: Omnibus debitis ita satisfacite, ut nihil debeatis cuiquam, nisi mutuum amorem. Hoc est egregie dictum; cetera enim debita solvuntur, et amplius non manent debita; charitatis vero debitum, quamvis solutum fuerit, tamen manet, quia proximus semper est diligendus; est ergo perpetuum, semper solubile et semper insolubile debitum. — *„Qui enim diligit proximum, legem implevit;“* quasi diceret: Qui enim alterum diligit, legem (decalogum), qua parte spectat proximum, implevit. Hisce probat, cur charitas omnibus debeatur. — Dicit in praeterito: implevit, quia, qui amat proximum, eo ipso, quod amat, jam implevit legem; nam dum amat proximum, nulla injuria eum afficit, quod v. 9. et 10. declarat. — Per *νόμον* h. l. intelligenda est lex decalogi (lex Mosaica), qua parte spectat proximum. — Nunc versu 9. et 10. declarat, omnia officia erga proximum in charitate esse inclusa; seu illum, qui alterum diligit, omnia officia erga proximum, quae lex praecipit, jam implevisse, quia in ipsa charitatis indole situm est, proximum nulla, nec minima, injuria afficere. Ideo recte dicit s. Augustinus: „Dilige, et fac, quod vis.“

V. 9. *„Nam: non adulterabis;“* i. e. nam praecepta ista: non adulterabis. Adulter est, qui alienum torum violat, sive conjugatus, sive solutus; vel qui conjugatus cum sit, cum muliere soluta commiscetur. Futurum h. l. uti in sequentibus pro imperativo more Hebraeorum. — *„Non occides.“* Homicida est quisquis absque justa auctoritate hominem sive nocentem, sive innoxium interficit. — *„Non furaberis.“* Furatur, quisquis alienum invito domino aut accipit, aut detinet. — *„Non falsum testimonium dices.“* Verba haec in multis codicibus antiquissimis desunt. Falsus testis est, quicunque sciens falsum dicit testimonium, praesertim in judicio, et in nocumentum proximi. — *„Non concupisces“*, scil. neque uxorem, neque rem proximi tui. — *„Et si quod est aliud praeceptum;“* i. e. et quodcunque praeterea

est in decalogo praeceptum, proximum respiciens. Post vocem ἐντολὴ est supplendum: ἐστι, et simul subintelligendum: in decalogo, qua parte agitur de officiis erga proximum. — „*In hoc verbo summatim comprehenditur*", i. e. omnia haec praecepta summatim comprehenduntur unico hoc mandato. ἀνακεφαλαιόω (ex ἀνά et κεφαλαιόω) est: in unum caput redigo, in summam redigo; hinc summatim comprehendo. — „*Diliges proximum tuum, sicut teipsum.*" Dicit ἑαυτόν pro σεαυτόν, quia ἑαυτόν saepe etiam a profanis scriptoribus adhibetur de prima et secunda persona. [1]) — Dum dicit: sicut teipsum, eo non exigitur dilectio aequalis (non enim dicit: quantum te ipsum), sed similis; dilectio nimirum nostri proponitur tanquam typus, exemplum et regula dilectionis proximi, ut scil. proximum diligamus eo modo, quo nos ipsos diligimus, hoc est amore amicitiae; ut nimirum illi velimus bonum, honestum, utile, delectabile propter illum, non propter nos, sicut volumus nobis ipsis haec bona propter nos ipsos (Estius). — Ceterum, si apostolus dilectionem proximi et non dilectionem Dei dicat summam et essentiam adimpletionis legis, id inde venit, quia in vera proximi dilectione inclusa est dilectio Dei; et quia consilio ipsius conforme erat, ut praeprimis loqueretur de dilectione proximi (cf. Matth. 22, 39.).

V. 10. „*Dilectio proximi malum non operatur;*" vult dicere: Qui proximum diligit, is nihil mali illi infert. ἡ ἀγάπη (dilectio) h. l. per prosopopoeiam dicitur pro ipso diligente. — „*Plenitudo ergo legis est dilectio;*" quasi diceret: Ergo legis adimpletio posita est in dilectione proximi. Integra apostoli argumentatio sequens est: Qui proximum diligit, is nihil mali illi infert; atqui nihil mali inferre proximo, est hoc ipsum totum, quod lex universa praecipit; ergo legis adimpletio posita est in dilectione proximi, et qui proximum diligit, is jam legem implevit (Beelen). πλήρωμα h. l. activo sensu sumitur: impletio.

V. 11. *Et hoc, quum sciatis tempus, quod hora sit, jam ex somno expergiscendi.*" Vult dicere: Et hoc, quod prius (v. 8—10.) dixi de mutua dilectione, tanto magis facere debemus, quum sciamus temporis qualitates, signa, proxime instantem adventum Christi ad judicium indicantia, quod nunc sit tempus, ex somno peccati et torporis expergiscendi. — Versu hoc corroborat antegressum (v. 8—10.) de mutua dilectione praeceptum apostolus,

---

[1]) Cf. Beelen Gramm. N. T. pag. 146., Winer Gram. §. 22. ad 5.

ratione ducta a temporis convenientia (circumstantiis), quae illius praecepti adimpletionem postulat. — *καὶ τοῦτο* (et hoc) referendum est ad superiorem admonitionem de implendo mutuae dilectionis praecepto. Pro *καὶ τοῦτο* ex aequo scribere potuisset: *καὶ τοσοῦτο μᾶλλον* (et tanto magis). — Per *καιρὸν* (tempus) h. l. intelligi debent temporis qualitates (rationes), temporis signa, quae mox futurum Christi adventum ad judicium indicare videbantur. Per somnum (*ὕπνον*) intelligendus est somnus aliquis spiritualis, scilicet peccati et torporis, uti sequentia docent, in quibus fit sermo de abjiciendis operibus tenebrarum (seu peccati). — „*Nunc enim propius est nostra salus, quam cum credidimus*;“ quasi diceret: Nunc enim, postquam in fide Christi jam magna vitae pars nobis praeteriit, vicinior nobis est felicitas aeterna, quam tunc erat, quando primum facti sumus christiani. — *ἐγγύτερον* neutrum comparativi adverbialiter adhibitum. — *ἡ σωτηρία* h. l. perfecta, consummata salus, felicitas aeterna (ut Phil. 1, 28.). Verba haec docent, apostolum adventum Christi ad judicium in propinquo esse, jam instantem, putasse, quod etiam aliis epistolarum suarum locis (1. Cor. 15, 51. 1. Thess. 4, 15. 16. 2. Thess. 2, 1. 2.) docet; quod etiam alii apostoli, uti s. Petrus (1. Petr. 4, 7.) et s. Jacobus (5, 8.) existimabant. Si tamen id non evenerit, id non obstat inspirationi ac infallibilitati apostolorum. Nam apostoli sunt testes infallibiles solum illarum veritatum, quas Christus docuit, non autem etiam earum, quas reticuit, non revelavit. Christus nimirum nil dixit, quando venturus sit dies adventus ipsius ad judicium, imo expresse pronunciavit, quod diem istum nemo sciat, nisi solus Pater (Marc. 13, 32.). Attamen signa quaedam manifestavit eis, unde intelligere possent, finem mundi et adventum ipsius ad judicium instare. Ad haec signa pertinebat praeprimis praedicatio evangelii in universo terrarum orbe (Matth. 24, 24.). Quum jam initio religio Christi latissime undequaque propagaretur, facile poterant apostoli putare, tempus in propinquo esse, jam instare, quo fiet totius mundi conversio ad Christum atque omnibus Christi adversariis superatis, finis mundi et consummatio regni divini. In opinione hac poterat eos etiam id confirmare, quia sciverant, a Christi adventu (nativitate) incepisse ultimam regni divini hisce in terris aetatem (seu statum), post quam non restat alia (sicut post senium alia aetas non est). Quum redemptio per Christum perfecta sit, et ille ad dexteram Patris exaltatus, quovis tempore ad judicium venire possit, seu uti s. Petrus (1. Petr. 4, 5.) dicit, paratus sit judicare, ideo

facile poterant apostoli adventum Christi ad judicium et finem mundi instantem putare; nam, quod omni tempore fieri potest, prope est, instat.[1]) Quum porro apostolis multa adversa (afflictiones et persecutiones) evangelii causa perferenda essent, etiam illa adversa, uti et summus amor, quo in Christum ardebant, spem illam et fiduciam jam instantis adventus Domini in eis semper vivam servabant. — Ceterum autem, quum totum temporis intervallum respectu aeternitatis (nam coll. 2. Petr. 3, 8. unus dies apud Dominum, sicut mille anni, et mille anni, sicut dies unus) breve sit, quasi punctum, dies adventus Christi ad judicium etiam sub hoc respectu prope esse dici potest, etsi usque nunc anni plus mille octingenti effluxerint, et fors usque ad diem illam adhuc multae annorum centuriae transirent.

V. 12. *„Nox processit, dies autem appropinquavit;"* quasi diceret: Tempus vitae praesentis, plenum tenebris errorum et peccatorum, longe jam progressum est, ad finem properat; tempus vero vitae futurae seu felicitatis aeternae instat, propinquum est. Per noctem intelligendum est tempus ante adventum Christi ad judicium, ergo tempus vitae terrestris, praesentis, plenum tenebris errorum et peccatorum; per diem vero tempus adventus Christi ad judicium, seu tempus vitae futurae, felicitatis aeternae. — Alii cum Theodoreto per noctem intelligunt tempus ante Christi incarnationem, quod erat plenum tenebris errorum et peccatorum, et per diem tempus gratiae et veritatis per Christum allatae. Sed explicatio prior antegressis magis respondet. — Vulgata verbum προέκοψεν h. l. vertit: praecessit (i. e. praeivit), qua versione sententia languida evadit. — *„Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis;"* quasi diceret: Quia nox ad finem properat et dies illucescit, relinquamus opera mala, qualia homines in tenebris sine pudore operari solent, et induamur bona virtutum opera. Bona opera vocat apostolus arma, quia simul monere voluit, militiam quandam spiritualem esse vitam christianam, eamque carere non posse illa bonorum operum armatura contra diaboli insidias (Estius). Arma haec, quae christianus induere debeat, enumerat sigillatim s. apostolus in epistola ad Ephesios (6, 14. 15.). Ibi dicit, cingulum, quod integro corpori firmitatem suppeditat, christiano esse debere veritatem

[1]) Cf. Dr. Ludwig Hundhausen: Das erste Pontificalschreiben des Apostelfürsten Petrus. S. 389.

(i. e. sinceritatem et fidelitatem in verbis et promissis); loricam ipsius — justitiam; scutum ejus fidem; galeam vero spem (salutis aeternae) et gladium tandem verbum Dei.

V. 13. *„Sicut in die, honeste ambulemus."* Vult dicere: Quum jam illucescat dies vitae futurae, quae est sine nocte, vitam agamus honestam, exercentes nimirum opera, quae lucem non reformident. — Nunc nominat nonnulla opera tenebrarum, quae prius (v. 12.) dixerat abjicienda in sua Romanorum adhortatione ad vitam sobriam et castam agendam. — *„Non in comessationibus,"* i. e. non indulgentes epulis, quae fiunt tantum voluptatis et gulae causa, non autem ulla necessitatis aut honestatis ratione. κώμος, comissatio, est proprie pompa solemnis (in honorem Bacchi aut alius numinis) conjuncta cum convivio; dein convivium luxuriosum, quod fit tantum voluptatis et gulae causa, ut h. l. (et Gal. 5, 21.). — *„Et ebrietatibus"*, i. e. et compotationibus crapulosis. — *„Non in concubitibus et lasciviis"*, i. e. non indulgentes prohibito concubitui et lasciviae. — κοίτη, cubile, dein concubitus. ἀσέλγεια (ab ἀσελγης, qui nimius est in aliqua re) est quaevis effrena libido, lascivia. — *„Non in contentione et aemulatione"*, i. e. non rixae (altercationibus verborum) et aemulationi indulgentes. Aemulatio (Eifersucht) est prava quaedam affectio cum livore, cum scilicet quis doleat, alium esse consecutum id, quod ipse cupiebat obtinere.

V. 14. *„Sed induite Dominum Jesum Christum;"* quasi diceret: Sed curetis, ut Christo Domino, tanquam novae vitae principio, impleti eique intime juncti, ejus indolem imitando, eum quodammodo etiam externe repraesentetis. Induere Christum. Metaphora hac saepe utitur s. Paulus (Gal. 3, 27. Ephes. 4, 24. Col. 3, 10. 1. Thess. 5, 8.), qua vel Christum, vel novum hominem, vel virtutes christianas induere dicimur. Est autem: induere Christum, Christo, tanquam novae vitae principio, impleri eique intime jungi, ita ut indolem ejus imitando, omnia sensa, cogitata et voluntatis desideria hominis in Christi voluntate et spiritu quasi submergantur, seu Christus quodammodo externe in eo repraesentetur. — *„Et carnis curam ne gerite ad desideria;"* quasi diceret: Et corporis vestri curam ne agite ita, ut eo malae cupiditates (desideria) in vobis excitarentur. Ergo corporis cura gerenda est ad sanitatem ejus, non vero ad luxum et voluptatem.

Caput XIV.

Argumentum. In duobus capitibus praecedentibus s. apostolus charitatem erga proximum multoties commendavit; in hocce autem capite docet, quomodo charitatem istam ostendere debeant, scil. eo, quod non temere judicent alios, atque benigne ferant infirmitates eorum. Occasionem huic adhortationi dedit ipse status coetus christiani Romani. Erant nimirum Romae non pauci Judaeo-christiani, qui existimarent, etiamnum observanda sibi esse statuta legis Mosaicae quoad cibos et dies; dum ethnico-christiani praecepta illa tanquam nullam obligationis vim habentia negligebant. Quum jam ideo Judaeo-christiani ethnico-christianos pro legis transgressoribus haberent, hi vero illos tanquam evangelicae libertatis ignaros atque infirmos fide despicerent, apostolus, quum utrumque obesset fovendae charitati fraternae, utrosque ita arguit, ut eos doceat charitatis regulas; dum nimirum doctiores (ethnico-christianos) hortatur, ut infirmos Judaeo-christianos benigne tractent, nec contemnant; Judaeo-christianos vero vicissim monet, ne ethnico-christianos temere judicent, eosque ut improbos condemnent (1—18.). Tandem utrosque monet, ut operam dent paci conservandae et promovendae mutuae aedificationi (19–23.).

V. 1. *„Infirmum vero fide recipite.“* Vult dicere: Illum, qui necdum habet persuasum, quid in religione Christi vetitum et quid libere permissum sit; seu, qui de libertate, per Christum adepta, nondum satis instructus est, in contubernium vestrum comiter recipite, et habete ut fratrem. πίστις h. l. est fides christiana respectu practico; ergo animi persuasio, quid in fide Christi vetitum, quid liberum sit. (Cf. v. 2. 22. 23.). — *„Non ad dijudicationes cogitationum;“* i. e. quin cum eo contendatis, an bene, an male sentiat respectu legum ritualium. — S. Paulus in epistola ad Galatas valde acriter invehitur in eos, qui ritualia aliqua praecepta observabant, dum hic cum Romanis benigne eum agentem videmus. Causa hujus diversae ejus agendi rationis in eo sita est, quia in epistola ad Galatas cum illis agit, qui legi Mosaicae virtutem justificandi tribuebant, non autem fidei in Christum; h. l. vero cum iis agit, qui virtutem fidei in Christum agnoscebant et confitebantur, ceremonias tamen aliquas simul retinebant, tanquam a Deo institutas; quod in initio permissum est conversis ex Judaeis propter eorum im-

becillitatem et nimium legis zelum, ex antiqua consuetudine ab incunabulis imbibitum (Toletus).

V. 2. *„Alius quidem credit, manducare omnia.“* Vult dicere: Qui firmus fide est, credit, sibi licere quibuslibet cibis, mundis et immundis, vesci. — *„Infirmus vero olera manducat;“* quasi diceret: Infirmus vero fide, seu qui persuasum habet, abstinendum esse etiamnum a cibis, Mosaica lege vetitis, tantum vescitur oleribus aliisque cibis, lege non prohibitis, ne scil. usu eorum coinquinaretur. — Vulgata pro indicativo legit: manducet; quam lectionem codices graeci non exhibent. Stante ea lectione sensus esset: Infirmus vero fide putat, id non licitum esse; is itaque olera et cibos, a lege Mosaica non prohibitos, manducet, ne contra conscientiam peccet.

V. 3. *„Qui manducat, non manducantem ne contemnat;“* quasi diceret: Is, qui quaevis sine discrimine manducat, ne contemnat abstinentem a quibusdam tanquam imbecillem. — *„Et qui non manducat, manducantem ne judicet;“* i. e. et abstinens a quibusdam, non abstinentem ne condemnet tanquam improbum, tanquam legis transgressorem. κρίνειν h. l. idem ac κατακρίνειν, condemnare (cf. 2, 1.). — *„Deus enim illum assumpsit;“* quasi diceret: Nam Deus eum (non abstinentem) in suam domum, in ecclesiam assumpsit; est igitur famulus, servus Dei, et proinde non est ab alio judicandus. — Verbis his rationem assignat, ob quam non debeat quis eum condemnare.

V. 4. *„Tu quis es, qui judicas alienum famulum?“* Vult dicere: Tu, a quibusdam abstinens, quis tandem (cujus auctoritatis) es, qui audes damnare servum alterius heri (scil. Dei)? — *„Domino proprio stat aut cadit;“* quasi diceret: Habet dominum ac judicem suum, scil. Deum, a quo vel absolvetur, vel condemnabitur. — *„Stabit autem“*, i. e. confido, eum absolutum iri. — *„Potens est enim Deus, illum stabilire;“* quasi diceret: Nam potens est Deus, gratiae suae auxilio efficere, ut firmus stet, nec libero ciborum usu cadat in ethnicismum.

V. 5. *„Unus quidem judicat diem prae die.“* Postquam de ciborum discrimine, lege Mosaica constituto, egerat, nunc agit de dierum distinctione et observantia. Et apostolus vult dicere: Alius, fide infirmus, diem unum alio sanctiorem habet (v. c. sabbatum, neomenias). παρὰ valet h. l. prae; et: judicare unum quid prae alio, est: majoris habere unum, quam aliud. — *„Alius autem judicat omnem diem;“* i. e. alius autem, fide firmus, peraeque aestimat quemvis diem, habet pro sancto et Deo sacrato. —

„Unusquisque in mente sua persuasus sit;" quasi diceret: Quivis hac in re agat juxta dictamen conscientiae suae, ne, si contra agat, peccet. πληροφορεῖν (ex πλήρης et φορέω fero) proprie: plenum seu totum ferre; metaphorice: totum esse in aliqua re, perficere eam; passive: plenum esse; metaphorice: plenum esse persuasione, seu persuasum esse. Cf. 4, 21. — Ceterum verba haec apostoli male detorquent haeretici contra dies festos, ab ecclesia institutos, et jejunia atque quorundam ciborum abstinentiam. Apostolus enim loquitur de discrimine ciborum ac dierum observato ab iis, qui ex Judaeis christiani facti, legi Mosaicae ac pristinis observantiis adhuc tenacius inhaererent. Quod enim ad ecclesiae leges attinet, dubium non est, quin illae, uti justam habent obligandi rationem pro tempore novae legis (novae oeconomiae), ita vere et in conscientia filios ecclesiae obligatos teneant (Estius).

V. 6. *„Qui observat diem;"* i. e. qui certum aliquem diem festum prae alio celebrat. φρονεῖν, studere, operam dare alicui rei, h. l. observare, curare. — *„Domino observat"*, i. e. in honorem Dei celebrat. κυρίῳ est dativus commodi valetque idem ac: in honorem Domini. — *„Et qui non observat diem, Domino non observat."* Vult dicere: Et qui certum aliquem diem festum non celebrat, pariter in honorem Domini Dei hoc omittit. — *„Et qui manducat, Domino manducat;"* i. e. et qui sine ciborum discrimine quaevis manducat, in honorem Dei hoc facit. — *„Gratias enim agit Deo;"* quasi diceret: Nam manducaturus pro concessis cibis gratias Deo agit. — *„Et qui non manducat, Domino non manducat;"* i. e. et qui abstinet a cibis, lege Mosaica vetitis, in honorem Dei ab iisdem abstinet. — *„Et gratias agit Deo;"* i. e. et pariter gratias agit Deo pro cibis, ipsi in lege Mosaica permissis.

V. 7. *„Nemo enim nostrum sibi ipsi vivit, et nemo sibi ipsi moritur."* Quod in antegresso versu monuerat, scilicet christiano omnia facienda esse in honorem Dei, id nunc probat. Probat autem ex eo, quod christianus non sit homo liber et sui juris, sed Christi et per Christum Dei servus, quippe quum a Christo sanguinis ipsius pretio sit redemptus e servitute peccati, diaboli et mortis, atque ita in ipsius redactus potestatem (Cf. 6, 19. 2. Cor. 5, 15.), ejusque factus servus. Vult ergo apostolus dicere: Nam nemo nostrum, qui christiani sumus, quasi suimet ipse finis sit, vivit in suum honorem, et nemo mortem subit, ut post mortem propter se, tanquam sui juris, vivat. — ἑαυτῷ dativus commodi: sibi ipsi, i. e. in suum honorem.

V. 8. *„Sive enim vivimus, Domino vivimus; sive morimur, Domino morimur;“* quasi diceret: Si enim vivimus, vivimus Christo (et per eum Deo); si morimur, morimur Christo (et per eum Deo), ut scilicet etiam post mortem ab ipso pendeamus simusque ipsius. — *„Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus“*, scilicet Christi (et per eum Dei), utpote pretio sanguinis ejus empti. *κυρίου* est genitivus possessoris.

V. 9. *„Ad hoc enim Christus mortuus est et revixit, ut et in mortuos et viventes dominaretur.“* Vult dicere: In hunc enim finem Christus mortuus est et revixit, ut dominium exerceret in universum genus humanum. Verbis his dat causam, cur Christi simus, non nostri. Multi codices pro nostra lectione habent: *ἀπέθανεν καὶ ἀνέστη* (mortuus est et resurrexit), ita et Vulgata. Et iterum alii omnia tria verba legunt, ita tamen, ut *ἔζησεν* primo loco positum sit. In substantia sensus non mutatur.

V. 10. *„Tu vero, quid judicas fratrem tuum?“* Quum in antegresso versu docuisset, Christo in omnes homines competere dominium, merito h. l. colligit, ipsi soli etiam judicium in omnes homines esse exercendum. Itaque Christo judici opponit hominem, fratrem suum temere judicantem. Vult igitur apostolus dicere: Tu, Judaeo-christiane non manducans, cur temere judicas et improbitatis condemnas ethnico-christianum manducantem? — Verbis his alloquitur Judaeo-christianum, non manducantem. — *„Aut etiam tu, quid contemnis fratrem tuum?“* Verbis his alloquitur ethnico-christianum, manducantem, et vult dicere: Aut etiam tu ethnico-christiane, manducans et firmior fide, cur contemnis fratrem, christianum, ex animi infirmitate non manducantem? — *„Omnes enim sistemur ante tribunal Christi.“* Vult dicere: Omnes enim, quotquot sumus homines, sistendi sumus ad tribunal Christi, ab eo, qui omnium judex constitutus est, judicandi. Verbis igitur versus hujus reprehendit utrumque, quod sibi judicium usurpet in fratrem, quod ei non competat. — Loco: *τῷ βήματι τοῦ Χριστοῦ* permulti codices habent: *τῷ βήματι τοῦ θεοῦ* (tribunal Dei); sensus in substantia non mutatur, quia Deus Pater mundum judicabit in Christo; nam ipse dicit (Joan. 5, 22. 27.), quod Pater ei omne judicium dederit, quia Filius hominis est.

V. 11. *„Scriptum est enim.“* Quod apostolus modo dixerat (scil. omnes sistemur etc.), id h. l. confirmat adducto Jesaiae testimonio (45, 23.), quod tamen solummodo ad sensum recitat. In isto Jesaiae loco proxime sermo est de Christo Deo ab

omnibus agnoscendo, et non de Christo omnium judice constituto; ast, quia Christus ut Deus ab omnibus in extremo judicio agnoscetur, apostolus jure poterat illa Jesaiae verba ad praesentem materiam accommodare. — *„Vivo ego“,* i. e. per vitam meam affirmo. Verba: Vivo ego (ζῶ ἐγώ) sunt formula jurandi, et valent idem ac: per vitam meam. In textu hebraeo legitur: In memetipso juravi, i. e. per me ipsum juro. — *„Dicit Dominus, quod mihi flectet se omne genu, et omnis lingua profitebitur Deum;“* i. e. quod omnes homines me adorabunt et me ut Dominum et Deum suum profitebuntur. — Genu flectere est signum externum humilis subjectionis et adorationis (cf. 11, 4.). *ἐξομολογεῖσθαι τινὶ* saepe: laudare, celebrare; sed h. l., ubi de judicio sermo est, notat: profiteri.

V. 12. *„Itaque unusquisque nostrum pro se ipso rationem reddet Deo.“* Vult dicere: Quum ergo unusquisque nostrum pro se de factis propriis redditurus sit rationem Deo. Verba haec sunt illatio ex praecedentibus, scil. sistendos nos esse omnes ad tribunal Christi.

V. 13. *„Ne igitur nos invicem judicemus;“* i. e. ne amplius, uti hucusque, nos invicem judicemus, relinquentes judicium Domino, unico omnium judici. — Sententia hac perstringit tam infirmum fide (v. 1.), quam firmum; nam quod firmus infirmum contemneret (v. 3.), judicium quoddam in eundem exercebat. Ad praesentem locum Estius bene monet, judicium proprie esse earum rerum, quae per se non satis patent; nam in re manifesta nihil opus est judicio, quo nimirum discernatur ac dijudecetur, qualis sit. — *„Sed hoc potius judicate“,* i. e. sed hoc apud vos (seu in animo) statuite. Hic iterum sermonem convertit ad firmos fide, quibus persuasum esset, christianos legibus Mosaicis ritualibus minime teneri, eosque admonet, ut caveant, ne, sua ab istis legibus libertate utentes, infirmis fide praebeant occasionem ruinae moralis. — *„Non ponere offendiculum fratri aut scandalum“,* i. e. ne, libertate vestra utentes, occasionem peccandi fratri praebeatis. Ponere alicui offendiculum aut scandalum metaphorice denotat: alicui dare occasionem peccandi. — *πρόσκομμα* est omne id, in quod pede impingimus, ergo offendiculum; dein metaphorice dicitur omne id, quod irritat atque efficit, ut contra persuasionem et conscientiam quis agat, i. e. peccet; hinc causa erroris in judicando, vel causa peccati, ut h. l. Fere idem ac *σκάνδαλον*, de qua voce conf. 9, 33. Bene notat Estius: Duplex erat infirmo periculum; vel ne fratrem, quosvis cibos

edentem temere judicaret; vel certe ne exemplo provocatus contra conscientiam ederet ea, quae lex prohibebat.

V. 14. *„Scio et persuasum habeo in Domino Jesu;“* quasi diceret: Firmissime persuasum habeo, a Domino Jesu sic edoctus. Versu hoc occurrit objectioni, qua quis contra antegressum praeceptum (ne scil. ponatis offendiculum fratri) fors monere posset, nullum cibum ex sua natura esse immundum, adeoque nec ab ullo abstinendum. Verba *οἶδα* et *πέπεισμαι* denotant firmissimam persuasionem. — In Domino Jesu, i. e. in unione cum Jesu, ab eo edoctus, seu aliis verbis: ut christianus. — *„Nihil commune per se;“* quasi diceret: Nullum cibum ex sua natura esse immundum. *κοινὸν*, commune, h. l. idem significat, quod *ἀκάθαρτον*, scil. immundum, Judaei enim ea, quae ipsis interdicta erant tanquam immunda, vocabant communia, quia in usu communi essent ceterarum gentium (Estius). *δι' αὑτοῦ* (vel *δι' ἑαυτοῦ*), per se, i. e. ex sua natura. Sed Vulgata aliique codices pro *δι' αὑτοῦ* legunt *δι' αὐτοῦ* (cum spiritu leni): per ipsum, quod referendum est ad vocem: Jesu. Stante hac lectione sensus est: Per Christum nihil est immundum. Quod verum est; nam per ipsum etiam tota rerum universitas, tota rerum natura quoad ideam et initium, factum in Christi miraculis atque benedictionibus, continuatis in ecclesia, a maledicto peccati liberata, iterum munda facta est, et homo, qui redemptionis in Christo compos redditus est, debet illam ulterius sanctificare. Qua re autem sponte sublatum est discrimen ciborum V. T. (Cf. 1. Tim. 4, 4. 5.). — *„Nisi ei, qui existimat aliquid commune esse, illi commune.“* Vult dicere: Illi tantum homini, qui habet in conscientia, licet erronea, cibum aliquem immundum, illi, inquam, immundus est ille cibus. Non quod hominis existimatio rei naturam immutet, sed ob conscientiam (licet erroneam), quam sequi debet in praxi (Estius).

V. 15. *„Si enim propter cibum frater tuus contristatur.“* Vult dicere: Nam, si frater tuus, quia cibum sumis, ab ipso pro vetito habitum, contristatur propter scandalum inde acceptum. Stante hac lectione (si enim, *εἰ γὰρ*) hoc versu ratio datur, cur quaevis edendi licentia utendum non sit, si hoc fieri nequeat, quin infirmioribus fratribus scandalum praebeatur; atque hic versus cohaeret cum versu 13. — Nonnulli codices habent: *εἰ δὲ* (si vero); qua lectione stante in hoc versu esset antithesis cum v. 14., hoc modo: Quamvis verum sit, nihil esse immundum per se, tamen ratio habenda est infirmiorum fide; si vero frater tuus

(christianus), qui existimat, cibum esse immundum et vitandum, per tuam vescendi licentiam contristatur. *λυπεῖσθαι*, contristari, et hic quidem propter laesam conscientiam ob culpam admissam, quatenus exemplo (agendi ratione) fratri praebetur occasio peccandi, ut ille vel a fide christiana deficiat, vel autem exemplo illo provocatus, contra conscientiam suam eundem cibum, quem immundum existimat, comedat. Nam sicut solatium homini affert conscientia recte facti, ita vicissim animi moerorem eidem affert male facti conscientia. — *„Jam non secundum charitatem ambulas"*, i. e. jam non agis secundum regulam fraternae charitatis, quae nimirum tolerat infirmitatem fratrum illisque compatitur, et, quantum fieri potest, se accommodat in rebus indifferentibus. — *περιπατεῖν*, ambulare; sed ex usu loquendi Hebraeorum, qui vitam humanam cum peregrinatione, itinere, comparant, etiam dicitur de agendi et vivendi ratione (cf. 6, 4). — *κατὰ* praepositio h. l. usurpata est de norma, secundum quam aliquid fit vel fieri debet. — *„Ne cibo tuo illum perde, pro quo Christus mortuus est;"* quasi diceret: Ne tuo vili cibo isto animi exitium (ruinam) afferas illi, quem Christus tanti fecit, ut pro illo mortem subire non dubitaverit. — Istud: perdere explicari debet de exitio animi fratris, quod paratur, si hic exemplo provocatus, contra conscientiam eundem cibum comedat, vel autem hominis agendi ratione (quam malam putat) offensus, a fide christiana deficiat. Conferatur parallelus locus ex I. epistola ad Corinthios (8, 9. 11—13.), ubi s. apostolus scribit: „Videte autem, ne forte haec licentia (libertas vestra comedendi idolothyta, i. e. res idolis immolatas) offendiculum fiat infirmis . . . Et peribit infirmus in tua scientia (qua scil. contra charitatem abuteris, quum, tuo exemplo seductus, contra conscientiam agat), frater, propter quem Christus mortuus est. Sic autem peccantes in fratres (qui nimirum putant, non esse licitum, idolothytis vesci), et percutientes conscientiam eorum infirmam (vestra scilicet agendi ratione occasionem praebentēs, faciendi, quod sibi minime licitum credunt), in Christum peccatis (quum injuria membrorum redundet in caput). Quapropter (ne scil. in Christum et in fratres peccem), si esca scandalizat fratrem meum (i. e. ei occasionem peccandi praebet), non manducabo carnem in aeternum, ne fratrem meum scandalizem."

V. 16. *„Ne ergo maledicatur bono nostro."* Vult dicere: Cavete ergo, ne nostra a Mosaicis legibus ritualibus libertas ab infirmis fide maledictis proscindatur. *βλασφημεῖν*; conf. 2, 24. —

Per τὸ ἀγαθόν non est cum nonnullis intelligenda fides christiana, sed christiana libertas a ritualibus legibus Mosaicis (cf. 1. Cor. 10, 29.). — Loco ἡμῶν (nostro) nonnulli codices legunt: ὑμῶν (vestro) sensu eodem.

V. 17. *„Non enim est regnum Dei cibus et potus.“* In praecedenti versu collegerat apostolus, cavendum esse, ne, libertate nostra per Christum concessa, intempestive utentes, eam exponamus infirmorum maledictis. In nostro autem versu illam collectionem eo firmat, quod monet, nulla nos necessitate adigi, ut illa quaevis comedendi licentia aliquando utamur, nedum semper et ubivis, dum dicit: Non enim est regnum Dei cibus et potus; quasi diceret: Nam religio christiana non consistit in sumendo hoc vel illo cibo aut potu. Regnum Dei denotat hic regnum Christi hisce in terris, seu ecclesiam praesentis temporis; quia autem ecclesia haec paratur per religionem christianam (christianismum), apte phrasis illa h. l. explicatur de religione christiana (de christianismo). βρῶσις et πόσις debent sumi de actu comedendi et bibendi, ergo de esu (manducatione) et de potu. — *„Sed justitia et pax et gaudium in Spiritu sancto;“* quasi diceret: Sed (scil. consistit) in probitate vitae, in colenda pace cum aliis et in gaudio, quo Spiritus sanctus replet vere pios et pacis studiosos. — δικαιοσύνη h. l. debet sumi de probitate vitae (ut Matth. 5, 6. 20.; 6, 33.); nam haec est fundamentum regni Dei in nobis. εἰρηνὴ h. l. pax cum aliis; haec est sequela probitatis. — Gaudium in Spiritu sancto est illud gaudium, quo gaudent vere pii (justificati) de Deo et bonis ipsius in sua unione cum Spiritu sancto, qui habitat in justificatis (coll. 8, 11.), et qui gaudii illius auctor est. Quae s. apostolus in hoc versu dicit, possunt conferri cum iis, quae scribit in I. ad Corinthios epistola (8, 8.): „Esca nos non commendat Deo. Neque si manducaverimus (scil. quidvis indifferenter), abundabimus (i. e. idcirco meliores erimus coram Deo); neque si non manducaverimus (scil. indifferenter quidlibet), deficiemus“ (i. e. deteriores erimus, minusque Deo grati).

V. 18. *„Qui enim in his Christo servit;“* quasi diceret: Qui enim in istis tribus rebus, scilicet in vera pietate erga Deum, in pacis cum proximo servandae studio et in gaudio in Spiritu sancto Christo servit. Multi tamen codices cum Vulgata loco ἐν τούτοις (in his) legunt: ἐν τούτῳ (in hoc), quod tum ad quamvis antegressam vocem: justitia, vel pax, vel gaudium, tum ad Spiritum s. referri potest. Sensus in substantia non mutatur,

quum Spiritus s. in homine operetur justitiam, pacem et gaudium. — *„Deo acceptus et hominibus probatus est"*, i. e. Deo placet et hominibus acceptus est. δόκιμος, acceptus est.

V. 19. *„Itaque operam demus iis, quae pacis sunt et mutuae aedificationis."* Vult dicere: Itaque operam demus paci inter fratres conservandae et promovendae mutuae aedificationi. Est conclusio ex antegressa doctrina (v. 13—18.). — διώκειν, persequi; metaphorice: studere, operam dare alicui rei. τὰ τῆς εἰρήνης, τῆς οἰκοδομῆς, ea, quae pacis, quae aedificationis (spiritualis) sunt propria. οἰκοδομὴ, exstructio (v. c. tectorum); metaphorice hic dicitur de promovendo spirituali cujusdam bono, quo scil. ipsius animus quasi exstruitur, de aedificatione spirituali. Bene observat Estius: Pacem opponit disceptationibus seu concertationibus, quas inter se habebant; aedificationem autem scandalo, de quo superius egerat. Nam scandalum destructio proximi est.

V. 20. *„Ne propter cibum destruas opus Dei."* Vult dicere: Cave, ne cibi causa destruas vitam christianam, fidem et pietatem, in fratre infirmo. Sic monet apostolus, ne nos exemplo nostro malo destruamus bonum, quod Deus in proximo exstruxit. Opus Dei est fides et pietas (vita christiana), quam Deus in fratre infirmo gratia sua exstruxit. Alii (Estius) per opus Dei intelligunt ipsum fratrem christianum, fide et pietate imbutum. Sensus in substantia idem est. Ceterum loquendi ratio apostoli est metaphorica, ducta imagine ab aedificio, quod exstruitur vel destruitur. — *„Omnia munda mundis;"* quasi diceret: Scio, nullum cibum ex natura sua immundum esse, et hactenus in nullius cibi usu quidquam esse mali. Verbis his concedit, uti supra (v. 14.), quod aliquis ei posset objicere, nimirum nullum cibum ex se immundum esse; negat vero statim consequentiam, non esse, cur ab illo abstineatur, dum dicit: *„Sed malum homini, qui cum offendiculo manducat;"* quasi diceret: Sed tamen malum facit et peccat homo, qui promiscuo ciborum usu fratribus occasionem praebet peccandi.

V. 21. *„Bonum est, non manducare carnes, nec bibere vinum, nec aliquid, in quo frater tuus offendit, aut scandalizatur, aut infirmatur."* Vult dicere: Contra autem recte facis, si, ne fratri tuo scandalum praebeas, abstines a carnibus, et a vino et omnino a quocunque tandem cibo vel potu, cujus sumptio fratri tuo fieri possit occasio peccandi. καλὸν, scil. σοὶ ἐστι. κρέα pro κρέατα a

κρέας, caro. — *μηδὲ ἐν ᾧ . . . προσκόπτει* dictum est pro: *μηδὲ πράσσειν τι, ἐν ᾧ προσκόπτει* (nec facere aliquid, quo offendit). *ἀσθενεῖ*, infirmatur, i. e. infirmior fit fide, adeo, ut periculum sit, ne fidem prorsus amittat. Conf. dicta v. 15.

V. 22. *„Tu fidem habes;“* quasi diceret: Tu persuasum habes, omnia esse munda, et christianum Mosaicis legibus ritualibus non teneri. Sic occurrit objectioni, quam quis ei facere posset. *πίστις* h. l. animi persuasio. Pro: *σὺ πίστιν ἔχεις* nonnulli codices habent: *σὺ πίστιν, ἣν ἔχεις, κατὰ . . .;* sensus idem manet. Similiter non mutatur, sive cum interrogatione, sive indicativo legatur. — *„Tibi ipsi habe coram Deo.“* Vult dicere: Persuasionem illam tuam habe intus, in animo coram Deo judice, et noli illam foras ostendere eaque uti cum proximi detrimento. — *„Beatus, qui non judicat se ipsum in eo, quod probat.“* Vult dicere: Beatus, qui se ipsum non condemnat interius (in foro conscientiae) in re, quam exterius (actu) approbat; seu: Beatus, qui nulla in re agit contra conscientiae suae dictamen.

V. 23. *„Qui vero dubitat“*, i. e. qui vero illam persuasionem non habet, scilicet licere quibusvis cibis vesci. *διακρίνομαι* (med.), dubito. — *„Si manducaverit“*, i. e. si tamen manducaverit cibum, quem illicitum sibi putat. — *„Damnatus est“*, i. e. reus factus est peccati. *κρίνειν* h. l. idem ac *κατακρίνειν;* et *κατακέκριται*, damnatus est, scil. peccati, seu reus factus est peccati. — *„Quia non ex fide“*, i. e. quia non edit juxta animi persuasionem, seu dictamen conscientiae suae. Hisce ratio redditur dicti prioris. — *„Omne autem, quod non ex fide, peccatum est;“* i. e. omne autem, quod non fit juxta animi persuasionem seu dictamen conscientiae, peccatum est. Inde elucet, hominem, quotiescunque contra animi persuasionem, i. e. contra conscientiae dictamen agit, peccare, sive sit conscientia ejus recta, sive erronea. „Nam, dicit s. Thomas, actus judicantur secundum voluntatem agentium; voluntas autem movetur a re apprehensa. Unde in id voluntas tendit, quod ei vis apprehensa repraesentat, et secundum hoc qualificatur vel specificatur actio. Si igitur ratio alicujus judicet aliquid peccatum, et voluntas fertur in id faciendum, manifestum est, quod homo habet voluntatem faciendi peccatum, et ita actio ejus exterior, quae informatur ex voluntate, peccatum est.“ Nonnulli N. T. editores (Griesbach, Matthaei et alii) nunc in suis editionibus doxologiam annectunt, quae in nostra Vulgata (et Lachmann atque Tischendorf)

ad finem epistolae (16, 25.) legitur, et quidem rectius. Nam ad finem c. 16. legitur in plerisque codicibus graecis, nec non in versione Syriaca et apud omnes Patres latinos.

Caput XV.

Argumentum. In prima capitis hujus parte pergit apostolus monere firmos fide, ut infirmorum imbecillitates Christi exemplo patienter ferant (v. 1—4.); hortatur dein utrosque, ethnico-christianos et Judaeo-christianos, ad concordiam et fraternam charitatem; dein pia apprecatione posteriorem hanc epistolae suae partem claudit (5—13.) — In epilogo epistolae (14—33.) excusat se, quod Romanis scripserit, atque dicit, officium muneris apostolici ab ipso postulasse, ut quaedam aspere dixerit; breviter exponit fructum sui inter gentiles praedicati evangelii (14—20.); se ad ipsos venturum pollicetur, quum in Hispaniam profecturus eos in transcursu videre speret (21—24.); sed antea Hierosolymam vadet ad eleemosynas, in Macedonia et Achaia in sustentationem Hierosolymitanorum christianorum collectas, deferendas (25—29.); interim eos instanter obsecrat, ut pro ipso Deum orent, iterque suum Hierosolymitanum Deo commendat, ut omnibus feliciter peractis, Romam laetus veniat (30—33.).

V. 1. *„Debemus autem nos firmi imbecillitates infirmorum portare.“* Vult dicere: Non tantum debemus omne scandalum vitare, sed debemus etiam nos, qui persuasionem illam firmam habemus, infirmorum fratrum nostrorum ignorantias et praejudicia patienter sufferre. — Debemus (ὀφείλομεν), scilicet debito fraternae charitatis. — δυνατοὶ (firmi), scil. τῇ πίστει (persuasione). Imbecillitates, i. e. ignorantiam, praejudicia, quibus crederent, leges rituales etiamnum vim obligandi habere. — *„Et non nobis ipsis placere;“* quasi diceret: Et non sine respectu aliorum tantum juxta nostram animi persuasionem et scientiam vivere, proximorum utilitate neglecta.

V. 2. *„Unusquisque nostrum proximo suo placeat in bonum, ad aedificationem.“* Vult dicere: Unusquisque nostrum proximi commodis inserviat ad promovendum bonum ipsius, ut nimirum saluti ejus inserviat (dando bonum exemplum). Verba: ad aedificationem sunt explicatio verborum: in bonum. Lectio ἕκαστος ἡμῶν praeferenda est ob contextum lectioni: ἕκαστος ὑμῶν.

V. 3. *„Nam etiam Christus non sibi ipsi placuit;"* quasi diceret: Nam etiam Christus, cujus exemplum nobis imitandum est, non suis commodis studuit; sed propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis, passus, crucifixus et mortuus est. — *„Sed",* scilicet studio gloriae Patris coelestis hominum causa flagravit. — *„Sicut scriptum est",* nimirum in psalmo 68. (hebr. 69.) v. 10., qui psalmus typico sensu propheticus est de Messia (cf. 11, 9.). David nimirum, qui typus erat Christi, quum multa propter Jehovam passus esset ab adversariis, implorans auxilium ejus in suis calamitatibus, dicit: *„Convicia eorum, qui conviciantur tibi, ceciderunt super me;"* quasi diceret: Tua causa, o Deus, impii homines contumeliis me affecerunt. Sensu autem eminentissimo verba haec complementum nacta sunt in Christo; nam ipse divinae rei causa, ut humanum genus cum irato Deo reconciliaret, summa convicia et contumelias sustinuit (Hebr. 12, 2.).

V. 4. *„Quaecunque enim antea scripta sunt",* nimirum in V. T.; seu omnes literae veteris Testamenti. — *„Ad nostram disciplinam scripta sunt",* i. e. ad nostram instructionem conscripta sunt. Verbis igitur hujus versus dat rationem (γάρ), cur loco scripturae s., qui de Christo agit, usus sit ad nostram instructionem, quia scil. tota scriptura ad nostram instructionem ordinata est. — *„Ut per patientiam et consolationem scripturarum, spem habeamus;"* quasi diceret: Ut nimirum per patientiam, ad quam nos scripturae sacrae verbis et exemplis hortantur, et per consolationem, quam effata ejus nobis praebent, futura et aeterna praemia promittendo, spem habeamus eorum praemiorum seu gloriae aeternae. — „Scripturae scilicet, uti bene observat Estius, hortantur ad patientiam, et consolationem suggerunt, non solum monitis, sed etiam propositis ob oculos exemplis eorum, qui Deo placuerunt, maxime Christi Domini." Genitivus τῶν γραφῶν pertinet tum ad vocem ὑπομονῆς, tum ad τῆς παρακλήσεως.

V. 5. *„Deus autem patientiae et consolationis",* scilicet auctor et largitor. Hisce significat, donum esse divinae gratiae, ut reapse habeamus patientiam, ad quam scripturae hortantur, et consolationem, quam eaedem nobis praebent. — *„Det vobis, ut idem inter vos sentiatis secundum Jesum Christum."* Vult dicere: Det vobis, ethnico-christianis et Judaeo-christianis, ut sublatis illis de legibus ritualibus contentionibus, unum idemque sentiatis secundum voluntatem Jesu Christi. — δῴη forma hellenistica pro δοίη. ἐν ἀλλήλοις, inter vos, i. e. in coetu vestro; non: erga

vos, quia non scripsit εἰς ἀλλήλους (ut 12, 16.). κατὰ Χριστὸν, i. e. secundum voluntatem Christi (cf. 8, 27. κατὰ θεὸν). — *„Ut unanimiter uno ore glorificetis Deum et Patrem Domini nostri Jesu Christi.“* Genitivus τοῦ κυρίου solum ad vocem πατέρα referendus est, et non etiam ad τὸν θεὸν, quia non est moris apostolo, Deum dicere Jesu Christi; quapropter verba ita resolvenda sunt: Deum, qui est Pater Domini nostri Jesu Christi (cf. Estius).

V. 7. *„Quapropter suscipite invicem;“* quasi diceret: Quapropter, ut nimirum uno ore Deum glorificetis, invicem benigne suscipite. — *„Sicut et Christus suscepit vos ad gloriam Dei;“* quasi diceret: Quemadmodum etiam Christus vos omnes, Judaeos et gentiles, sibi sociavit, assumendo vos in suam ecclesiam atque adoptivos Dei filios efficiendo, et hoc ideo, ut per hoc Dei gloriam promoveret. — Sic s. apostolus exhortationem suam confirmat iterum exemplo Christi. Verba: ad gloriam Dei jungenda sunt cum verbo: suscepit.

V. 8. *„Dico enim, Jesum Christum ministrum fuisse circumcisionis pro veritate Dei.“* Vult dicere: Dico nimirum, Jesum Christum fuisse ministrum Judaeorum, praedicando eis salutis evangelium, ut sic Deus verax et fidelis demonstraretur. γὰρ h. l. est particula explicativa: nimirum; nam vult explicare, illam Judaeorum et gentilium assumptionem cessisse in gloriam Dei. Minister (διάκονος) dicitur Christus h. l., quemadmodum et apostoli vocantur ministri novi Foederis, nimirum quatenus evangelium salutis praedicavit. περιτομή, circumcisio, abstractum positum pro concreto: circumcisi, i. e. Judaei (3, 30.). — ἀλήθεια τοῦ θεοῦ est Dei veracitas seu fidelitas in praestandis promissis, uti patet ex statim sequentibus. — *„Ut confirmarentur promissiones patrum;“* i. e. ut nimirum ita adimplerentur promissiones olim patribus eorum (Abrahae, Davidi et ceteris) a Deo factae. Promissio nimirum Messiae, Salvatoris, a Deo facta fuerat non gentilibus, sed progenitoribus populi Israëlitici (Deut. 18, 15.). Praedicta quidem erat etiam salus gentilium, sed promissio facta est nulla; hinc in Judaeis assumptis apparebat Dei veracitas seu fidelitas in praestandis promissis. βεβαιοῦν, firmare, ratum facere. τῶν πατέρων est genitivus objecti, i. e. promissiones patribus factae. — *„Gentes autem pro misericordia glorificare Deum;“* quasi diceret: Gentiles autem, quibus nulla facta fuit promissio salutis in Christo, dico, glorificasse Deum pro misericordia ipsis exhibita. Quamvis Judaei et gentiles per Dei misericordiam redempti sint,

tamen datur discrimen aliquod inter Judaeos et gentiles. Judaeis nimirum factae sunt promissiones de Messia et de salute in eo, et ideo, quamvis per misericordiam factae fuerint, propter veracitatem Dei per justitiam quandam erant adimplendae et exhibendae. Gentilibus contra, licet praedicta fuerit et eorum in ecclesiam Christi receptio, nulla fuit peculiariter facta promissio; quapropter Deus nulla promissione obligatus erat ad praestandum; ideoque per meram misericordiam ad gratiam redemptionis vocati censentur. Unde ethnico-christianis ipsis colligendum relinquit, quod non debeant se superbe efferre et contemnere Judaeo-christianos. δοξάσαι, glorificasse, in aoristo, quia apostolus illam gentilium in ecclesiam assumptionem jam factam supponit.

V. 9. *„Sicut scriptum est“*, nimirum in psalmo 17. (hebr. 18.) v. 50. Probat nunc quatuor adductis testimoniis, praedictum olim fuisse, fore ut Deus misericordiam gentilibus exhiberet; idque facit, uti Estius monet, maxime propter Judaeos, ut quibus difficile esset persuadere, gentiles vocandos esse ad participationem beneficiorum Messiae, sibi, non gentilibus promissi. — *„Propterea laudabo te inter gentes, et nomini tuo cantabo.“* In psalmo hoc promittit David, se inter gentes celebraturum esse Deum propter liberationem suam e manibus hostium; sed verba haec, quum David typus esset Messiae, docente Paulo, pertinent etiam ad Messiam, in cujus ore perfecte impleta sunt, quando apostolorum ministerio praedicatum est evangelium omni creaturae et etiam gentiles in ecclesiam Christi recepti sunt; nam tunc celebravit Christus Deum inter gentiles. Verba: nomini tuo cantabo denotant idem ac: laudabo te. ψαλλεῖν est cantare unacum pulsatione instrumentorum musicorum; inde ψαλμός proprie pulsatio instrumentorum musicorum fidibus instructorum; dein ipse cantus hac pulsatione conjunctus. Vult igitur s. apostolus verbis versus 9. dicere: Sicut apud psalmistam ipse Christus dicit: Laudem tuam praedicabo inter gentiles. — Sic probavit, praedictum fuisse, fore ut gentiles in ecclesiam Christi assumerentur.

V. 10. *„Et iterum dicit“*, scil. scriptura in Deuteronomii cantico (32, 43.) juxta 70. — *„Laetamini gentes cum populo ejus.“* Vult apostolus dicere: Vos gentiles, cum participes facti sitis adoptionis in populum Dei N. T. et bonorum ei promissorum, unacum Judaeis jubilate et una collaudate Deum. Populus Dei sunt Judaei; conf. 9, 4.

V. 11. *„Et iterum“*, scil. in psalmo 116. (hebr. 117.) versu 1., dicit scriptura. — *„Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi.“* Quum hoc loco omnes gentiles invitentur ad laudandum Deum, eo ipso, s. apostolo interprete, intelliguntur divinam consecuti misericordiam et participes facti adoptionis in populum Dei N. T.

V. 12. *„Et iterum Jesaias dicit;“* quasi diceret: Et post illa superiora testimonia adhuc Jesaias testatur (scil. 11, 10.). Locus citatus est juxta versionem Septuaginta. — *„Erit“*, i. e. continget aliquando. Verbum ἔσται (erit) non est conjungendum cum voce ῥίζα (radix), sed est absolute positum; nam in versione 70 ad hanc vocem adhuc legitur: ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ (die illa). — *„Radix Jesse, et qui exsurgit, ut imperet gentibus, in eum gentes sperabunt.“* ἡ ῥίζα (radix) et ὁ ἀνιστάμενος (qui exsurgit) sunt nominativi absoluti, et ῥίζα h. l. sumi debet significatu: surculus. Surculus Jesse vero significat Messiam, ex Davide, filio Jesse, oriundum secundum carnem, qui, uti in textu hebraeo legitur, stabit in vexillum populorum, ad quem etiam gentes confluent (seu se convertent). ἀνιστάμενος particip. praes. med. (ab ἀνιστήμι), praesens loco futuri positum more prophetico. Vult ergo apostolus verbis hujus versus dicere: Erit aliquando, ut gentiles ad Messiam, oriundum ex stirpe Jesse, patris David secundum carnem, et ad eundem ipsum, qui exsurget ad imperandum gentilibus, undique confluant et in eum sperent. Sic igitur iterum verbis praedicta est gentilium in populum N. T. seu ad ecclesiam christianam assumptio.

V. 13. *„Deus autem spei repleat vos omni gaudio et pace in credendo;“* quasi diceret: Deus autem spei nostrae auctor, vos in suscepta fide repleat omni spirituali gaudio et pace. — Totam exhortationem superiorem (c. 14—15., 1—12.) pio concludit voto. Apostolus Deum hoc loco vocat Deum spei, ut supra (v. 5.) Deum patientiae, quatenus est spei nostrae auctor per concessam gratiam justificationis, qua adoptivi filii ejus effecti (8, 15. 16.), haeredes sumus secundum spem vitae aeternae (coll. Tit. 3, 7.). Per spem hic debet intelligi spes consequendae vitae aeternae; ex hac spe progerminant velut fructus gaudium et pax; ipsa spes autem nititur fide. De gaudio cf. 14, 17. — de pace cf. 1, 7.). — *„Ut abundetis spe, virtute Spiritus sancti;“* quasi diceret: Et hoc eum in finem, ut exuberetis in illa spe per virtutem Spiritus sancti. In Vulgata legitur: et virtute Spiritus sancti; sed particulam et nullus graecus codex

hoc loco habet; porro abest illa, teste Estio, etiam a nonnullis manuscriptis codicibus Vulgatae. — Ne correptionem atque instructionem sibi adhibitam moleste ferant Romani, dicit Estius, excusatione utitur cum laude eorum conjuncta, quum dicit, nec apud illos deesse, qui simile officium praestare possint. Neque enim, quod hic eis attribuit, ad omnes eos et singulos referendum est. Dicit ergo apostolus:

V. 14. *„Persuasum autem habeo, fratres mei, et ego ipse de vobis, quod et ipsi pleni estis bonitate, repleti omnia scientia."* Vult dicere: Quamquam vos in literis meis ad vos datis, monuerim, tamen persuasum habeo, fratres mei, etiam ego ipse de vobis, quod jam ipsi sine me monitore pleni sitis bonitate, repleti omni scientia veritatis christianae. — Hisce se excusat apostolus, quod Romanis scripserit. — *ἀγαθωσύνη*, bonitas, quae se manifestat per bona erga fratres opera. Dicit: plenos bonitate, propter multitudinem bonorum operum erga fratres; non autem, quod in ea jam perfecti essent, ut plus capere non possent (Estius). *καὶ αὐτοὶ*, et ipsi, i. e. jam ipsi vestra sponte sine me monitore. — *„Potentes etiam vos invicem monere"*, i. e. ideoque tales, qui possitis etiam vos invicem monere.

V. 15. *„Audacius autem scripsi vobis, fratres, ex parte;"* i. e. in literis meis monitoriis audacius, liberius, quam pro vestra bonitate et scientia necessarium erat, scripsi vobis, fratres. — Sic excusat libertatem suam in scribendo. — *τολμηρότερον*· neutrum comparativi positum est adverbialiter pro *τολμηροτερῶς*. Alterum membrum comparationis reticetur, quod sumendum est ex contextu, et ita exprimendum: audacius, quam pro vestra bonitate et scientia necessarium fuit. — Verba *ἀπὸ μέρους*, ex parte, possunt jungi vel cum *τολμηρότερον*, hoc sensu: aliquantulum audacius (liberius) scripsi vobis; vel autem cum *ἔγραψα*, hoc sensu: in nonnullis epistolae meae locis liberius scripsi vobis. — *„Tanquam in memoriam vobis revocans"*, i. e. non tam, ut docerem vos, quae nescitis, quam ut in memoriam vobis revocarem tanquam scientibus. — *„Propter gratiam, quae data est mihi a Deo;"* quasi diceret: Et hoc (scil. quod audacius scripsi) feci, ut satisfacerem apostolico muneri, concesso mihi a Deo. — Per *χάριν* (gratiam) intelligit munus apostolicum; verba haec simul referenda sunt ad illa: audacius scripsi. — *„Ut sim sacerdos Jesu Christi ad gentes"*, i. e. eum in finem, ut essem sacerdos Jesu Christi apud gentiles. — Verbis his indicat finem muneris sui apostolici. — *λειτουργός* saepe quidem idem significat ac *διάκονος*,

scil. ministrum; sed h. l., uti appositio ἱερουργοῦντα . . . docet, speciatim significat sacerdotem. — *„Velut sacerdos administrans evangelium Dei.“* Hisce verbis exprimit modum, quo esset s. apostolus sacerdos Christi ad gentes. ἱερουργέω (ex ἱερος et ἐργάζομαι) sacris operor, administro sacra.

V. 16. *„Ut fiat oblatio gentium accepta, sanctificata in Spiritu sancto“,* i. e. ut fiat sacrificium, quod sunt gentiles, praedicatione mea evangelica ad Christum conversi, Deo gratum et acceptum, quippe per Spiritum s. sanctificatum. — Apostoli loquendi ratio est metaphorica, ducta similitudine a functionibus sacerdotalibus in sacrificando. Sacrificium sunt gentiles ad Christum conversi; nam, quatenus homo verbo Dei praedicato credit, obedit, — interne se ipsum Deo tradit, seu se offert spiritualiter; — praedicatio evangelii est actus sacerdotalis, quo sacrificium istud Deo offertur, quatenus Christi verbo, fide suscepto, ipse Christus suscipitur et fidelibus traditur, fideles autem per fidem Deo traduntur (offeruntur); sacerdos autem est ipse apostolus. Unde patet, praedicationem evangelii esse functionem sacerdotalem, et qui evangelium praedicat, Deo offert sacrificium metaphoricum, tradendo scil. homines per fidem in Christum Deo, tradendo Christum fidelibus (Cf. Phil. 2, 17.). — Grata, nimirum per fidem; sanctificata, i. e. grata oblatio, quippe quum sanctificata per Spiritum s. — „Allusio est, inquit bene Estius, ad ritum veteris sacerdotii, quo hostiae, Deo offerendae, sanctificationibus quibusdam externis praeparabantur ac mundabantur, ut acceptabile esset sacrificium. Ita significat apostolus, gentes, prius immundas, per fidem operante Spiritu s. mundatas et sanctificatas, a se velut sacerdote, gratam et acceptam offerri hostiam Deo.“ — προσφορὰ τῶν ἐθνῶν, genitivus objecti, i. e. sacrificium, quod sunt gentes. — Inepte Calvinus hinc occasionem sumpsit, verum in ecclesia negandi sacrificium, et unicum praedicationis sacrificium stabiliendi; nam tum etiam affirmari deberet, etiam metaphorica sacrificia justitiae, misericordiae et cordis contriti, quae passim leguntur, sacrificia V. T. sustulisse; quod vero factum non est.

V. 17. *„Habeo igitur gloriationem in Christo Jesu in iis, quae ad Deum pertinent.“* — Prius (v. 16.) dixerat apostolus, quem in finem ipsi fuerit concessum munus apostolatus; hic vero loquitur de felici ejusdem successu, in gentilium conversione conspicuo. Facit autem hoc ad sui apostolatus commendationem, ut eo insinuet, jure se potuisse monitorias ad illos

dare literas. — καύχησις est gloriatio, h. l. materia gloriandi, per quam intelligit prosperum successum in evangelii praedicatione apud gentiles. — Verba: in Christo Jesu jungi debent cum voce καύχησιν, hoc modo: habeo materiam gloriandi in Christo Jesu, et sensus est: Prosper evangelicae apud gentiles praedicationis successus non meis viribus, sed Christo, per me operanti, tribuendus est. — τὰ πρὸς τόν θεὸν, in iis, scil. rebus, quae ad Deum pertinent, i. e. in rebus divinis, sacris, seu in munere meo sacerdotali.

V. 18. *„Non enim audebo aliquid dicere eorum, quae per me non effecit Christus, in obedientiam gentium;"* i. e. non enim audebo gloriandi causa commemorare aliquid earum rerum, quas per me operatus non fuerit Christus ad gentilium conversionem efficiendam. — Verbis his removet a se suspicionem inanis et vanae gloriationis. — εἰς ὑπακοὴν ἐθνῶν, i. e. ad efficiendum, ut gentiles obedirent evangelio, seu: ad gentilium conversionem. ἐθνῶν h. l. est genitivus subjecti, seu personae. — *„Verbo et opere"*, i. e. evangelii praedicatione et miraculorum perpetratione (scil. efficiendam). Per verbum intelligenda est evangelii praedicatio; per opus autem perpetratio miraculorum, uti statim ipse explicat.

V. 19. *„Virtute signorum et prodigiorum,"* i. e. effectione signorum et miraculorum. σημεῖα et τέρατα notione non differunt; utrumque vocabulum significat rem inusitatam, mirabiliter contra naturam factam. Attamen, quamvis notione non differant, eandem rem inusitatam diverse exprimunt; nam σημεῖον est res inusitata, mirabiliter facta, qua Deus aliquid significat (v. c. cibatio 5000 hominum, qua significabatur illa mysteriosa hominum innumerorum per s. eucharistiam), dum τέρας rem denotat extraordinariam, miram, quae terrorem incutit (v. c. ejectio daemonum, sedatio tempestatis in mari). — ἐν h. l. instrumenti: vi, virtute. — *„Virtute Spiritus sancti"*, i. e. virtute, qua Spiritus sanctus evangelii praedicationem adjuvit (in me et auditoribus), et varia charismata in credentes effudit (coll. 1. Cor. 12.). — *„Ita ut ab Hierosolyma et in circuitu usque ad Illyricum absolverim evangelium Christi;"* quasi diceret: Eo eventu, ut inde ab Hierosolyma et in regionibus circumjacentibus usque ad Illyricum laetum de Christo nuncium absolverim, seu doctrinam Christi propagaverim. — Hisce verbis significat ambitum suae activitatis apostolicae, evangelium praedicans ab Hierosolyma usque ad Illyricum, non recta via, sed quaquaversum per adjacentes hinc

inde regiones. An ipse in Illyria evangelium praedicaverit, certo dici nequit, quum nec Acta Apostolorum, nec epistolae apostoli id diserte doceant. Quum tamen saepe in Macedonia fuerit, facile fieri poterat, ut ipsam adiret Illyriam, quum regio haec contermina esset Macedoniae. — *κύκλῳ*, in circuitu, circumcirca, i. e. in regionibus circumjacentibus, scil. in Arabia, Syria, Phoenicia, Asia minori, Graecia et in insulis maris Aegaei. — *πληροῦν* h. l. idem ac *συντελεῖν*, absolvere, complere, ad finem perducere. — *εὐαγγέλιον* h. l. laetum nuncium de Christo.

V. 20. „*Sic autem studiose curans evangelizare.*" Vult dicere: Ita vero praedicare studiose curans. Participium *φιλοτιμούμενον* pendet ab antegresso *με* (v. 19.). Est autem *φιλοτιμοῦμαι* studiose curo aliquid. Auctor Vulgatae graeca verba h. l. liberius vertit. — „*Non ubi Christus nominatus erat;*" i. e. ut illud facerem non in iis locis, in quibus jam erat annunciatus Christus. — „*Ne super alienum fundamentum praedicarem;*" i. e. ne scilicet super evangelii praedicationem, ab alio apostolo aut praedicatore jam institutam, aedificarem. Per alienum fundamentum debet intelligi evangelii praedicatio ab alio jam instituta.

V. 21. „*Sed sicut scriptum est;*" quasi diceret: Sed feci, quod ab Jesaia (52, 15.) scriptum est. — „*Quibus non est annunciatum de eo, videbunt; et qui non audierunt, intelligent.*" Vult dicere: Gentiles, quibus antea nihil de Messia fuerat annunciatum, videbunt eum oculis fidei per apostolorum praedicationem; et qui de eo nihil audierant, eum per fidem cognoscent. — Hoc propheticum testimonium, ait bene Estius, quod generatim de gentibus loquitur, Paulus specialiter accommodat suo instituto, referens illud ad eas gentes, ad quas aliorum apostolorum praedicatio nondum pervenerat. *περὶ αὐτοῦ*, de eo, i. e. de Messia.

V. 22. „*Quare et impediebar plerumque, quominus ad vos veniam;*" quasi diceret: Ideo, quia occupabar in praedicando Christi evangelio iis in locis, in quibus Christus adhuc non esset annunciatus, impeditus fui, quamvis saepe desideraverim, quominus ad vos venirem. — Hisce causam exponit, cur tamdiu distulerit invisere Romanos. — In Vulgata adhuc legitur: Et prohibitus sum usque adhuc; sed id in nullo codice graeco legitur.

V. 23. „*Nunc vero, quum locum non habeam in his regionibus.*" Vult dicere: Nunc vero, quum in his regionibus, inter Hierosolymam et Illyriam sitis (Asia minori, Macedonia, Graecia et insulis maris Aegaei), nullus sit locus evangelio vacuus, cui

esset necesse istud annunciare. — *„Desiderium autem habeam a multis jam annis ad vos veniendi;“* quasi diceret: Et quum a multis jam annis ardenter desiderem ad vos venire.

V. 24. *„Quando in Hispaniam proficiscor, spero, me vos in transitu videre.“* Volebat enim, Corintho relicta, iter facere in Hispaniam per Romam. ὡς ἐὰν valet idem ac ὅταν, quando. — Verba ἐλεύσομαι πρὸς ὑμᾶς, quae post vocem Σπανίαν in textu recepto leguntur, desunt in codicibus antiquissimis (A—G), porro in plerisque antiquis versionibus. Etiam vocula γὰρ post ἐλπίζω non legitur in codicibus F. G., uti nec in plerisque versionibus antiquis. — *„Et a vobis illuc deduci;“* i. e. et a vobis in Hispaniam deduci, subministratis etiam rebus, ad iter agendum necessariis. προπεμπεῖν, deducere (honoris causa), et dein deducere subministratis rebus, ad iter agendum necessariis. — *„Si vobis primum ex parte satiatus fuero.“* Vult dicere: Postquam prius ex vestra fide, charitate et conversatione aliquatenus gaudio affectus et recreatus fuero. — ἐμπλήθω, expleo, satio. Satiari seu frui aliquo (Philem. v. 20.) est gaudium capere ex consuetudine et conversatione cum aliquo, indeque recreari. Dum dicit: ex parte, significat desiderii sui magnitudinem, quasi diceret: Non quantum vellem, sed quantum licebit.

V. 25. *„Nunc igitur proficiscor Hierosolymam, ministrans sanctis.“* Vult dicere: Nunc vero, priusquam in Hispaniam iter meum instituam, in eo sum, ut proficiscar Hierosolymam ad succurrendum inopiae christianorum Hierosolymitanorum, eleemosynas, in Graecia et Macedonia collectas, eis perlaturus. — Quia apostolus dicit: Nunc proficiscor, patet, epistolam hanc brevi ante discessum ejus ex urbe Corintho scriptam fuisse (a 59. vere).

V. 26. *Probaverunt enim Macedonia et Achaia, collationem aliquam facere in pauperes sanctorum, qui sunt Hierosolymae;“* i. e. placuit nimirum Macedonibus et Achaeis christianis, pecuniariam aliquam facere collationem pro pauperibus christianis Hierosolymitanis. (Cf. Act. 24, 17.). γὰρ h. l. nimirum. — κοινωνία, collatio.

V. 27. *„Probaverunt enim“,* i. e. placuit, inquam, eis. — *„Et debitores sunt eorum;“* quasi diceret: Et juste placuit eis ita facere, quia debitores sunt eorum (nimirum debito gratitudinis et justitiae, uti sequentia docent). Verbis his vult apostolus ipsos Romanos excitare ad succurrendum christianis Hierosolymitanis. — *„Nam si spiritualium eorum participes factae sunt gentes;“* quasi diceret: Si enim gentiles spiritualia Judaeorum bona parti-

ciparunt. Nam omnia bona spiritualia, seu beneficia religionis christianae a Judaeis ex urbe Hierosolyma, ubi prima orta est ecclesia, gentiles acceperunt. — *„Debent et in carnalibus ministrare illis;“* quasi diceret: Debent vicissim hi temporalibus suis bonis inopiam illorum levare. — Charitas enim christiana omnia habet communia, manifestatque se continuo dando et accipiendo. Dat spiritualia et accipit temporalia, et vice versa, quippe quum totum hominem quoad corpus et spiritum complectatur.

V. 28. *„Hoc igitur quum perfecero“*, scilicet iter Hierosolymitanum ad collectam a gentilibus pecuniam deferendam. — *„Et obsignavero eis fructum hunc;“* quasi diceret: Et secure tradidero illis Hierosolymitanis christianis hunc fructum charitatis Macedonum et Achaeorum, seu hanc collationem. *σφραγίζω*, obsigno, sigillo noto; dein, quum quae sigillo muniuntur, tuta praestentur, notat etiam: tutum praesto, in tuto colloco, seu secure trado, ut h. l. Fructum vocat eleemosynam (collationem illam pecuniariam). — *„Per vos in Hispaniam proficiscar;“* per Romam, urbem vestram, proficiscar in Hispaniam. Huic apostoli proposito eventus respondit revera, sed Deo disponente aliter, quam apostolus cogitabat. Quum enim Hierosolymam venisset, comprehensus est ibi a Judaeis, et biennio detentus Caesareae, dein vero captivus missus Romam, ubi iterum biennio detinebatur. Ex hac captivitate liberatus, postea ivit in Hispaniam, uti antiqui testantur: Clemens Rom. (1. epist. ad Corinth. c. 5.), auctor canonis ignoti apud Muratorium (quando de Actibus apost. loquitur), Dionysius, Corinthiorum episcopus (apud Euseb. hist. eccl. II. 22.); porro Tertullianus, Chrysostomus et Hieronymus.

V. 29. *„Scio vero, quum veniam ad vos, me in plenitudine benedictionis Christi esse venturum.“* Vult dicere: Scio, me, quum venero ad vos, allaturum vobis esse maximam copiam bonorum spiritualium. — Hisce verbis significat apostolus, adventum suum valde frugiferum fore Romanis. — *ἔρχεσθαι ἔν τινι*, venire cum aliqua re, afferre aliquam rem (1, 11.). *πλήρωμα εὐλογίας*, plenitudo benedictionis est summa copia bonorum spiritualium, seu donorum gratiae. *Χριστοῦ* genitivus auctoris, i. e. quorum auctor est Christus. *τοῦ εὐαγγελίου* post vocem *εὐλογίας* non legitur in codicibus antiquissimis (A—G.).

V. 30. *„Obsecro autem vos, fratres, per Dominum nostrum Jesum Christum et per charitatem Spiritus sancti.“* Vult dicere: Rogo vos cum obtestatione per Jesum Christum, qui est Dominus et Salvator omnium, et per charitatem christianam, a Spiritu

sancto in cordibus fidelium diffusam. — *„Ut mecum certetis in precibus pro me ad Deum"*, i. e. ut mecum enixe Deum pro me precemini. — Praesentiebat nimirum s. apostolus, mala sibi in hoc Hierosolymitano itinere instare (coll. Act. 20, 22.), et ideo hortatur lectores, ut cum ipso certent in precibus pro ipso fundendis; nam verae preces sunt quasi certamen aliquod, cujus figuram habemus in lucta Jacobi cum angelo (Dei Filio). In precando enim anima hominis omnem suam vim interiorem colligere debet, ut supra se ad Deum se possit elevare. Tanto magis valet idde suffragiis; qui enim pro aliis precatur, inopiam ejus, pro quo precatur, modo spirituali simul sentit.

V. 31. *„Ut liberer ab infidelibus in Judaea;"* i. e. ut liberer ab incredulis Judaeis (seu, ne in manus incredulorum Judaeorum incidam). Sciebat enim apostolus se in Judaea periclitaturum, ut qui Judaeis propter evangelium ad gentiles translatum valde esset exosus (Estius). — *„Et ut ministerium meum Hierosolymae acceptum fiat sanctis;"* quasi diceret: Et ut meum ministerium in eleemosynis perferendis et distribuendis gratum acceptumque sit christianis Hierosolymitanis. — Ipsis nimirum Judaeis conversis (fidelibus) erat suspectus Paulus, quasi Judaismi hostis et gentilium patronus, utpote docens, christianum esse liberum a lege Mosaica. Pro διακονία Vulgata cum codicibus quibusdam legit δωροφορία (obsequii oblatio); quod tamen videtur glossema esse.

V. 32. *„Ut cum gaudio veniam ad vos per voluntatem Dei;"* quasi diceret: Ut gaudens de prospero successu itineris et ministerii mei veniam ad vos, si fuerit Dei voluntas. — *„Et una recreer vobiscum"*, i. e. et apud vos mutua consuetudine vobiscum recreer. συναναπαύω, una quiesco; ad animum si referatur, in passivo est: una recreor cum aliquo, ut h. l.

V. 33. *„Deus autem pacis cum omnibus vobis"*, i. e. Deus autem, pacis auctor et largitor, sit cum omnibus vobis. Optat et rogat hisce, quod jam bis in hoc capite rogavit, ut concordes sint in veritate. τῆς εἰρήνης est genitivus effectus (ut v. 5. et 13.). — Deus est auctor pacis, quatenus est fons omnis pacis, et quatenus per Christum pacificavit sibi Deus omnia, sive quae in terris, sive quae in coelis sunt (Col. 1, 20.), et quatenus homo solum in Deo veram (internam) pacem nanciscitur (cf. 1, 7.). — *„Amen,"* i. e. ita sit, seu ita fiat.

Caput XVI.

Argumentum. Commendat Phoeben, ecclesiae Cenchreensis diaconissam, cui epistolam hanc ad Romanos perferendam tradiderat apostolus (v. 1. 2.); deinde ex illorum coetu permultos suo nomine nominatim, et Romanos christianos in universum omnes omnium ecclesiarum nomine salutat (3—16.). Post haec Romanos hortatur, ut dissensionum et scandalorum auctores fugiant (17—20.): deinde plurium nomine Romanis salutem dicit, et solemni benedictione ac insigni doxologia epistolam claudit (21—27.).

V. 1. *„Commendo autem vobis Phoeben, sororem nostram."* Phoebe erat diaconissa ecclesiae Cenchreensis, per quam etiam transmisit hanc epistolam. Nominat eam sororem, scilicet religionis, id est christianam; nam primis ecclesiae temporibus christiani omnes sese mutuo fratres et sorores appellabant. — *„Quae ministra est ecclesiae Cenchreensis;"* i. e. quae est diaconissa ecclesiae Cenchreensis. Diaconissarum officia erant, custodire fores ecclesiae, per quas feminae intrabant, docere feminas non instructas, eas juvare in baptismo suscipiendo, et feminas pauperes aut aegrotas pecunia atque opera sublevare. — Cenchreae erant portus Corinthi, distans ab urbe 70 stadiis. Corinthus nimirum sita inter duo maria, Jonicum et Aegaeum, duobus portubus erat instructa, Cenchreo versus Asiam (orientem) et Lechaeo versus Italiam (occidentem). Ecclesiae Cenchreensis erat Phoebe diaconissa.

V. 2. *„Ut eam excipiatis in Domino;"* i. e. ut eam excipiatis cum charitate christiana, utpote membrum illius corporis mystici, cujus caput Christus est. — In Domino, i. e. christiane, cum charitate christiana. — *„Digne sanctis"*, i. e. sicut christianos decet excipere christianos. De voce ἁγιοι conf. 1, 7. — *„Et adsitis ei, in quocunque negotio vestri indiguerit;"* i. e. et ut opem illi praestetis, in quacunque re vestra ope indiguerit. — *„Nam et ipsa multorum fuit patrona et mei ipsius;"* quasi diceret: Nam et ipsa adjutrix fuit tum multis aliis christianis, tum etiam mihi ipsi. προστάτις-ιδος (ἡ) a masculino ὁ προστάτης (a προΐστημι, adsum, curo) est: patrona, adjutrix.

V. 3. *„Salutate Priscam et Aquilam."* Prisca, vel, ut plures codices juxta Lucam (Act. 18, 2.) habent, Priscilla et Aquila conjuges Judaeo-christiani, erant scenopegi seu tentoriorum opifices, qui e Ponto oriundi, Romae sibi domicilium ele-

gerunt. Quum edicto Claudii imperatoris (a 52.) Judaei assidue tumultuantes Roma expulsi essent, etiam fideles Judaei (Judaeo-christiani) emigrare cogebantur, et sic etiam Aquila et Priscilla (jam fideles) Roma relicta Corinthum venerant, ubi Paulo se adjunxerant eumque Ephesum comitati sunt (Act. 18, 18. 26.). Postea Claudio mortuo iterum Romam erant reversi. Quum Paulus alteram ad Timotheum scripsisset epistolam, iterum erant Ephesi (2. Tim 4, 19.). — *„Cooperatores meos in Christo Jesu;“* i. e. cooperatores meos in negotio fidei Christi, seu in evangelio promovendo.

V. 4. *„Qui pro anima mea suam ipsorum cervicem supposuerunt;“* quasi diceret: Qui pro mea vita tuenda sese mortis periculo objecerunt. Quando et ubi, certo dici nequit; fors in seditione Corinthiaca (Act. 18, 12.), aut in Ephesina (Act. 19, 24.). *τράχηλον ὑποτιθέναι,* cervicem submittere, scil. securi, tropice dictum est, et valet: summum vitae periculum subire. — *„Quibus non solum ego gratias ago, sed et omnes ecclesiae gentium.“* Vult dicere: Quam ob rem non solum ego gratias ago illis, sed etiam mecum omnes ecclesiae gentilium, quum nimirum beneficium conservatae vitae ipsius, beneficium esset non tantum privatum, sed ad omnes pertineret gentilium ecclesias.

V. 5. *„Et ecclesiam, quae in domo eorum est“,* scilicet salutate. Per ecclesiam, quae juxta s. apostolum erat in domo Aquilae et Priscae, nonnulli intelligunt ipsam eorum familiam, id est, liberos, servos et ancillas, qui omnes essent christiani, quippe quum vox ecclesia sensu latissimo denotet omnem fidelium, quamvis exiguam et privatam, vel unius tantum domus congregationem. Sed praeferri videtur sententia eorum, qui per ecclesiam domesticam intelligunt eum christianorum coetum, qui in Priscae et Aquilae domo convenire soleret divini cultus causa. — *„Salutate Epaenetum, dilectum meum.“* De Epaeneto nil certi nobis constat, uti nec de reliquis, qui porro (5—16.) nominatim ab apostolo salutantur. Posteriores scriptores quidam eos omnes recensent inter 70 discipulos Christi, sed absque sufficienti causa. — *„Qui est primitiae Asiae in Christo;“* i. e. qui primus in Asia (proconsulari, Asia cis Taurum) in Christum credidit. *ἀπαρχὴ,* primitiae, i. e. ordine primus (cf. 8, 23.). Nonnulli codices loco Asia legunt Achaia; sed lectio haec verosimiliter huc illata erat ex 1. Cor. 16, 15.

V. 6. *Salutate Mariam, quae multum laboravit in vobis“,* i. e. apud vos. Alii pro: *ἐν ὑμῖν,* uti Vulgata cum multis codicibus habet, legunt *εἰς ἡμᾶς* (in nos, i. e. erga nos); et iterum alii:

εἰς ὑμᾶς (in vos, i. e. erga vos). Sed lectio Vulgatae praeferri videtur ob codices praestantissimos (DEFG). In quo hic labor aut hoc opus constiterit, non exprimit apostolus. Nonnulli putant, laborem istum pertinuisse ad evangelii negotium promovendum; alii iterum censent, fuisse curam pauperum et aegrotorum.

V. 7. „*Salutate Andronicum et Juniam.*" Sunt duo nomina virorum. — „*Cognatos meos et concaptivos meos.*" Vocat eos Paulus cognatos, quia fuerint Judaei; aut quod verisimilius est, quia Paulo contribules, i. e. de tribu Benjamin fuerint. Concaptivos dicit eos, quod aliquando in eodem carcere cum apostolo fuerint; quando vero et ubi factum sit, ignoratur. Nam juxta Clementem Rom (ad Cor. c. 5.) s. Paulus septies fuit ob Christum incarceratus. — „*Qui insignes sunt inter apostolos;*" i. e. qui insignes sunt inter doctores christianos. Si ita explicetur, vox apostolus sumitur significatu latiori (ut Act. 14, 14.). Si autem vox ista accipitur strictiori significatu, sensus est: Qui (egregie) cogniti et magni aestimati sunt ab apostolis (Beelen). — „*Qui etiam ante me in Christo fuerunt;*" i. e. qui priores me christiani facti sunt.

V. 8. „*Salutate Ampliatum, dilectum meum in Domino.*" Ampliatus nomen proprium viri est apud Latinos, quod Graeci decurtarunt in *Ἀμπλίας*. Verbis: in Domino, indicat charitatem christianam (ut v. 2.).

V. 9. „*Salutate Urbanum, cooperatorem nostrum in Christo.*" — Vide v. 3. — „*Et Stachyn, dilectum meum.*" Hic Stachys a Hippolyto et Dorotheo unus e 70 discipulis et postea primus Byzantinae civitatis episcopus fuisse perhibetur.

V. 10. „*Salutate Apellen, probatum in Christo*", i. e. sincere christianum. *δόκιμος*, probatus, sincerus; in Christo, i. e. christianus. — „*Salutate eos, qui sunt ex Aristobuli familia*", i. e. Aristobuli domesticos, qui christiani sunt. *τοὺς ἐκ τῶν Ἀριστοβούλου*, scilicet *οἰκιακῶν* (domestici); sed, uti e versu 11. patet, simul hic mente supplendum est: *τοὺς ὄντας ἐν κυρίῳ*, qui sunt in Domino, i. e. christiani.

V. 11. *Salutate Herodionem, cognatum meum.*" De voce: cognatum vid. v. 7. — „*Salutate eos, qui sunt ex Narcissi familia,*" i. e. domesticos Narcissi (uti prius v. 10.). Hunc Narcissum nonnulli putant Claudii imperatoris famosum libertum. Quum hic jam initio imperii Neronis morte multatus esset, apostolus domesticos ejus, qui christiani facti essent, salutat. — „*Qui sunt in Domino*", i. e. qui christiani sunt. Addit hoc, quod fors non omnes Narcissi domestici fidem Christi recepissent.

V. 12. *„Salutate Tryphaenam et Tryphosam, quae laborant in Domino“*, i. e. quae suo modo (hospitalitate vel alia virtute) collaborant promotioni evangelii, seu rei evangelicae. — *„Salutate Persidem, dilectam, quae multum laboravit in Domino.“* Laboravit in Domino ut supra.

V. 13. *„Salutate Rufum, electum in Domino“*, i. e. eximium pietate inter christianos. Nonnulli putant, hunc Rufum esse filium Simonis Cyrenaei, crucis Christi bajulum, de quo sermo est apud Marcum (15, 21.). Sententiae huic videtur suffragari id, quod etiam ille Rufus apud Marcum in primaeva ecclesia magnae fuisset auctoritatis. — *„Et matrem ejus atque meam“*, nimirum natura Rufi matrem, affectu meam. Rufi matrem vocat etiam suam, quia materno affectu Paulum diligeret.

V. 14. *„Salutate Asyncritum, Phlegontem, Hermam, Patrobam, Hermen.“* Hermam hunc Origenes et Eusebius putant esse auctorem libri, qui Pastor dicitur, sed frustra; nam auctor libri Pastoris fuit frater Pii I. Pontificis, vixitque circa annum 150. post Christum. — *„Et qui cum eis sunt fratres“*, i. e. et christianos eorum domesticos.

V. 15. *„Salutate Philologum et Juliam.“* Videntur hi conjuges fuisse. — *„Nereum et sororem ejus et Olympam.“* Vulgata habet: Olympiadem; Estius putat, fuisse virum. — *„Et omnes, qui cum eis sunt, sanctos“*, i. e. et eorum domesticos, qui christiani sunt omnes.

V. 16. *„Salutate vos invicem osculo sancto;“* quasi diceret: Salutate vos invicem tali osculo, quod decet christianos, et quod symbolum est amoris sancti et sinceri. — Consuetudo nimirum erat antiquis, ut propinquos et amicos advenientes osculo exciperent; osculum enim est amoris symbolum. Osculum vero hoc juxta s. Paulum apud christianos debet esse sanctum, id est signum amoris sancti et sinceri. Osculum hoc christianum, quod Tertullianus dicit osculum pacis, mox in liturgia (in sacris conventibus) ante Eucharistiae sumptionem exhibebatur in signum dilectionis fraternae. — *„Salutant vos omnes ecclesiae Christi.“* Quum nimirum satis cognosceret illarum ecclesiarum, quas ipse fundaverat, studium erga Romanos, reliquarum vero ecclesiarum studium erga eos praesupponere posset, ideo nunc omnium nomine illos salutat.

V. 17. *„Obsecro autem vos, fratres, ut observetis eos, qui dissidia et scandala contra doctrinam, quam vos didicistis, faciunt.“* Vult dicere: Obsecro vos et adhortor, ut observetis eos, qui dissi-

diorum et doctrinarum falsarum auctores sunt, praedicantes nimirum doctrinam, contrariam doctrinae, quam vos viva voce ab apostolis edocti estis. — Hisce verbis ergo admonet de vitando quorundam pseudo-doctorum consortio. Dissidia dicit et scandala metonymice (effectum pro causa) pro ipsis auctoribus dissidiorum et scandalorum. Per scandala intelligendae sunt falsae doctrinae; id patet ex addito: quae sunt contra doctrinam. παρὰ sequente accusativo notat: contra. Porro, quum dicit: contra doctrinam, quam didicistis, i. e. viva voce ab apostolis edocti estis, et non dicit: contra scripturam, elucet, locum hunc praeprimis facere pro traditione non scripta (Cf. Estius). — *„Et declinate ab eis"*, i. e. fugite consortium eorum.

V. 18. *„Hujuscemodi enim Domino nostro Christo non serviunt;"* i. e. tales enim homines Christi gloriam non quaerunt. — *„Sed suo ventri"*, i. e. voluptatibus et cupiditatibus sensualibus serviunt, quaerentes nimirum, unde laute vivant et gulam suam expleant. (Cf. Phil. 3, 19.). — *„Et suavibus atque blandiloquis sermonibus decipiunt corda simplicium."* χρηστολογία (a χρηστὸς, suavis, et λόγος) sunt suaves sermones. εὐλογία sunt sermones blandiloqui. ἄκακος (ex α priv. et κακός) est mali seu doli expers, ergo simplex (animo), seu talis, qui, uti ipse bonus est, ita nec in aliis quidquam mali facile suspicatur.

V. 19. *„Vestra enim obedientia ad omnes pervenit."* Vult dicere: Nam fama fidei vestrae ad omnes pervenit. Hisce verbis alteram dat rationem, cur falsorum illorum doctorum consortium fugere debeant, ne nimirum, si falsis illis doctoribus aures praebeant, famae bonae, quam sibi paraverant ob fidem Christi susceptam, maculam inferant. ὑπακοή, obedientia; h. l. ob contextum est obedientia per fidem Christo praestita, seu fides. Cf. 1, 5. — *„Gaudeo igitur de vobis;"* quasi diceret: Ob hanc igitur vestram fidem gaudeo. — *„Sed volo vos sapientes quidem esse ad bonum, simplices vero ad malum;"* quasi diceret: Ne haec vestrae fidei puritas obscuretur, volo vos circumspectos et prudentes esse, quod ad bonum attinet, ne nimirum decipiamini a falsis doctoribus; simplices vero vos esse volo, quod attinet ad malum, ut scilicet nemini nocere valeatis. ἀκέραιος (ex α priv. et κεράννυμι, misceo) proprie: non mixtus, dein simplex, innocens.

V. 20. *„Deus autem pacis conteret Satanam sub pedes vestros celeriter."* Vult dicere: Deus autem, pacis auctor et largitor, Satanam, qui per falsos illos doctores, ministros suos, vos conturbat et decipere conatur, cito pedibus vestris subjectum con-

fringet, seu vi sua privabit. Pro futuro Vulgata legit συντρίψαι (conterat); et συντρίψει ὑπὸ τοὺς πόδας dictum est praegnanter pro συντρίψει ὑποτάγεντα ὑπὸ τοὺς πόδας, conteret subjectum sub pedes. Apostolus dicit hoc ad lectores consolandos et confirmandos. Verba haec apostoli revera implementum habuisse, docet historia, quum ex omnibus ecclesiis apostolicis unica ecclesia Romana veritatem et unitatem conservaverit. — *„Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum;“* quasi diceret: Ad Satanam conterendum favor et auxilium Domini nostri Jesu Christi sit vobiscum. Cf. 1, 7.

V. 21. *„Salutant vos Timotheus, cooperarius meus, et Lucius et Jason et Sosipater, cognati mei.“* Volebat s. apostolus priori precatione epistolam suam claudere, sed necessarium duxerat, adhuc nonnullas salutationes speciatim adjungere. Timotheus hic est celeber apostoli discipulus et adjutor. συνεργός, cooperator, scil. in evangelio praedicando. — Lucium hunc nonnulli putant esse illum Lucium Cyrenensem in Actibus (13, 1.) commemoratum. Utrum hic nominatus Jason sit idem cum illo Thessalonicensi (Act. 17, 5.), et Sosipater hic idem cum illo in Actibus (20, 4.), certo dici nequit. Dicit eos cognatos eadem ex causa uti supra (v. 7.).

V. 22. *„Saluto vos ego Tertius, qui scripsi epistolam, in Domino.“* Tertius hic fuit amanuensis s. Pauli, qui apostolo permittente suam addidit salutationem. — Qui scripsi, scilicet Paulo dictante. — Verba: in Domino pertinent ad verbum: saluto; ergo saluto vos charitate christiana.

V. 23. *„Salutat vos Cajus, hospes meus et universae ecclesiae;“* quasi diceret: Salutat vos Cajus, qui Corinthi non tantum me, sed etiam christianos omnes, eo adventantes, hospitio excipit. Cajus hic commemoratus est idem cum illo, de quo mentio fit in prima ad Corinthios epistola (1, 14.). ξένος dicitur tum de eo, qui peregrinum hospitio excipit, tum de eo, qui peregrine advenit (uti et Matth. 25, 35.). Loco τῆς ἐκκλησίας ὅλης (universae, totius ecclesiae) nonnulli codices habent ὅλαι αἱ ἐκκλησίαι (universae, omnes, ecclesiae). Vulgata vero habet: universa ecclesia (ὅλη ἡ ἐκκλησία). Sed prior lectio est praeferenda; tum quia praestantissimi codices eam habent, tum quia supra (v. 16.) jam Romanos salutaverat omnium ecclesiarum nomine. — *„Salutat vos Erastus, arcarius civitatis“*, i. e. civitatis Corinthiacae dispensator (administrator) publicae pecuniae. — *„Et Quartus, frater,“* scilicet in Christo, seu christianus.

V. 24. *„Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis. Amen."* Iterat hic, quod prius (v. 20.) dixit; quae iteratio est ad similitudinem Latinorum, qui, quibusdam interpositis, scribere solent: iterum vale.

V. 25. *„Ei autem, qui potens est, vos confirmare."* Vult dicere: Deo autem, qui potest vos confirmare, firmos reddere, scil. in fide. *στηρίζειν*, confirmare, firmum reddere. — *„Respectu evangelii mei;"* quasi diceret: In fide evangelii, quod ego praedico. Verbis his significat, cujus generis sit illa confirmatio. *κατά* h. l. ut saepe notat: respectu, et *κατὰ εὐαγγέλιον*, respectu evangelii, est idem ac: in evangelio, seu in fide evangelii. Evangelium hoc dicit suum, quia praedicatio ejus ipsi demandata erat. — *„Et praedicationis Jesu Christi."* Verba haec sunt explicatio verborum: evangelii mei, ita ut sensus sit: Quod evangelium nil aliud est, quam praedicatio de Jesu Christo. Christus est centrum laeti nuncii. Alii verba: Jesu Christi sumunt ut genitivum subjecti, hoc sensu: Quod evangelium nil aliud est, quam praedicatio, quam Christus meo ministerio fecerat. Priori explicationi favet versio Syriaca. Verbis his igitur precatur Deum, ut fidem conservet Romanis, prouti ille eam ipsis suppeditavit. — *„Secundum revelationem arcani;"* quasi diceret: Qua evangelii praedicatione revelatur et manifestatur opus redemptionis per Jesum Christum incarnatum Filium Dei. Per *μυστήριον* debet intelligi opus redemptionis per Jesum Christum incarnatum Filium Dei. (Cf. Ephes. 1, 9; 3, 9.). — *„Temporibus aeternis taciti."* Vult dicere: Quod opus redemptionis ab aeterno in Dei decreto fuit occultum et absconditum. — Quum tempus non sit aeternum, dicuntur h. l. tempora (improprie) aeterna secundum imaginationem, quae fingimus ante mundum aeternitati coëxtitisse (a Lap.).

V. 26. *„Nunc patefacti"*, i. e. in temporis plenitudine in Christo manifestatum est. — *„Et per scripturas prophetarum secundum praeceptum aeterni Dei ad obedientiam fidei, inter omnes gentes notificati."* Vult dicere: Quod arcanum (seu opus redemptionis), adhibitis scripturis propheticis, juxta aeterni Dei mandatum, apostolis datum, ut obedientia praestetur fidei, inter omnes gentes notificatum et praedicatum est. — Verba: *διά γραφῶν προφητικῶν* construi debent cum participio *γνωρισθέντος* (scil. *μυστηρίου*). Apostoli videlicet adhibitis scripturis V. T. mysterium illud notificarunt; prophetae enim praedixerant futurum Messiam et salutem in eo, apostoli autem factam illam redemptionem praedicaverunt (annunciaverunt), et prophetias adim-

pletas esse manifestarunt ipsa factorum exhibitione, seu eventibus ad vaticinia respondentibus. Unde elucet, N. T. in antiquo latere, et antiquum in novo patere. — κατ' ἐπιταγὴν θεοῦ, secundum praeceptum aeterni Dei. Ille nimirum Deus, qui mundi redemptionem ab aeterno decreverat, ille etiam ordinavit, ut illa, postquam per Christum perfecta fuerat, per nuncios, ad hoc electos, universo mundo manifestetur. εἰς ὑπακοὴν πίστεως, genitivus objecti, hoc sensu: Ut obedientia fidei (doctrinae Christi) praestetur. Cf. 1, 5.

V. 27. *„Soli sapienti Deo per Jesum Christum."* Verba haec referenda sunt ad participium τῷ δυναμένῳ (qui potens est). Deum vocat hic sapientem, quia in redemptione generis humani per Christum praeprimis elucet sapientia Dei. — Verba: per Jesum Christum non sunt arcte nectenda cum immediate antegressis (soli sapienti Deo), ac si sensus esset, Deum esse sapientem per Jesum Christum, quum sermo hic sit ineptus; sed tota propositio debet elliptice sumi, atque ita exponi: Soli sapienti Deo sit gloria per Jesum Christum. S. apostolus dicit: per Jesum Christum, quia tantum per Jesum Christum, mediatorem, qui est Deus-homo, hinc infiniti meriti, Deum infinitum infinite et ideo digne laudare (celebrare) eique pro omnibus bonis, propter Jesum Christum nobis datis, digne gratias agere valemus (Col. 3, 17.); nam Jesus Christus, qui toto suae vitae mortalis tempore, i. e. a primo Incarnationis instanti usque ad mortis momentum Deum glorificavit, etiam, ex quo resurrexit, et gloriosus in coelos ascendit, Deum infinite semper glorificat in terris et in coelis. In terris super altare, ubi ipsius immolatio ad Dei gloriam continue et semper mystice continuatur; in coelis coram throno Dei, ubi (coll. Apoc. 5, 6.) Agnus stat, velut occisus, i. e. in passionis suae memoriam sua sacra stigmata, in suo corpore glorioso retenta, Deo semper exhibet, interpellans (deprecans) pro nobis (Hebr. 7, 25.). — *„Cui gloria in saecula. Amen."* Vult dicere: Cui Jesu Christo, mediatori et consummatori salutis nostrae, sit gloria in aeternum; seu: Qui Jesus Christus in aeternum celebretur (laudetur). Ita fiat. Sic relativum ᾧ refertur ad Jesum Christum; quae explicatio simplicissima est (cf. 9, 5.) et praeferenda illorum explicationi, qui pronomen hoc pleonastice positum statuunt, et doxologiam hanc ad Patrem referunt.

Index nominum et rerum memorabilum.

D.

E.

F.

G.

H.

K.

L.

M.

N.

O.

P.

Q.

R.

S.

T.

U.

V.

Corrigenda.

Pag.	22.	lin.	2.	ab initio	lege	vobis
„	41.	„	6.	„	„	legis
„	43.	„	5.	a fine	„	eandem
„	51.	„	1.	ab initio	„	suo
„	68.	„	2.	a fine	„	ἐπ'
„	79.	„	6.	„	„	ᾧ
„	129.	„	12.	ab initio	„	praecedentium
„	144.	„	13.	a fine	„	expolivit
„	188.	„	10.	„	„	vides
„	„	„	11.	„	„	creandam
„	189.	„	20. 21.	ab initio	„	gravitate
„	236.	„	9.	„	„	omni.